THESAVRI
GEMMARVM
ANTIQVARVM
ASTRIFERARVM
VOLVMEN II.

THESAVRVS

GEMMARVM

ANTIQVARVM

ASTRIFERARVM

QVAE E COMPLVRIBVS

DACTYLIOTHECIS SELECTAE

AER. TABVLIS CC. INSCVLPTAE

OBSERVATIONIBVS

INLVSTRANTVR

ADIECTA DIATRIBE

DE GEMMIS BASILIDIANIS

ET DVABVS ALIIS

FLORENTIAE. ANNO. IVBIL. CIↃ. IↃ. CC. L.

EX. OFFICINA. TYPOGR. ALBIZINIANA

PRAESIDVM. ADPROBATIONE

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/thesaurusgemmaru23pass

ELENCHVS
GEMMARVM
ANTIQVARVM
ASTRIFERARVM
QVAE IN VOL. I. ADFERVNTVR
ET OBSERVATIONIBVS
IN HOC VOL. II. EXPLICANTVR

TABVLA I. SATVRNVS. 41. 42.
II. SATVRNI ET SOLIS CAPITA. 44. 45. 46.
III. TELLVRIS CAPVT. 46. 47.
IV. CYBELE IN THRONO. 47. 48. 49.
V. CYBELE LEONEM DEMVLCENS. 49. 50.
VI. CYBELE CVM FVLMINE. 50. 51.
VII. IVPITER MILICHIVS. 51. 52.
VIII. IVPITER VICTOR. 53.
IX. IVPITER VICTOR. 53. 54.
X. IVPITER VICTOR. 54.
XI. IVPITER VICTOR. 54.
XII. IVPITER ET FORTVNA. 54. 55.
XIII. IOVIS CVRRVS. 55. 56.
XIV. IVPITER CVM DIOSCVRIS. 56. 57.
XV. IVPITER ARGAEVS. 57. 58.
XVI. MONS ARGAEVS. 59.
XVII. SERAPIS INTER ZODIACI SIGNA. 60. 61. 62.
XVIII. IOVIS XENII SYMBOLA. 62. 63. 64.

XIX.

TAB. XIX. CAPVT IOVIS SERAPIDIS. 64. 65.
XX. ISIDIS ET SERAPIDIS CAPITA. 65. 66. 67.
XXI. SERAPIS. 67. 68.
XXII. SERAPIS CVM VII. PLANETIS. 68. 69. 70.
XXIII. APIS ET SERAPIS. 70. 71.
XXIV. AMVLETVM AEGYPTIVM. 71. 72.
XXV. ISIS CVM CASTORVM SIGNIS. 72. 73.
XXVI. ISIS. 73.
XXVII. ISIS. 73. 74.
XXVIII. HORVS. 75. 76.
XXIX. SOLIS LVNAE ET MERCVRII CAPITA. 76. 77.
XXX. SOLIS CAPVT. 77. 78.
XXXI. SOLIS CAPVT. 78. 79.
XXXII. SOLIS CAPVT. 79.
XXXIII. SEPTEM PLANETAE. 79. 80.
XXXIV. PLANETARVM SEPTEM CAPITA. 80. 81. 82. 83.
XXXV. SYMBOLA IV. PLANETARVM. 83.
XXXVI. APOLLO. 83. 84.
XXXVII. APOLLO CAELISPEX. 84. 85.
XXXVIII. SOL. 85. 86.
XXXIX. SOL. 86.
XL. SOL ET VICTORIA. 87.
XLI. APOLLO ET DIANA. 87. 88. 89.
XLII. SOLIS QVADRIGA. 89. 90.
XLIII. SOLIS QVADRIGA. 90.
XLIV. SOLIS QVADRIGA. 91.
XLV. SOLIS QVADRIGA. 91. 92.
XLVI. APOLLINIS SYMBOLA. 92.

TAB. XLVII. APOLLINIS SYMBOLA. 92.
XLVIII. APOLLINIS SYMBOLA. 93. 94.
XLIX. SOLIS SYMBOLVM. 94.
L. SOLIS ASTRVM ET MARSYAS. 94. 95.
LI. SOLIS ET LVNAE SYMBOLA. 95. 96.
LII. SOLIS ET LVNAE SYMBOLA. 96.
LIII. LVNA SILENS. 96. 97.
LIV. LVNA INTER SEPTEM PLANETAS. 97. 98.
LV. SOLIS ET LVNAE AMVLETVM. 98.
LVI. ANVLVS SIDEREVS CVM LEPORE ET PAPILIONIBVS. 99.
LVII. DIANAE CAPVT. 100. 101.
LVIII. LVNAE CAPVT. 101.
LIX. DEAE IGNOTAE PROTOME. 101. 102.
LX. DEA NOX. 102.
LXI. LVNA INTER PLANETAS. 202. 103.
LXII. DIANA EPHESIA CVM SERAPIDI ET FORTVNA. 103. 104.
LXIII. DIANA EPHESIA. 104. 105.
LXIV. DIANA EPHESIA. 105. 106.
LXV. DIANA EPHESIA. 106.
LXVI. DIANA SARDIANORVM. 106. 107.
LXVII. DEA CAELESTIS. 108. 109.
LXVIII. VRANIA. 109.
LXIX. VRANIA. 110.
LXX. MVSA. 110. 111.
LXXI. AESCVLAPIVS INBERBIS. 111. 112.
LXXII. AESCVLAPIVS. 112.

LXXIII.

TAB. LXXIII. AESCVLAPIVS. 112.
LXXIV. AESCVLAPIVS ET MINERVA. 112. 113.
LXXV. VENVS ANADYOMENE. 113. 114.
LXXVI. VENVS PELAGIA. 115. 116.
LXXVII. TEMPLVM VENERIS PAPHIAE. 116. 117. 118.
LXXVIII. TEMPLVM VENERIS PAPHIAE CVM SERAPIDE. 118.
LXXIX. CVPIDO. 119.
LXXX. DIOSCVRORVM CAPITA. 120.
LXXXI. CAPVT IOVIS CVM DIOSCVRIS. 121. 122.
LXXXII. CAPVT IOVIS INTER SIGNA LEGIONVM. 122. 123.
LXXXIII. HERCVLES ET DIOSCVRI. 123. 124.
LXXXIV. DIOSCVRI. 124. 125.
LXXXV. DIOSCVRI CVM LVNA. 125.
LXXXVI. DIOSCVRI. 106.
LXXXVII. MERCVRIVS CRIOPHORVS. 126. 127.
LXXXVIII. MERCVRIVS CVM DIOSCVRIS. 127.
LXXXIX. MERCVRIVS IN SIGNO TAVRI. 128.
XC. MERCVRIVS IN SIGNO TAVRI. 128. 129.
XCI. MERCVRII SYMBOLA. 129.
XCII. MERCVRIVS. 129. 130.
XCIII. MERCVRIVS. 130. 131.
XCIV. MERCVRIVS. 131.
XCV. MERCVRIVS. 131. 132.
XCVI. MERCVRIVS. 132. 133. 134.
XCVII. ANVBIS. 134. 135.
XCVIII. FIDES. 135. 136.

TAB. XCIX. MINERVA. 136. 137.
C. MINERVA EQVESTRIS. 138.
CI. MARS GRADIVVS. 138. 139.
CII. SPES ET MARS SACRIFICANS CVM GENIO. 139. 140.
CIII. VICTORIA. 140.
CIV. PAN NATVRAE SYMBOLVM. 141.
CV. LVPERCALE SACRVM. 141. 142.
CVI. ARBOR SACRA. 143. 144.
CVII. CERES. 144.
CVIII. CERES. 145.
CIX. CERES. 145.
CX. CERES ET TRIPTOLEMVS. 145. 146.
CXI. ANNONA. 147.
CXII. FORMICA. 148. 149.
CXIII. ABVNDANTIAE SYMBOLA. 149.
CXIV. BACCHVS. 149.
CXV. BACCHANAL. 150.
CXVI. BACCHA. 150. 151.
CXVII. HERCVLES. 151. 152. 153.
CXVIII. HERCVLES LEONICIDA. 153.
CXIX. HERCVLES AMAZONVM VICTOR. 153. 154.
CXX. HERCVLES CERBERVM DOMANS. 155.
CXXI. HERCVLES INTER DEOS RELATVS. 155. 156. 157.
CXXII. GENIVS ANIMARVM DVCTOR. 157. 158.
CXXIII. GENII SYMBOLA. 158. 159. 160.
CXXIV. DEVS PANTHEVS. 160. 161.

TAB. CLXXIX. VIGILANTIAE MILITARIS SYMBOLVM. 205.

CLXXX. TROPAEVM. 206.

CLXXXI. CAPRARIVS. 206.

CLXXXII. BVBVLCVS. 207.

CLXXXIII. VIRTVS. 208.

CLXXXIV. et CLXXXV. MITHRA. 208. 209. 210. 211. 212. 213. ANIMARVM TRANSVECTIO. 213.

CLXXXVI. GEMMA MAGICA. 213. 214.

CLXXXVII. PASTOR OVIFER. 214.

CLXXXVIII. pars aversa ANCHORA CVM DELPHINIS. 215.

CLXXXIX. GEMMA MAGICA. 214.

CXC. GEMMA MAGICA. 215.

CXCI. GEMMA MAGICA. 215. 216.

CXCII. GEMMA MAGICA. 216.

CXCIII. GEMMA MAGICA. 216.

CXCIV. Eiusdem Gemmae pars aversa. 216. 217.

CXCV. GEMMA MAGICA. 217.

CXCVI. GEMMA MAGICA. 217. 218.

CXCVII. GEMMA MAGICA. 218. 219.

CXCVIII. et CXCIX. GEMMA MAGICA. 219. 220.

CC. SACRVM CHRISTI MONOGRAMMA. 220.

DA-

DACTYLIOTHECAE
E QVIBVS
GEMMAE ANTIQVAE ASTRIFERAE
DEPROMTAE

ACADEMIA REG. PARISIENS. TAB. 34.

BONARROTIANA, vel ex Ectypis Cl. Senat. Phil. Bonarrotii, vel ex Schedis autographis ab eo delineatis TAB. 2. 9. 22. 23. 30. 37. 38. 40. 48. 51. 55. 56. 65. 69. 70. 75. 81. 84. 88. 91. 93. 100. 104. 105. 111. 114. 119. 134. 138. 139. 146. 149. 151. 156. 160. 167. 190. 191.

Apud Nob. Andream Baroncinium. 87.

CHIAPPINIANA. TAB. 14. 130. 187. 188.

Apud Liborium Cagliarum. 95. 109.
Apud Io. Dom. Campiglia. 35. 101.
Apud Cl. Cauſeum. 12. 27. 68. 79.
Apud Equitem Coratium Patric. Corton. A. E. 117.
Apud Ill. Marchionem Feronium. 26. 28.
Apud Cl. Franciſcum Ficoronium. 161.

GORIANA. TAB. 1. 6. 7. 8. 15. 16. 17. 19. 25. 29. 41. 45. 52. 53. 54. 59. 60. 61. 62. 64. 66. 67. 73. 74. 78. 80. 82. 83. 85. 86. 89. 90. 96. 98. 103. 106. 107. 112. 113. 115. 120. 122. 124. 125. 127. 128. 129. 131. 133.

133. 135. 136. 140. 142. 143. 145. 147. 148. 150. 152. 154. 155. 157. 158. 159. 163. 165. 173. 174. 175. 176. 177. 179. 182. 189.

Ex Abrahami Gorlaei Dactyliotheca. 3. 33. 36. 46. 108. 164. 170. 171. 172.

Apud Nob. Marchionem Maccaranium Tab. 94.

MEDICEO-CAESAREA. 18. 20. 58. 71. 102. 121. 123. 153.

ODAMIANA. 166. 181.

OLIVERIANA. 13. 32. 39. 79.

PASSERIANA. Tab. 4. 5. 10. 49. 92. 110. 116 137. 162. 168. 183. 186. 192. 195. 197. 198. 199. 200.

PLANCIANA. Tab. 193. 194. 196.

STOSCHIANA. Tab. 21. 24. 42. 63. 72. 118. 126. 178.

Apud Cl. M. A. Sabbatinium Tab. 57.

Apud Nob. Com. D. Rodulphum Struglio Aquileiens. Tab. 184. 185.

VICTORIANA Romae. Tab. 11. 31. 43. 44. 47. 50. 76 99. 141. 169. 180.

Apud D. Equitem VVisden Anglum. Tab. 144.

IN

IN TABVLAS CC.

THESAVRI

GEMMARVM

ASTRIFERARVM

PROLEGOMENA ET OBSERVATIONES

IOANNIS BAPT. PASSERI

NOBILIS EVGVBINI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS

ADIECTIS DIATRIBIS III.

J. D. fc. Gemmae ex Museo Passerio

PROLEGOMENA

IOANNIS BAPT. PASSERI

IN GEMMAS ASTRIFERAS

I.

OBSERVAVI saepesaepius, GORI CLARISSIME, antiquas insculptas GEMMAS, quae maximo in pretio apud omnes sunt, Stellis exornari; quarum significatio eo magis occulta est, quo remotior analogia, quam insculptis cum imaginibus ipsae Stellae servant: quodque plus est, non modo occulta, verum etiam inconstans: nam si quae similitudo inter utrumque caput aliquando deprehenditur, in ceteris omnino repugnat. Auget difficultatem incuria Scriptorum, qui haec symbola plerumque vel minus apte explicarunt, vel omnino neglexerunt,

perindeac ſi inaniter, & ſupervacanee adiecta olim fuiſſent. Damnat vero hanc noſtram diffidentiam veterum Artificum indoles in ceteris omnibus ſapientiſſima, ut incuriae potius noſtrae, quam illorum vanitati, ſi quid minus perſpicue intelligimus, tribuamus. Ergone in hoc uno, eodemque nobiliſſimo opificii genere degeneravit Antiquitas, & quae in aere, in lapidibus, in argilla figuranda, in ipſis iocis exprimendis tam ſcita fuit, quum Gemmas ſcalperet, deliravit? Non, hercle, ſi quid ſentio: quum praecipue ſtellarum additamentum adeo ſit frequens in Gemmis, ut facile intelligamus, conſtantem aliquam ſignificationem retinere, quam ſine longo uſu adſequi non valeamus.

At huic difficultati nunquam obviam iſſemus, niſi aliquis quandoque exſtitiſſet, qui integrum GEMMARVM ASTRIFERARVM proſpectum nobis exhibuiſſet, in quo promta eſſet comparatio, & commoda meditatio; ut inde, quodam veluti adſcenſu, ad mentem veterum adſequendam pervenire poſſemus. At id etiam beneficium, dum plura, & maiora moliris, optimo conſilio praeſtitiſti nobis, GORI AMICISSIME, qui collectam undique, ex ineditis praeſertim Gemmis, atque e compluribus cum tuis, tum praeſtantium Virorum Dactyliothecis, hanc Imaginum ASTRIFERARVM ſelectam, & inſignem ſeriem, aereis Tabulis inciſam mihi obiecisti, ut quando per otium liceret, commentariolo explicarem. Agebantur tunc Feriae Bacchanales, & altiſſimis nivibus domi obſidebamur, quum tempus ſtudiis optimum nactus, VRANIAM adcivi, cuius ductu caeleſtium corporum ſignificationes in his Gemmis obumbratas perſcrutatus ſum, & hiſce in ſcriptis expreſſi: quod intra breve temporis ſpa-

ſpatium factum eſt ; haud enim mihi diuturniorem quietem conceſſerunt perpetuae curae , quibus Eccleſia Piſaurenſis , cui vicaria ſolicitudine adeſſe debeo , me urget ac premit .

II.

QVVM vero has GEMMAS ASTRIFERAS mihi ob oculis conſtituiſſem , facile cognovi non leviter errare illos , qui in omnium Antiquitatum genere explicando , iiſdem ſemper regulis utuntur : etenim diverſa hominum opificia , quae diverſum uſum , atque finem reſpiciebant , diverſo quoque ingenio , ac mente ornabantur . Itaque ſtellae in Etruſcorum inſcriptionibus aliud nullum praeſtant officium , quam interpunctionis . In operibus doliariis ſtellarum digmata ſignificant officinam , cuius id eſſet inſigne : cuius exemplum videre eſt in ſigillo tegulari apud Cl. Boldettum de Sacris Coemet. pag. 531. num. v. quo etiam referenda ſunt aſtra impreſſa tegulis , quas apud Forum Sempronii erui vidi , dum illius Vrbis praefectura fungerer . Stellae adpoſitae aedificiis , praediis , ac fundis , locum augurio conſecratum denotabant , ut conſtat ex ſchedis Feſti : *Stellam ſignificare , ait Ateius Capito , laetum , & proſperum ; auctoritatem ſequutus P. Servilii Auguris : lamella aerea adſimilis ſtellae locis inauguratis infigatur* . In nummorum ſubſcriptionibus , quae ſpectant ad notas Monetalium , ſtellae , lunulae , fulmina , & his ſimilia , denotant peculiares metalli maſſas , ſeu flaturas , ut unius bonitas ab altera diſcerneretur ; ne , ſi quod vitium deprehen-

deretur in nummo, incerto auctore, impune latitaret. Quandoque ſtella * in nummis Campanorum aereis unciam denotat, & multiplicata totidem uncias. In argenteis vero qua Romanis, qua Samniticis aut Campanis * denarii nota eſt. In Lucernarum diſco ſtellae Deorum ſymbola ſunt, & ad illorum religionem pertinent, & quodammodo ſimulacri vicem obtinent, ut in honorem Deorum accenſae, aram ſimul, & Numen miniſtrarent. Aſtra in clypeis praecipuas Legiones indicant, ut turbatis in bello rebus quiſque contubernales ſuos dignoſceret, quod adlatis auctoritatibus declarabimus in Notis. Rurſus in globis, qui in nummis, gemmis, aut marmoribus expreſſi ſunt, & quibus Dii quandoque inſident, ſignatae ſtellulae totum caeli orbem, eiuſque ſigna demonſtrant. Multas alias ſtellarum ſignificationes prout diverſis operibus adplicantur, petere licet ex Horo Apolline in Lib. de Hieroglyphicis I. Cap. XVII. *Depicta ſtella, modo Deum ſignificat, modo noctem, modo vero tempus, interdum vero hominis maſculi animam:* quibus addo nummos Conſtantini Magni, eiuſque filiorum, in quibus Romanae Vrbis imago in caſtri modum expreſſa eſt, ſtella ei imminente, quae Imperatorem deſignat, addita epigraphe: PROVIDENTIA AVGVSTI. In aliis vero nummis ſtellatus orbis arae impoſitus cernitur; quem ſuperſtant tres ſtellae, quae Conſtantini ſobolem indicant, adhuc incolumem, cum inſcriptione: BEATA TRANQVILLITAS.

III.

III.

Si vero perſcrutemur quid demum ſtellae ſibi velint in Gemmis, non ita facile adſequemur, quum haec Antiquitatis provincia omnium ampliſſima ſit, ac univerſas paene rerum ſpecies complectatur, nec ullis aliis finibus concludatur, quam libidine ingeniorum. Sed ut aliquibus ſaltem legibus rem vagam perſtringamus, ad ſex fere capita GEMMAS ASTRIFERAS referemus. Horum primum complectitur ſtellas *ſymbolicas*, & non ſui, ſed alterius rei, cum qua analogiam habent, ſignificativas, ut ecce in Auguſtarum nummis ſtellae aliquando conlatae divinitatis indicium praeſtant, quod putarent illarum animas in caelum receptas aſtris ipſis inſidere; quam quidem ideam imitati ſunt Scalptores Gemmarii, qui eundem typum a nummis ad lapillos tranſtulerunt, ut infra adnotabimus. Huc etiam referenda eſt ſtella capiti Caeſaris, aut Auguſti praefixa, vel adiecta eorum ſymbolis, quod in plurimis aliis obſervavimus. Haec tamen ſignificatio deſumta eſt ab illius ſtellae adparitione, de qua meminit Suetonius citandus ad Tab. CLXX. quo etiam adluſit Ovidius Metam. XV. verſ. 842.

Hanc animam interea caeſo de corpore raptam
Fac iubar, ut ſemper Capitolia noſtra, Forumque
Divus ab excelſa proſpectet Iulius aede.

Nec impar opinio de ſucceſſore Auguſto habita eſt, quum eius imago in nummis ſtella inſignita videatur: quod etiam loco citato idem Ovidius de eo vaticinatus eſt:

Nec,

Nec , niſi cum ſenior ſimiles aequaverit annos ,
Aetherias ſedes cognataque ſidera tanget .

Aliquando ſtellae in Gemmis inciſae Solem indigitant , praecipue cum ſolitariae ſunt , vel inter ſilentis Lunae cornua conlocatae : quae ſecundam Claſſem GEMMARVM ASTRIFERARVM complectuntur . Quod vero Sol , & Luna per haec ſigna indicata ſint , duplex ratio adduci poteſt , uſus nempe antiquiſſimus ab Orientalibus exceptus , qui Solem , & Lunam in nummis , & monumentis per haec indicia demonſtrabant : demum & ſculpturae maior facilitas , praeſertim in anguſtiſſimis Gemmarum ſpatiis . Sed cur Sol & Luna in Gemmis ſculperentur , in cauſa fuit vel religio , qua quiſque illos ſibi propitios precabatur , ut cuſtodes & obſequentes haberet , ſeu omen ab Aſtrologiae legibus deſumtum , quum in alicuius genitura Sol & Luna in opportunis locis diſpoſiti , felicem vitae curſum portenderent .

Vbi vero Soli , & Lunae multiplices ſtellae coniunguntur , aliquando totidem Planetas deſignant , e quorum fauſta radiatione proſperam ſortem ſibi repromittebant , & hae mihi Gemmae tertiam Claſſem conficiunt ; quos tamen Planetas illae indicent declarare nequaquam poſſumus ; nullis enim praecipuis eorum ſymbolis , aut notis , quibus ab Aſtrologis Planetae indicari ſolent , diſtinguuntur : vix enim pauciſſimos inciſos lapillos uſque adhuc obſervavi , in quibus Aſtrologici characteres ſignati ſint ; quapropter dicendum eſt , eorundem Planetarum differentiam illis tantum innotuiſſe , qui Gemmam ſcalpendam curabant . Hic vero ſtellarum numerus aliquando totum Planetarum ſeptenarium aequat .

Si

Si vero hunc numerum ſtellae excedunt in Gemmis, iam non Planetas, ſed totum Caeli complexum ſignificant; & huiuſmodi Gemmas in quartam Claſſem ablegandas cenſui. Harum vero pulcherrimum ſpecimen contemplandum proponimus in Gemma, ubi Solem inter ceteros Planetas expreſſum videmus duodenis ſtellis circumſeptum, quorum numerus vel menſibus reſpondet, vel ſignis Zodiaci, per quae Sol permeans cum erroribus, totum anni ſpatium complet; nam ita per quatuor angulos eaedem ſtellae diſpoſitae ſunt, ut totidem anni tempora videantur deſignare.

Quintam Claſſem conſtituunt ſtellae ad Zodiaci ſigna pertinentes, quarum plurimas circa finem Operis in ordinem digeſſimus. Haec vero facile diſtinguuntur ab eorundem ſignorum iconiſmis, quibus ſtellae coniunctae ſpectantur.

Poſtremam Claſſem conſtituunt cetera caeleſtia Signa, quae praeter Zodiacum, utrumque ornant Hemiſphaerium Boreale, atque Auſtrale, ut Lyra, Delphin, Navis Argo, Hercules, Pegaſus, Vrſa, ceteraque huiuſcemodi, quorum non pauca in hac Collectione in ordinem redacta ſunt: quae ſenaria diviſio cunctas fere ASTRIFERAS GEMMAS, quotquot ſunt, & futurae erunt, commode complectitur.

IV.

TRIPLEX vero cauſſa adduci poteſt, cur Veteres haſce ſtellas in Gemmarum anulis inſculpſerint: religio nempe, virtus naturalis, & augurium. Primam fa-

facile adſequemur , conſiderantes , quam tenaciter ſuperſtitioni Veteres addicti fuerint , qui non modo elementa Deorum commentis implerunt ; ſed & ſingulas quoque rerum omnium partes praecipuis Diis adtribuerunt. Quis enim non derideat cum Auguſtino Lib. IV. de Civit. Dei Cap. 8. Deum *Forculum* Praefectum foribus , *Cardeam* cardinibus , *Limentinam* limini oſtiorum , & *Seiam* , *Segetiam* , & *Tutelinam* pro diverſa frugum aetate adſignatas? quin & pro variis hominum aetatibus totidem Deos Cuſtodes addictos . Nil propterea mirandum eſt , ſi Deos , quibus ſeſe committebant , vel in anulis ſculperent , vel per ambages ſymbolorum ſubindicarent ſecum perpetuo deferendos .

Hac tamen ſuperſtitione non contenti , virtutes quaſdam in Gemmis adſtruebant , quae naturali poteſtate mala quaedam depellerent. Adceſſerunt Magorum promiſſa , qui occultas quaſdam Gemmarum virtutes praedicantes , genus hominum errori pronum ſuperſtitionibus obruerunt . Exempla non pauca huiuſce vanitatis eruuntur ex Orphei Libro *de Lapidibus* , ubi haec profert de Cryſtallo :

Illum ſiquidem in manibus habens , circa Templum venias :
Non aliquis tibi Beatorum negabit petitionem .

Rurſus de Iaſpide :

Et politum portans vernantem Iaſpim
Sacra faciens aliquis , Beatorum floret cor ,
Et ipſi fructiferas nubibus ſaturabimus terras .

Item de Achate :

Qui

Qui ipſum accipiens in ſuis manibus tenuerit,
Deſiderabilem mulieribus poterit virum facere;
Et demulcebit verbis homines: et omnia portans,
Quaecumque petet, perveniet domum gaudens,
Et morbo laborans reſtituetur.

Lapidem quoque e cervi capite extractum celebrat, quod perpetuam inter coniuges concordiam ſervet. Eiuſdem credulitatis idoneum teſtimonium profert nobis Plinius, qui Lib. XXXVII. Cap. 9. de Iaſpide, ita ſcribit: *Totus vero Oriens pro amuletis traditur geſtare eam, quae ex iis ſmaragdo ſimilis eſt, et per tranſverſum linea alba media praecingitur.* Sequenti vero Cap. 10. tot et tantas lapidum virtutes enumerat, ut eas tranſcribere pigeat. Praetereundum tamen non eſt, fuiſſe, Plinio eodem auctore, qui putarent, hanc ineſſe lapidibus vim, tempeſtates avertendi, ſiſtendi flumina, et invictum reddendi in agonibus hominem.

His tamen nugis minime contenti, adiecerunt Gemmis aſteriſmos, et characteres, quos ſtatis quibuſdam anni temporibus inciſos, potentiſſimos eſſe ad mala avertenda, et bona conſequenda, effutiebant; ut clare demonſtrat Philoſtratus in vita Apollonii Lib. III. Cap. XIII. *Scribit praeterea Damis, Iarcham ſeptem anulos Apollonio dediſſe, ſtellarum ſeptem nominibus inſignitos: quorum ſingulos diebus ſingulis geſtavit Apollonius, iuxta dierum nomina illos diſtinguens.* Idem Plinius loco nuper citato aliquid profecto ſimile in Amethyſtis factum fuiſſe refert: *Magorum vanitas reſiſtere ebrietati eas promittit: praeterea ſi Lunae nomen, ac Solis ſcribatur in his, atque ita ſuſpendantur collo e capillis cynocephali, vel plumis hirundinis, reſiſtere veneficiis. Iam quoque adeße Reges adituris. Grandinem*

dinem quoque avertere , et ſimilia ; locuſtas etiam precatione addita , quam demonſtrant ; nam ſmaragdis quoque ſimilia promiſere , ſi Aquilae ſcalperentur , aut Scarabei : quae quidem ſcripſiſſe eos non ſine contemtu , et irriſu generis humani arbitror .

Adcedit Trallianus , inſignis apud Antiquos Medicus , de corporis humani vitiis Lib. III. Cap. 48. qui coli doloribus ita occurrendum tradit : *Ligacula igitur Phyſica , et characteres , quorum celebris uſus eſt , memorare conſentaneum videtur ; nam ea quoque adhibita mirifice cruciatus placare , vel protinus tollere conſueverunt : qua de re non ſine delectu quaelibet , ſed ea potiſſimum , quae partim a priſcis Medicis , partim a nobis quoque experientia cognita ſunt , a coli doloribus praeſervare , in medium referre , et deſcribere .* Et paullo poſt : *Praeſentis quoque auxilii , geſtamen eſt lapis Medicus ſculptilis , ſi in eo recta Herculis imagine leonem ſuffocante , inſculpta aureo anulo incluſus , in digito geſtetur .* Sed ab hac vanitate neque Galenus ipſe immunis fuit , qui de Iaſpidum virtute haec vel credidit , vel credenda obtruſit : *Proprietatem vero aliqui quibuſdam lapidibus ineſſe teſtantur huiuſmodi , qualem revera habet viridis Iaſpis , iuvans et ſtomachum , et os ventriculi , ſi adligetur . Inſerunt et anulis ipſum aliqui , et ſculpunt in eo radios habentem Draconem , quemadmodum et Rex Necepſos in XIII. Libro .* Nec longe abit antiquus alter Philoſophus , cuius auctoritatem recenſuit nobis inſignis Aſtronomus Argolus de Diebus critic. Lib. I. Cap. 8. *Thebit , certe Philoſophus maioris , quam nominis , ſcientiae , ad effectus miros ſideralem ſcientiam adhiberi poſſe putat : captaque ſtellae virtute , accipi iubet lapidem , herbamque ſtellae ſubiectam ; mox et anulum conflare , ſive aureum , ſive argenteum velis , cui lapillum*

pillum indas : idque vero auſpicate fieri praecipit , ſtellam Luna ſubeunte , aut ſpectante , adſpectu trino , vel ſextili ; ſtella vero caeli medium percurrente , aut in adſcenſum conſtituta. Inter Philoſophos vero , qui multum hiſce ſignaculis in lapidibus impreſſis detulerunt , ſilentio praeteriri non debet Philippus Paracelſus , vir alioquin doctus , et facile Chimicorum anteſignanus , qui multis Tabulis ſeriem illorum exhibuit .

At inter ceteros etiam , qui huic ſcientiae inluſtrandae , et augendae navarunt operam , facile principem locum obtinet Camillus Leonardus Piſaurenſis noſter , vir inprimis nobilitate conſpicuus , et in re medica nemini ſuae aetatis ſecundus , qui ſummo ſtudio , et , quod mirum eſt , pro ſui temporis conditione , tantam gemmarum , pretioſorum lapidum , et marmorum cognitionem adeptus eſt , ut vix ſupra hoc ipſo quo vivimus ſaeculo , harum lauticiarum abundantiſſimo , fieri potuiſſet . Sed quia acri ingenio erat , atque ad obſcuriora quaelibet indaganda diſpoſito , veterum omnium traditiones , et ſcripta deſloravit , quibus occultae lapidum virtutes extollebantur . Concinnavit propterea opellam illam , *Speculum Lapidum* inſcriptam , quam Caeſari Borgiae tunc rerum Domino dedicavit . Quia vero totus eſt in hiſce virtutibus lapidum extollendis , non integrae Religionis quandoque habitus eſt , ut non dubitaverit Chifletius in Gemmas Abraxeas Cap. 1. illum inter Baſilidianos recenſere . Sed ab hac inuſta nota illum facile liberabimus , ubi obſervemus , ipſum in hiſce virtutibus recenſendis , illis praeſertim , in quibus ſuperſtitio aliqua indita ſit , Hiſtoricum magis , quam Philoſophum egiſſe , ea ſimul colligendo , quae ſparſim ceteri antiquiores Auctores tradidiſſent : in qua re-

revera nullus illius adſenſus deprehenditur, quo eius clarum nomen labefactetur. Opportunum vero duximus eius auctoritatem in hiſce Gemmis explicandis in medium identidem proferre.

Quum enim viderem quamplurimas ex GEMMIS ASTRIFERIS ſuperſtitioſis emblematibus abundare; ut illas explicarem, ſeu ſaltem a ceteris ſeiungerem, operae pretium fuit earum ſenſus ab illorum penetralibus expiſcari, et eorum ſcrinia pandere, ut tandem intelligeremus quid illis conſilii fuerit, et quid in animo habuerint dum iſta factitarunt. Id etiam ſaepe de Aſtrologis diximus, quorum deliramenta adeunda nobis fuerunt, ut illorum aenigmata Gemmis conſignata diſſolveremus. Ceterum harum ſculpturarum vanitatem explodit loco citato idem Galenus, qui parem vacuo lapidi virtutem adtribuit, quam ſignato: *Huius quidem lapidis experientiam idoneam habeo* (de viridi Iaſpide loquitur) *qui et torquem ex huiuſmodi capillis confeci; et appendi ex collo ita demiſſam, ut tangerent os venticuli. Videbantur autem non minus iuvare, quam ſi ſculpturam haberent, quam Necepſos ſcripſit.*

V.

VVLGATIOR Claſſis GEMMARVM ASTRIFERARVM peculiarem horoſcopum continet illorum, qui Gemmas in ſui uſum inſculpendas commiſerunt. Neminem vero, qui vel leviter Aſtronomiam adtigerit, latere puto, totum Caeli gyrum ab Aſtronomis in duodecim partes dividi, quae ab Orizonte, et Meridiano una cum quatuor

tuor aliis circulis, qui utrumque in duobus punctis secant (circulos *positionum* vocant) disterminantur. Harum prima, quae a puncto, seu cardine Orientis deorsum vergit, *Ascendens*, *Horoscopus*, *et locus vitae* adpellatur; inde enim et temperamenti, et futurae salutis, et indolis, demum et futurae vitae omen potissimum mutuatur. Illam, quae inferius sequitur, *domum secundam* vocant, seu *succedentem*, et adtribuunt *divitiis*. Tertia *consequens*, seu *cadens*, dicitur *domus Fratrum*. Succedit imum Caeli in quarta, diciturque *domus Patrum*, sive *Avorum*. Quincta domus *succedens* nuncupatur, *fortuna filiorum*, *et voluptatis*. Sexta *valetudini*, *et malae fortunae* adtribuitur. Septimam, quae Occidentis cardinem obtinet, dicunt *connubii domicilium*. Octava, quae illi imminet, *piger locus* habetur, et *domus mortis*, *et hereditatum*. Nona domus, quae *bona* habetur, ad *dignitates*, *et artes* pertinet. Decima culmen, seu fastigium Caeli, *Domus regia* dici solet, unde maxime potestatem, et auctoritatem ominantur. Vndecima, quam appellant *bonum Genium*, ad amicos pertinet, et *Principum familiaritatem*. Duodecima tandem, seu cadens ad cardinem Orientis, *malus Genius* nuncupari solet, a mala eius significatione, et domus est *insidiarum*, et *hostium occultorum*.

Iam vero Zodiaci signa, quae dato tempore easdem domos adtingunt, naturam domorum induunt: maximaque ratio haberi solet, quem cuiusque signi gradum adtingat cuspis, seu initium eiusdem domus. Praeterea rimandum est, qui Planetarum in iisdem domibus, praesertim vero in Horoscopo, versentur: magnumque negocium facessit, an signum illud Planetae sit *proprium*, an *alienum*. Hinc enim Planetarum *potestates*, seu *dignitates*,

vel

vel e contra *debilitates* deſumuntur. Nec minor auctoritas traditur ſtellis fixis, quae in eadem domo numerantur, illis praeſertim, quae mole et luce ſpectabiliores habentur: quibus, ſive ob coloris ſimilitudinem, ſive ob quoſdam effectus uniformes, naturam Planetarum adtribuunt Aſtrologi. Nec parum relevat, quo adſpectu ſe invicem Planetae reſpiciant, inter quos *oppoſitio*, et *quadratus*, infauſta habentur; *trinus* vero, et *ſextilis*, beneficus. Multa alia quoque in conſideratione habentur circa aliquorum Planetarum poſitionem, quae aliquando cetera indicia perturbant, et *Aphetas*, et *Aneretas* vocant, hoc eſt *Eductores*, et *Abſciſſores*: quod vel e periculo tollant, vel bonum omen reſcindant. In hiſce obſervationibus diutius fortaſſe immorati ſumus, non quod illis quidquam deferamus; ſed quia ad has Gemmas explicandas, in quibus haec ſcientiae ſemina ſparſa ſunt, neceſſaria videbatur Aſtrologiae non *ſcientia*, ſed *hiſtoria*, quam unice didiciſſe profitemur.

VI.

QVANTVM vero Antiqui detulerint Aſtrologorum promiſſis, quae illi ex ſiderum poſitionibus eruebant, facile colligitur ex his, quae habentur apud Euſebium de Praepar. Lib. v.

Cui non mortali incundus in aere character,
Argentove nitens, aut fulvo expreſſus in auro:
Cui, non cara homini, quae caelitus ipſa gubernans,
Diverſas hominum ſoleam committere ſortes.

Omnium

Omnium vero antiquiſſima auctoritas, quae Aſtrorum influxibus defert, eſt penes Orpheum, vel alium quemcumque eius nomine circumlatum, in illorum hymno:

> ——— *ſemper generantia omnia*
> *Fato debita, omnis Fati ſignificatoria exiſtentia:*
> *Mortalium hominum ſemper adminiſtrantia vitam.*

Apud Ptolemaeum huius ſcientiae principem crebra eſt quoque huius caeleſtis virtutis commendatio, potiſſimum vero in Quadr. *Evidentiſſimum eſt diffundi vim quamdam ab aetherea natura in univerſa terrae circumpoſita: quaeque ſub Luna ſunt omnia corpora aetheris motibus agitari, ut quidquid in terra, aëre, et aquis naſcitur, animantium, et germinum.* Et Macrobius in Somn. Scipion. Lib. I. Saturnal. haec de illa habet: *Ipſarum vero ſtellarum curſus ordinem rerum humanarum, ut quibuſdam videtur, pro poteſtate diſponunt; vel, ut Plotino conſtat placuiſſe, ſignificant.* Et Q. Curtius Lib. V. *Errant, quibus forte ac temere humana negocia volvi, agique perſuaſum eſt. Equidem aeterna conſtitutione crediderim, nexuque cauſſarum ſuperiorum, partim latentium, partim evidentium, ſuum quemque ordinem ab immutata lege percurrere; Deo tamen haec pro arbitrio ſuo conſentiente, et permittente.* Huc reſpexit Iuvenalis Sat. VII. verſ. 194.

> ——— *Diſtat enim, quae*
> *Sidera te excipiant modo primos incipientem*
> *Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.*

Et Perſius Sat. V. verſ. 48.

Parca

Parca tenax veri , ſeu nata fidelibus hora,
Dividit in geminos concordia fata duorum ,
Saturnumque gravem noſtro Iove frangimus una .

Haec vero opinio eo magis invaluit. , quia fuerunt qui crederent , ſingulas ſtellas ſingulis hominibus , tanquam vitae comites , eſſe adſignatas : quem errorem ita explodit Plinius Lib. II. Cap. 8. *Hinc redeamus ad reliqua naturae ſidera , quae adfixa diximus mundo ; non illa , ut exiſtimat vulgus , ſingulis adtributa nobis , et clara divitibus , minora pauperibus , obſcura defectis , ac pro ſorte cuiuſque lucentia , adnumerata mortalibus .* At haec inanis credulitas facile hauſta eſt ex Platone , qui ita in Timaeo loquitur : *Denique quum univerſum conſtituiſſet , aſtris parem numerum diſtribuit animarum , ſingulis ſingulas adhibens : eiſque tanquam vehiculo impoſitis , monſtravit univerſi naturam , ac leges fatales edixit . . . . Atque illum , qui recte curriculum vivendi a natura datum confecerit , ad illud aſtrum , cui adcommodatus fuerit , reverſum , beatam vitam acturum .* Haec vero , et ſimilia dogmata , quum Antiquis maxime cordi eſſent , atque in illis conſtanter quidem , ſed ſemper inaniter caligarent , ſtellam ſui comitem , futurumque domicilium maxime verebantur , magnamque auctoritatem ceteris , ſub quorum dominatu orti eſſent , adtribuebant , illaſque in Gemmis ſignabant , ut incluſae anulis , perpetuo obtutu ſpem confirmarent . Ab hac tamen credulitate neque ipſi Chriſtifideles aliquando immunes abierunt , qui poteſtatem aliquam Phyſicam in ſubiecta corpora admittentes , caeleſte thema in anulis deferendum inſculpſerunt : quod manifeſte probat Gemma illa , quam vulgavit Cangius in Diſſertatione de *Inferioris*

aevi

aevi Numiſmatibus, in qua capita Iovis, Solis, et Lunae conſpiciuntur, quorum priori ſacrum Chriſti Monogramma praefixum eſt. Multi multa de hoc nexu ſpeculati ſunt; ſed, ut facile Chriſtianos vindicemus, dicendum eſt, ipſos aliquando per haec ſigna non *Religionem*, ſed *Naturam* expreſſiſſe: quam ut elegantius Sculptores exprimerent, Planetas ipſos, uſitata Veteribus forma, ſub humano adſpectu expreſſerunt, uti probant exempla non pauca, quae ad Gemmam CC. non ad incuſandam veterum Chriſtianorum ſimplicitatem, ſed defendendam, cumulavimus.

Ne tamen putemus Gemmas iſtas, quas horoſcopas libenter libuit nuncupare, caeleſtem poſitionem, ſeu *thema*, iuxta Mathematicorum praeſcripta, repraeſentare: id enim neutiquam factum eſſe ab Antiquis, conſtanter credimus: Gemmae veterum adludunt potius, et per ambages indicant magis, quam exprimunt illam Caeli conſtitutionem, ſub qua quis natus eſſet. Nam Gemmarii Artifices picturae gratiam, et venuſtatem libentius, quam Aſtrologiae leges, ſequuti ſunt. Difficillimum propterea eſt de hiſce Gemmis genethliacis iudicium proferre, atque ex illis *decreta*, ut aiunt, eruere; quum haec non ex unius, aut alterius ſtellae coitu, ſed ex tota Caeli poſitione deſumantur: quod non obſcure indicavit Iulius Firmicus Aſtronomic. Lib. v. Cap. 4. *Sed haec progenituraе menſura decernuntur, ac pro ceterarum ſtellarum miſtura, et rationibus, radiationibuſque, quas in omnibus ſervare, ac meminiſſe conveniet.* Quod antea monuerat Manilius Aſtronomic. Lib. II. verſ. 642.

Nec ſatis eſt tantum Solis inſiſtere ſignis:

Contemplare locum Caeli, ſedemque vagantum.
Parte genus variant, & vires linea mutat.

Et Lib. IV. verſ. 294.

Sed nihil inſemet totum valet: omnia vires
Cum certis ſociant ſignis ſub partibus aequis,
Et velut hoſpitio mundi commercia iungunt,
Conceduntque ſuas partes retinentibus Aſtris.

Nam aliquando obſervant Aſtrologi auſpicatiſſimos Planetarum adſpectus alterius ſiniſtro occurſu funeſtari, et, ut it Plinius Lib. VII. Cap. 49. *incidi occurſu maleficorum ſiderum, aut etiam radiis eorum, Soliſque:* ut nemo ipſorum audeat, niſi tota poſitione perſpecta, iudicium proferre. Fateor aliquando in Gemmas genethliacas incidiſſe me, in quarum orbe plures Planetae ita diſpoſiti erant, ut Sculptor videretur non fortuito conſilio, atque oſcitanter ea diſpoſuiſſe, ſed aſtronomice illa conlocaſſe, prout in Caeli orbe ſtatuto quodam tempore conſtitiſſent. Hoc praeſertim in Tab. XXXIV. atque in multis aliis ſimilibus diligenti meditatione, atque ſubtili indagine ſcrutatus ſum. Sed res adeo in incerto verſatur, ut maluerim potius ſpeculationem hanc meam vix leviter delibatam explodere, quam labore fortaſſe inani promovere; quippe qui longo uſu didicerim, Veteres noſtros ſua opera, ut poſteros inſtruerent, non ut deciperent, aut irrito labore in aenigmatibus detinerent, adornaſſe: nec dubitaverim, ipſos Antiquos, ſi modo argutas quaſdam ſuorum operum explicationes legerent, eas non ſine hilari riſu fore excepturos.

Quod

Quod magis incertam reddit hanc minutam indaginem, illud eſt, quod Planetarum aſteriſci non ſemper locum poſitionis indigitant; adeoque probabile ſit, aliquando adpoſita fuiſſe ad tempus ſignificandum. Nam eadem ratio, quae nobis ſuadet illos fuiſſe adpoſitos relative ad caeleſtes domos, unde thema emergit; eadem fere nobis ſuggerit ſignificare poſſe diem natalis, atque illius horam, quae pariter per Planetarum ſchemata deſignantur, eorumque nominibus diſtinguuntur. Conſtat enim veteres Aſtrologos ſpeculationum vanitatibus mirifice deditos (quod etiam adnotavit Gyraldus *de anno, et menſe* circa finem, ubi de horis agit) ſingulis XXIV diei horis Planetarum dominium adſignaſſe, eoque ſpatio illos humanis rebus praeeſſe, et mortalia diſponere; ideoque magnam ab illis habitam eſſe rationem, qua quiſque hora natus eſſet. Saturnus itaque primae horae diei ſuae dominabatur, Iupiter ſecundae, Mars tertiae, Sol quartae, Venus quinctae, Mercurius ſextae, Luna ſeptimae. Rurſus repetito ordine, Saturnus imperabat octavae, et ſic deinceps. Quia vero poſt horam XXIV. quae Marti tribuebatur, ſuccedebat hora Solis; ſic dies ſequens ab ipſo denominatus eſt: ſuccedente vero hora illius ſecunda, iuxta ordinem caeleſtium orbium, tutela Veneris, dein Mercurii, et Lunae recurrebat, Saturnus hora quincta, ſervatoque eodem ordine Mercurius hora XXIV. quem excipiebat hora I. ſequentis diei Luna, quae pariter illi diei nomen largiebatur; unde dies Lunae: quam ſupputationem ſi in ceteris diebus repetamus, perſpicuum erit, nomina cuiuſque diei ab eo Planeta profluxiſſe, qui in primam illius horam incidebat; nam ceteroquin Planetarum ordo in hebdomadae diebus denominandis nullam penitus ad caeleſtem ordinem rationem

habet. Quam vero futilis fuerit haec obſervatio, atque unice ad miſellorum credulitatem extorquendam, vel ex hoc uno conſtat, quod horarum numerus homini arbitrarius ſit. Si quis enim, inſciis Planetis, lege lata diem, et noctem in duodecim tantum horas diſpertiatur, tutela Planetarum perturbatur, miſcetur, confunditur; nec iam quidpiam cum hominibus poſſunt, nec horae iſtae planetariae quidpiam amplius valent: praeter quam quod nulla phyſica ratio adferri poteſt, cur Planetae, quorum directio adeo grandis eſt, et ampliſſimis periodis definita, alterno concurſu per haec minuta temporis ſpatia nobiſcum communicent, praeſertim quum altiſſime latent, et longo receſſu protelantur.

Quia vero Antiquitas hiſce ineptiis a ſuperſtitione enatis arctiſſime detinebatur, adeo huic diſtributioni deferebat; ut ſicut horae planetariae diem praeſignaſſent, diem inde, ut diximus, denominarent: idque non inter Aſtrologos tantum obtinuit, ſed apud vulgus civili conſuetudine etiam introductum eſt: quod manifeſte nos docet Dio Lib. XXXVII. *Quod his ſeptem ſtellis, quae Planetae vocantur, dies adſignari receptum eſt, inventum quidem putatur Aegyptiorum ..... Quoniam vero cum nationibus aliis, tum Romanis vel maxime ſic mos pervulgatus hic eſt, ut quaſi iam patrius videatur, pauca ſuper ipſis ediſſeram.* Credibile igitur fit, antiquos Artifices, quum haſce Gemmas inſculperent, maximam etiam de die, et hora planetaria rationem habuiſſe: ut inde ſuſpicemur, ſigna eorumdem Planetarum fuiſſe in illis adpoſita, non tantum ad caeleſtem poſitionem ſignificandam, quam ad diem, atque horam, qua quis natus eſſet, demonſtrandam: quae omnia adnotare oportebat, ut quum in has incideri-

mus,

mus, videamus quantis difficultatibus ſubtiles illae diſquiſitiones obſtructae ſint, ne irrito conatu in illis enucleandis operam prodigamus: atque illa tantum indagine contenti ſimus, quam nobis communior Philologia ſubminiſtrat. Ne tamen ſicco nimis ſtylo, atque ieiuno haec caelamina praetermiſiſſe videremur, aliqua tantum de adparenti poſitione, et Planetarum cum ceteris ſignis concurſu, ex antiquis Aſtrologis delibavimus, ut quo meliori fieri poſſet modo, mens antiquorum Artificum proderetur

VII.

RESTAT, ut aliqua de Baſilidianis Gemmis praemittamus; nam et nonnullae ex his, quae ſtellis ornatae ſunt, in hoc Opere recenſentur. Quam vero ex indicatis Claſſibus ſortiri debeant, adfirmare non auſim; quum minime conſtet quid conſilii habuerint, qui talia confinxerunt: immo, ut verum fatear, dubitandum maxime ſit, an ea omnia, quae Baſilidianis tribuuntur, eiuſdem artificii ſint, ut peculiari Diatribe ad Cl. Oliverium data, et in alio Volumine huius Operis depromenda, monendum cenſuimus. Adtamen, quantum coniectura adſequimur, Gemmae iſtae invocationem continent caeleſtium Poteſtatum, Planetarum, atque Stellarum, quibus certae corporis partes commendatae ſunt: quod declarat Manilius in Aſtronomicis Lib. II. verſ. 456.

——— *Aries caput eſt ante omnia princeps*
Sortitus: cenſuſque ſui pulcherrima colla

Tau-

Taurus : et in geminis aequali brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris : ——————

quae ratio, ſi una fuiſſet, cur hae Gemmae ſtellis ornarentur, inter horoſcopas tuto conlocari potuiſſent. Sed ſubeſt incognita alia, penituſque obſcura earundem Conſtellationum ratio, a ſecretis quibuſdam ſuperſtitionibus, atque incantationibus expetita; ſeu, quod verius eſt, nebulonum, atque circulatorum figmentis, qui ad pecuniam credulorum conradendam ignotis ſibi ambagibus, atque phylacteriis, ſimpliciores homines eludebant, excogitata, atque exarata : quapropter trecentos ſexaginta quinque Caelos, quos Baſilides ſomniavit, totidem humani corporis membris reſpondere dictitabant, ut refert S. Epiphanius ad Haereſim 24. *Deinde hinc homo habet trecentum ſexaginta quinque membra, et unicuique virtutum adtribuitur unum membrum.* Ex his igitur ſuperſtitioſis Amuletis ſeparatum cenſum conſtituerem. Vt vero aliquid ſolidius de hiſce Gemmis, quas *Abraxeas* vocant, ſtatueremus, deſiderandum erat doctiſſimi Chifletii librum perluſtraſſe : at, quum ille nondum ad nos pervenerit, neque mihi detur diutius has lucubrationes morari ; multa facile exciderunt, quae fortaſſe apud illum luculentius pertractantur: ut ingenue fatear, cetera me quidem ſemper dubie, hoc vero argumentum etiam timide adtigiſſe.

VIII.

VNVM ſupereſt, ut de altero Gemmarum genere, quod libenter *Sepulcrale* adpellaverim, aliqua delibentur: ex-

experientia enim compertum eſt, magnam Gemmarum vim funeſtis ſymbolis ornatam eſſe, ut mihi nullo modo perſuadeam, illas in vivorum uſum fuiſſe comparatas, veluti quae triſte augurium praeſeferrent : ut Neroni dirum atque exitiale reputatum eſt, quod paullo ante necem anulus ei a Sporo donatus eſſet, in cuius Gemma Proſerpinae raptus inſculptus erat, ut in eius vita Cap. 46. narrat Suetonius. Ad hoc caput referrem aras, columnas ſepulcrales, inferias, apotheoſes, eorumque inſignia, pavones, et aquilas, infernaque Numina, quorum ſpecimina ſaepiſſime nobis occurrunt, ſi Gemmarias Collectiones evolvamus : quae notae ad mortuorum magis memoriam ornandam, quam in omnem vitae uſum ſcalptae reputantur.

Adcedit Veterum teſtimonium, quo manifeſte evincitur, Antiquos eo uſque ineptiſſe, ut Gemmas quoque ſepelirent, ut praecipue conſtat ex *Leg. fin. ff. deliber. legat.* in qua huiuſcemodi teſtamentum mulieris refertur : *Funerari me arbitrio Viri mei volo, & inferri mihi quaecumque ſepulturae meae cauſa feram : ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, et viriolas ex ſmaragdis.* Hoc vero Leges duodecim Tabularum inviſum maxime habuerunt, apud quas ſtatutum legebatur, neque aurum Sepulcris inferri : quam ſanctionem renovavit Lex quarta ff. ad Legem Iuliam de peculatu, Lex XIV. §. v. ff. de mort. inferend. *Non autem oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud huiuſmodi, quod homines ſimpliciores faciunt.* Quae poſtrema verba clare oſtendunt, haec Legum praeſcripta non diu obtinuiſſe : quod etiam evidentia demonſtratur, quum in Sepulcris Gemmarum praeſertim ſcalptarum, maxime vero anulorum copia, ſaepiſſime inveniatur,

niatur, qui cineribus in ſignum nobilitatis, ſeu dignitatis conmixti, et impoſiti reperiuntur.

Credendum vero eſt, delectum aliquem habuiſſe Veteres in harumce Gemmarum electione, ut quae feralibus ſymbolis ornantur, in uſum mortuorum eſſent comparatae. Quae dum animo volverem, mihi iterum in conſpectum oblatae ſunt illae omnium nobiliſſimae, ac ingentes (Gemmas ne dixerim, an Tabulas Gemmeas ignoro) quae Pariſiis in Sanctae Cappellae, ut dicunt, Theſauro, et Viennae in Muſeo Caeſareo adſervantur, in quibus, quia Caeſarum conſecrationes continentur, veluti per antonomaſiam Gemmae *Caeſareae*, *Tiberianae*, atque *Auguſteae* vulgo audiunt. At meditanti mihi in quem uſum ſcalptae eſſent (nam prae ſui mole nulli veſtium, aut armorum generi conveniunt) facile in mentem ſubiit Caeſareis Tumulis fuiſſe dedicatas, & vel Vrnis inſitas, vel operculi loco ſuperpoſitas, tanto vulgaribus ampliores, quanto hi, quibus adſcriptae eſſent, ceterorum fortunam exſuperarant. Cameum quoque Carpineum iis adcenſerem, in quo Vir, & Mulier ſub Bacchi, et Ariadnes ſpecie, curru a Centauris trahuntur. Eorum vultus ignoramus quidem; ſed non ita latet Auguſti, & Liviae imago in alio Cameo Auſtriaco, in quo conſimili vehiculo a Centauris in caelum efferuntur, occurrente illis Victoria, ſeu Aeternitate, aut Dea Iuventa, a qua, veluti in ſignum divinitatis, coronantur; nam haec Bacchica myſteria, quae ad animarum expiationem maxime conferre putabantur, ſepulcralibus ornamentis paſſim deputari ſolebant. Quae coniectura, niſi a Viris doctis improbetur, maxime conducens erit ad plurima in hiſce Gemmis ſymbola interpretanda, quorum recta cognitio ab ipſo Gemmarum

marum uſu, et fine, in quem ſcalptae eſſent, declaratur, et manifeſtatur.

Finem hiſce Prolegomenis iam impoſueram, quum interim alterius pulcherrimae Gemmae cȣpon mihi oblatum eſt. Decrevi eius deſcriptionem hoc loco inſerere; eius vero adſpectum opportuniori loco reſervare. In infima Gemmae parte tumeſcit mare, quod hinc inde claudunt tortuoſi Piſtrices, qui functi officio ſuo circa totidem illuſtres Animas, quas longa aequora in purgationem ad finem uſque Oceani detulerunt, erectis criſpantibus caudis ſibi plaudunt ſe eos ad caelites tranſmiſiſſe. In medio Triton buccina canit, ut plauſum ciat. Dextera Gemmae parte vehiculum ad caelum tollitur, quod gemini alati equi vim caeleſtem, atque impetum ſpirantes adtrahunt. Sedent in curru equis averſi, et inferiora intuentes, Vir togatus, corona inſignitus, Mulierque velata, quorum cuſtodes Genii, facem adtollentes, praeit unus, alter ſubſequitur. Elegantiſſima haec ſcalptura, non adeo diſſimilis eſt alteri, quam protulit Eximius Bonarrotius in Notis ad triumphum Bacchi, niſi quod in hac poſtrema Animae, quae in caelum evehuntur, Bacchico cultu ornantur. Currus a Centauris agitatur, inferne non Triton, ſed Oceanus, et Nymphae proceſſum ſpectant. Equi alati, qui ſtellis tribuebantur, convenientiſſime Animabus adſignari poterant, veluti quae in ſtellas abire putarentur, ut oſtenſum eſt in Diſſertatione *de Tranſvectione Animarum*. Huic opinioni famulantur Animarum Genii, qui quum faces humanae vitae ſymbola in terris depreſſerint, novas aeterno lumine micantes extollunt. Mulier velata, et Vir coronatus non vulgari indicio teſtantur quaeſitam meritis divinitatem. Procedunt vero, ut fere ſemper in ceteris, ad terram converſi; ut

ſignificetur aliquid humani ad caelites ferre miſericordiam, et providentiam. Huius vero Gemmae ductum obſervanti mihi, animadvertere contigit constantem illam conſuetudinem, per quam in hiſce Gemmis feralibus Animae ſemper a dextera Gemmae parte, et ſiniſtra intuentium in caelum conſcendunt. Sic in Gemma Carpinea, ſic in Gemma Auguſtea, ſic demum in Achate Tiberiano, in quibus omnibus, quum de Animarum Apotheoſi negocium ſit, haud poenitet me dixiſſe ſimilem caerimoniam ſub Bacchico habitu in Gemma Carpinea occultari. Hae vero cum prae ſui mole anulos refugiant; prae ſignificatione vero nec veſtibus, neque ſupellectilibus convenirent, ſicuti ad honorem Mortuorum ſcalptae erant; ita ad illos unice ornandos factas fuiſſe exiſtimo, adeout anulorum ſepulcralium uſus in ampliores quandoque Gemmas degeneraverit.

Ex Ectypo Muſei Paſſerii

I. V. ſc.

THESAVRI GEMMARVM ANTIQVARVM ASTRIFERARVM PARERGA INLVSTRATA

IOVIS VICTORIS SYMBOLA in fronte Operis

AGMEN ducit GEMMARVM ASTRIFERARVM elegantiſſima Sarda, quam nuper ſibi comparatam opulentiſſimo Muſeo ſuo addidit V. C. Ianus PLANCVS. Operis artificium exquiſitiſſimum eſt; nam ſingulas eius partes intuenti mihi armato oculo, viſa ſunt in anguſtiſſimo ſpatio omnia adeo abſoluta eſſe, ut vix melius in ampliſſimo fieri potuiſſent. Symbola omnia ad IOVEM VICTOREM pertinent: aquila nempe arae inſtans, quae victoriae inſignia ſunt, roſtro praefert coronam, et palmam, atque unguibus fulmen, ipſumque implexum caduceo, prehenſat. Ne vero ambigeremus cui nam ſubiecta ara dicata eſſet, ſolertiſſimo Artifici placuit in eius fronte typum VICTORIAE bigam ducentis inſculpere: quo monemur, aram hanc illam eandem eſſe, in qua devictis Gigantibus ipſe Iupiter ob victoriam ſacrificavit: quamque proinde in perenne facinoris monimentum aſtris decoratam in Caelo conlocavit: quod ingenioſe exprimitur in hac Gemma, praefixis hinc inde Solis, & Lunae ſymbolis. Opportune Manilius Libro 1. verſ. 410. & 421.

——— Victrixque ſolutis
Ara nitet ſacris vaſtos quum terra Gigantes
In Caelum furibunda tulit. ———
——— Tunc Iupiter arae
Sidera conſtituit, quae nunc quoque maxima fulgent.

Manſit inde IOVIS VICTORIS titulus, quem potiſſimum invocabant in belli diſcrimine duces, ut victoriam portenderet. Livius Lib. X. *Papirius in ipſo diſcrimine, quo templa Diis immortalibus voveri mos erat, voverat IOVI VICTORI, ſi legiones hoſtium fudiſſet, pocillum mulſi, priuſquam temetum biberet, ſeſe facturum.* Idem quoque auctor meminit NICAEI IOVIS, ad cuius templum Rex Perſes caſtra poſuit, ut Lib. XLIII. narrat.

Caduceus fulmini iunctus eſt, optimo ſane conſilio; ut indicaretur, prudentiam cum fortitudine coniungi debere: ſeu pacem, atque artium ſtudia poſt bella, et victorias curanda eſſe, ut quodammodo iniuria humano generi per caedes inlata, virtutum incrementis compenſetur: quod utinam Italiae noſtrae datum ſit, ut bello alieno fatigata, pacis praemia aliquando experiatur.

DIANA TAEDIFERA INTER PLANETAS

In littera Q *Dedicatoriae initiali in Volumine I.*

In hoc emblemate inluſtrando, haud opus eſt, ut plura heic adferamus, quum adſimile occurrat in ſequenti Tabula LXI. quam, ſi otium eſt, adeat benevolus Lector.

PAN

PAN NATVRAE SYMBOLVM
INTER ZODIACI SIGNA
In fronte Praefationis Voluminis I.

In hac praeclara Gemma ex Medicea Dactyliotheca depromta, PAN inter Zodiaci signa expreſſus cernitur; cuius reconditas ſignificationes paucis indagare operae pretium erit. Primum igitur, quod ad ſignorum Zodiaci diſpoſitionem adtinet, non pauca iam ad Tabulam XVII. mox exhibendam adferimus, et explanamus, quae nunc praetermittenda cenſemus. Verum quanquam in utraque Gemma eadem Zodiaci ſigna varium ordinem teneant; hoc unum tamen omnes commune habent, quod *Aries* ſummum Caeli locum obtinere conſpicitur; atque, ut loquitur Manilius Lib. I. verſ. 263.

Aurato princeps ARIES *in vellere fulgens*
Reſpicit admirans adverſum ſurgere TAVRVM.

Siquidem Veteres credidere, in Mundi exordio *Arietem* ſummum Caelum tenuiſſe, teſte Macrobio in Somnium Scipionis: *Aiunt, incipiente die illo, qui primus omnium luxit, ideſt, quo in hunc fulgorem Caelum, et Elementa purgata ſunt, qui ideo* MVNDI NATALIS *iure vocitatur*, Arietem *in medio Caelo fuiſſe: et quia medium Caelum quaſi Mundi vertex eſt*, Arietem *propterea primum inter omnes habitum, qui, ut Mundi caput, exordio lucis, adparuit:* quo et adluſit Virgilius Georgic. Lib. II. verſ. 336. ubi verno tempore Mundum creatum fuiſſe credit:

Non

Non alios prima creſcentis origine Mundi
Inluxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem,
Crediderim: Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis ———————————

Igitur PAN, qui in hac praeclara caelatura medium caeleſtis ambitus tenet, Naturam repraeſentat, quam caeleſtium Corporum, ſtata revolutione, divina Providentia moderatur. Sic enim de eo loquitur Orpheus in Hymno:

PANA voco fortem, Mundi integrum,
Caelum, et Mare, et Terram omnium Reginam,
Et Ignem immortalem: illa enim membra ſunt PANIS.
Omnia generans, Creator omnium celebris Daemon:
Rector Mundi, Auctor, Lucifer, fructuoſe Paean.
Tibi enim immenſae Terrae planities confirmata eſt,
Similiterque indefeſſi Ponti fertilis aqua,
Oceanuſque circum circa in aquis Terram
Circumvolvens, aëreaque pars nutrimenti
Paſcens hominum genus, et immenſum Mundum.

Eundem vero PANA expreſſerunt inflantem tibias, ut Ventos exprimerent, ſive potius harmoniam, eumque rerum nexum, et ordinem, quo cuncta conſtant; quapropter dicitur ab Orpheo,

Harmoniam Mundi pulſans; ———————————

nam idcirco PANA adpellarunt, quaſi *Univerſum* dixeris: quanquam Homerus, ſive eius nomine alius quis auctor, in

in eius Hymno ita vocatum dicat, quod eiusdem recens nati deformitatem Dii intuentes, *universi* riserint.

Pana autem illum vocarunt, quod omnium animum oblectavit.

Astrum vero Solis cum eo iunctum, eius maximum officium, et potestatem in rebus naturalibus monstrat: cuncta enim calore, et motu vivificat, atque partitur. Haec, ni valde fallor, huius Gemmae explicatio est, si Mythologiam respiciamus: si vero Historicam rationem prosequamur, adluditur heic ad Lupercos; nam haec Sacra, caesis caprarum hostiis, Lyceo Pani solemnia habebantur, ut inferius luculenter demonstramus ad Tabulam CV. Huic siquidem pompae facile adludit dispositio Solis, qui scitissime conlocatus est inter signa Aquarii, et Piscium; nam Lupercalia habebantur tertia die post Eidus Februarias, uti ex Ovidio constat Fastor. Lib. II. vers. 267.

Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos
Adspicit: ———————————

quod etiam colligitur ex Varrone de Ling. Lat. Lib. v. *Ego arbitror Februarium, ita dictum, quod tunc februatur populus, idest Lupercis nudis lustratur.*

IV.

IVPITER IN THRONO ADSTANTIBVS VENERE CVM CVPIDINE ET MERCVRIO

In fine Praefationis, quae in Volumine I. legitur.

QVONIAM peculiari Diatribe DE GEMMIS, QVAE ZODIACI SIGNIS ORNANTVR, pertractandum esse, amicissimus GORIVS, huius Operis parens alter, me perhumaniter monet; multa, quae ad hanc perinsignem caelaturam observanda sunt, in ea alibi opportunius, quam hoc loci, proferenda existimavi, quae Doctorum iudicio lubenter proponam. Ea itidem occasione alias antiquas Gemmas iisdem Zodiaci signis condecoratas operae pretium erit expendere, atque reconditis aliquot animadversionibus luculenter inlustrare, ne quid ornamenti huic eleganti GEMMARVM ASTRIFERARVM THESAVRO desit.

GEMMAE PROLEGOMENIS PRAEFIXAE

TROPAEVM fulmini impositum, superexstante stella in medio Gemmae, Iovi facile dicatum est; ipsi enim opima spolia dicari solebant. Festus: *Illorum tanta raritas, ut trina contigerint nomini Romano: una, quae Romulus de Acrone; altera, quae Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia, quae M. Marcellus de Viridomaro fixerunt.* Idem fere tradit Plutarchus in Marcello, nulla post ipsum exstitisse adserens; nam, ut subdit Festus, ea tantum in hoc nu-

numero cenſebantur : *quae dux Populi Romani duci hoſtium detraxit*. Haec vero tanquam ſingularia , et praecipua Romanorum ornamenta , portenti loco quodammodo habebantur , ac veluti digito notari ſolebant. At multo plura fuere ſpolia minoris nominis , quae privata auctoritate templis ſuffixa oſtentabantur ; praeſertim vero in ipſa Religionis arce: adeout non ſemel S. C. cautum fuerit ea revelli , quod locum non deformarent modo , ſed et impedirent. Hinc Virgilius templi fores ſpoliis ornatas deſcribit Aeneid. VII. Lib. verſ. 184.

Multaque praeterea ſacris in poſtibus arma :
Captivi pendent currus , curvaeque ſecures ,
Et criſtae capitum , et portarum ingentia clauſtra ,
Spiculaque , clypeique , ereptaque roſtra carinis.

In dextera Gemma Delphin cum Amaltheae cornu decuſſatus , tridente inſerto , atque ſtelligero orbe ſubiecto , ad victoriam Actiacam adludit. Nam Delphin ipſius Auguſti inſigne fuit , ut ſuſius ſuo loco demonſtrabimus , quod praeterea maritimi imperii dignitatem portendebat : et forte etiam ad Venerem , unde ortus erat , referebatur. Delphinem quoque cum Capricorno iunctum exhibet Tabula CLXIII. inferius propoſita , quam vide. Vtrumque ſignum tanquam fauſtiſſimum adhibuiſſe Auguſtum , adeo perſpicuum eſt , ut nullus dubitandi ſuperſit locus. In eius nummis Delphin in medio laureae coronae gubernaculo inſiſtens cernitur , quo eius imperium auſpicatiſſimum declaratur. At copiae cornu felicitatem , et abundantiam orbi partam ex ea victoria , qua Aegyptus Romanis vectigalis factus eſt , clare ſignificat.

Hinc in eiuſdem Auguſti nummis Capricorno idem ſymbolum adiungitur, orbe ſubiecto. Praeterea idem cornu cum Delphine, duplicem poteſtatem terra, marique propagatam commodiſſime ſignificat. Ovidius Metamorph. Lib. XV. verſ. 258.

Iupiter arces
Temperat aetherias, et mundi regna triformis:
Terra ſub Auguſto; Pater eſt et Rector uterque.

Gemma, quae a ſiniſtris ſculpta cernitur, eloquentiae tota ſacra eſt; nam Mercurii caduceus terrarum globo infixus, facundiam indicat, eamque orbis arbitram eſſe, atque moderatricem. Caduceum ornant geminae palmae, quibus MERCVRII virtus ſignificatur rerum omnium triumphatrix; ipſeque Mercurius indicatur, ut de illo cecinit Orpheus:

Omnia ſuperantem animum habens.

Stellae undique diſpoſitae, Caelum deſignant, in quo Deorum nuncius Mercurius auctoritatem maximam continuo exſcenſu, atque deſcenſu obtinebat; atque, ut eſt apud Horatium Lib. I. Ode IX.

Superis Deorum
Gratus et imis.

Caeli quoque decus dicitur a Martiale Lib. VII. Epigram. 73.

Cyllenes, caelique decus, facunde Miniſter,
Aurea cui torto virga dracone viret.

IN

In Littera O *Prolegomenorvm initiali*

In Achate viridi, qui in Muſeo noſtro exſtat, CERERIS ſymbola conſpiciuntur, ſpica, et copiae cornua, per quae frugum primitiae deſignantur, eidem Deae tribui ſolitae; nam non modo fruges, ſed et poma, praeſertim vero ficus, Cereri accepta referebantur, ut conſtat ex Pauſania in Atticis : *In hac ipſa regione a Phytalo, aiunt, Cererem hoſpitio acceptam, eique, fici ſtirpe donata, gratiam relatam. Id verſus teſtantur in Phytali ſepulcro inciſi :*

Hic Cererem tectis Phytalis ſuſceperat Heros,
Cui primum ſacri largita eſt ſemina pomi,
Quam mortale genus ficum vocat : illius ergo
Muneris aeterno hic Phytali genus floret honore.

Geminae ſtellae, ut auguror, benevolos Planetas ſignificant, qui fauſto influxu ortivam domum Virginis, quae et Cereris habita eſt, fauſta tunc radiatione reſpexerint.

IN FINE PROLEGOMENORVM

CAPVT HERCVLIS IN APRVM DESINENS

Sve hoc aenygmatico typo, HERCVLIS victoria de Apro Erymanthio deſignatur : quod facinus inter cetera a ſe praeclare geſta idem Hercules moriens Iunoni obiecit apud Ovidium Metamorph. Lib. IX. verſ. 192.

Nec mihi Centauri potuere reſiſtere, nec mi
Arcadiae vaſtator Aper. ——————

Hunc laborem fuſe deſcriptum habes apud Apollodorum in Bibliotheca. Stella eius capiti praefixa, ipſum iam divinitate donatum, et receptum caelo indicat. Ovidius loc. cit.

Quem pater omnipotens inter cava nubila raptum,
Quadriiugo curru radiantibus intulit aſtris.

GEMMAE ASTRIFERAE INSCRIPTAE NOTIS PRAEFIXAE.

GEMMA media, hinc inde palmulis, ſeu coronis ornata, inter magicas recenſenda eſt; quippe quae ſeptem Planetarum aſtris ornatur: ſive ex illis eſt, quae in defunctorum ornamentum deputabantur, quorum aeternae vitae ſeptem Triones adſignati erant, tanquam in loco caeli ſublimiore, in quo Piorum animae aevo aeterno fruerentur. Nota decuſſis in altera parte expreſſa, aliud ſibi in aliis monumentis, pro vario illorum uſu, denotabat; nam in nummis valorem deſignabat, in teſſeris ſpectatoriis locum: alibi pondus, et quandoque decuriam ſignificat. Quid vero in Gemmis portenderet, vix adſequi poſſumus pro illarum vario uſu, et ſignificatione. Quod ſi lapillum hunc inter Magicos ablegemus; notas haſce adſequi, vel et ipſis iniquiſſimis nebulonibus incognitas, et fere ſemper fortuitas, deſperata res eſt. Quod unice certum eſt, eadem nota ſaepiſſime occurrit in ſcalpturis, quae

quae idem ingenium referunt. Forte initialis eſt alicuius nominis ex iis innumeris, quae peſſimi hominum, ut credulis imponerent, ſibi confinxerunt.

Gemma dextera in eum cenſum, me iudice, referenda eſt; nam litterae in poſtica inciſae nullum ſenſum reddunt; quales fere omnes ex iis, quas *Abraxeas* vocant, de quibus ſuo loco integram tractationem inſtituemus. Luna inter quinque Stellas, quibus vel totidem ex placidioribus Planetis, vel ipſum Caelum fortuito numero Stellarum expreſſo repraeſentatur, vel ad Horoſcopum alicuius nati pertinet, vel Amuleti loco eſt; nam et partubus praeerat, et pueros, atque puellas communi officio ſervare credebatur: a laborantibus praeterea, et morbo feſſis invocabatur.

Gemma ſiniſtra ex ſignatoriis eſt: quippe nomen poſſeſſoris praefefert Q. DEMAS: quod non aliter legi poſſe credam, quam *Q. Decius Maſculus*. Quinque ſtellae circum nomen diſpoſitae, cum Sole, et Luna in averſa parte ſeiunctis, ſeptenarium Planetarum numerum integrant.

In altera Gemmae facie eiuſdem Lunae invocatio continetur, ambitioſo titulo nuncupata SERVATRIX PIA. Attributum *Servatricis* Lunae, ac Dianae paſſim illi largiuntur antiqua marmora, et veterum nummi non modo Latini, inter quos vulgatiſſimus Gallieni, in quo eſt CONSERVATRIX AVGVSTI; ſed et Graeci, inter quos memorare licet Agatoclis nummum, in quo Diana nuncupatur ΣΩΤΕΙΡΑ. Hoc etiam titulo frequenter apud Graecos audiit, ut colligere eſt ex Pauſaniae multiplici loco.

IN LITTERA Q HARVMCE NOTARVM INITIALI

INſcriptio RVTILS LVSCAS, cuius poſtremae vocis prior V inverſa eſt, mendoſe inciſa fuit a Scalptore Linguae Latinae ignaro. Legendum crediderim RVTILIVS LVSCVS; ad cuius familiae nomen *rutilans Sol* ſuperne inciſus adludit, ut Vituli imago in nummo Voconii Vituli, et his ſimilia.

IN FINE HORVM PARERGORVM

MARMOR GENETHLIACVM

IOANNIS BAPTISTAE PASSERI

HVIVS THESAVRI INTERPRETIS

IN Prolegomenis huius Operis aliqua delibavimus de caeleſtis thematis diſpoſitione, ac legibus, quibus utuntur Mathematici ad caeleſtem poſitionem natalis horae indagandam: quo pertinere diximus non paucas e GEMMIS ASTRIFERIS, quae toto hoc Opere explicatae ſunt. Monuimus tamen non uno in loco, Gemmarios Artifices adluſiſſe potius ad hanc caeleſtium corporum diſpoſitionem, quam illam expoſuiſſe. Vt vero luculentius adpareat, quae differentia intercedat inter utrumque modum, placuit ipſum thema natalis noſtri, quod marmori inſculptum in Muſeo adſervamus, coram proferre, ex quo, ſi qua fides inani ſcientiae, quae certe nulla eſt, haec decreta eruuntur. Temperamentum calidum, ac vehemens: indoles varia, et mutabilis, modo ad martialia officia, modo ad Iovialia; mores ingenui, quandoque

et

et ſaevi ; ingenium acre , et ad occulta perſcrutanda inclinatum ; exercitium nobile , quod leges plerumque reſpiciat ; magiſtratus , et regales adminiſtrationes : ſtatus portenditur vel ſemper , vel diu caelebs , et Eccleſiaſticam militiam reſpiciens : amici multi , ac nobiles ; famuli utiles , et fideles ; itinera multa in votis magis , quam cum effectu : honores , et divitiae plurimae ſupra nati conditionem ; morbi , ac pericula rara , et levia ; vita non omnino longa : mors denique religioſa , quam unam , ex tot promiſſis , impenſe a Deo flagitamus .



In Museo Passerio

Ex Mus. Ficoron. Ex Schedis Bonarr. Ex Mus. Ficoron.

THESAVRI

GEMMARVM ANTIQVARVM ASTRIFERARVM

TABVLA I.

SATVRNVS

VANQVAM Veteres SATVRNVM maxime ſibi adverſum reputarint ; eiuſque aſtrum , quod ſummopere dirum credebant, *frigidum* adpellarit Virgilius Georgic. Lib. I. verſ. 336.

Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet :

Et *gravem* dixerit Propertius Eleg. I. Lib. IV. verſ. 106.

Et grave Saturni ſidus in omne caput :

adtamen Templis , et religionibus illum proſequuti ſunt ;

eo quia cum antiquo Italiae Rege, cui beneficia complura accepta referebant, illum confunderent, et praecipue illi, qui eius dominium in natali hora fortiti essent : unde, ut mitius influeret, in anulis sculptum deferebant : cuius observantiae haec pereximia Gemma, ex Dactyliotheca Goriana depromta, testimonium praebet, quam trinis stellis ornatam conspicimus ; quia reputabant maligni astri dominium benignis *Eductoribus* temperari ; sive, ut verbis utar Servii in Aeneid. x. vers. 625. *bonarum Stellarum inradiationem aliquantulum fata differre :* quod quidem officium Iovi praecipue adtribuit Persius Sat. V. vers. 50.

Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una.

Et Horatius Carm. Lib. II. Ode 17.

——— Te Iovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque Fati
Tardavit alas. ———

His et adsentitur Iulius Firmicus Mathes. Lib. VI. Cap. 3. *Saturnus, si Iovi fuerit trigonica radiatione coniunctus . . . . infinitarum divitiarum copiam cum magna felicitate decernunt.* Haec igitur ratio est cur ei tria astra coniuncta sint in hac Gemma : quorum unum ad ipsum pertinet ; reliqua vero ad Planetas *Eductores*, quorum beneficio temperari reputabant. Falcem manu, et arboris ramum tenet : ad indicandum beneficium Agriculturae, quam Italis tradidisse perhibetur. Macrobius Lib. I. Saturnal. Cap. 7. et 8. *Huic Deo insertiones furculorum, pomorumque educationes, et omnium huiuscemodi fertilium tribuunt disciplinam.* Et

Ar-

Arnobius Lib. III. illum *vitiſatorem*, et *falciferum* vocat, Virgilium imitatus Aeneid. VIII. verſ. 179. dicentem:

> *Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,*
> *Saturnuſque ſenex.* ———————

Spectatu maxime dignum eſt caprae ſymbolum, quod ad Saturni pedes conlocatum cernimus: quo Capricorni ſignum indicatur; hoc enim unum eſt ex duobus Saturni domiciliis, in quibus, quum ille reperitur, fortiorem eſſe, atque efficaciorem tradunt: contra vero debiliorem, ſi in domibus oppoſitis meet *peregrinus*; eo vero magis fortior, ſi in proprio domicilio *exaltatus* habeatur; hoc eſt intra certorum graduum menſuram, quam Aſtronomi praeſcribunt. At quia de hiſce Planetarum domiciliis ſermo iam habitus eſt, et ſaepiſſime nobis habendus erit; iuvat nunc illorum doctrinam in medium adferre, ex Macrobio deſumtam, in Somnium Scipionis Lib. I. quem recentiores omnes ſecuti ſunt: *Aiunt in hac ipſa genitura Mundi Ariete medium Caelum tenente, horam fuiße Mundi naſcentis Cancro geſtante tunc Lunam: poſt hunc Sol cum Leone oriebatur; cum Mercurio Virgo, Libra cum Venere; Mars erat in Scorpio, Sagittarium Iupiter obtinebat, in Capricorno Saturnus meabat. Sic factum eſt, ut ſinguli eorum Signorum domini eße dicantur, in quibus quum Mundus naſceretur, fuiße credunt; ſed duobus quidem luminibus ſingula tantum ſigna adſignavit antiquitas, Cancrum Lunae, Soli Leonem.* Et, ut brevius referam, quae de ceteris ſubinde tradit: *quinque reliqua ſigna ceteris Planetis adtribuit, nempe Saturno Aquarium, qui ſequitur Capricornum, Iovi Piſces: Aries Marti, Taurus Veneri, Gemini Mercurio adſignati ſunt.* Haec igitur potiſſima ratio eſt, cur ſaepeſaepius

Planetis haec Zodiaci ſigna tribuerint Veteres ; quam niſi perſpectam habeamus , in illorum explicatione inaniter laborabimus .

TABVLA II.

SATVRNI ET SOLIS CAPITA

SATVRNVM prodit inſigne falcis , de quo ad priorem Tabulam aliqua praefati ſumus. Eius praeterea adſpectus talis eſt , qualis a Fulgentio Mytholog. deſcribitur : *Velato capite ideo fingitur , quod omnes fructus foliorum obnupti tegantur umbraculo* . Albricus vero in Libello de Deorum Imaginibus , ita illum nobis deſcribit : *Homo ſenex , canus , prolixa barba , curvus , triſtis , et pallidus ; tecto capite , colore glauco , qui una manu , ſed dextra , falcem tenebat* . Saturni vero , et Solis coniunctionem in eodem geniturae hoſpitio triſtia multa portendere ſcripſit Firmicus Lib. VI. Cap. 25. et cum eo Coniectorum turba : qui tamen in Gemma hac geminos exprimi curavit , religionem potius , quam hariolationem reſpexit : ut enim propitia eorum Numina ſibi devinceret , amborum capita ſibi incidenda curavit .

Digniſſima notatu eſt forma aſtri Saturno ſuperimpoſiti ; nam globoſa eſt , et ſine ullo radiorum indicio , quo Stellae plerumque exprimuntur . Globum hunc minime pro eius ſtella ſumeremus , niſi in alia Gemma , quam explicabimus ad Tabulam XXXIV. idem Saturni caput intueremur ſimili globulo ſuperne adiuncto ornatum . In aliis etiam huius Operis Gemmis aliquando ſtellae ita effictae ſunt , et praecipue in XCIII. CIII. CXXXV. et in meo Marmore , quod in fine , Diſſertatione

ne adlata, *De tranſvectione animarum* publicabimus: quam notitiam unice debemus harum beneficio Collectionum; nam, quae ſeparatae ingenium torquebant, ubi ſimul multipliciter conferuntur, mutuo auxilio ſeſe invicem explicant. Inter cetera vero aſtra maxime Saturno conveniebat globoſa illa, atque iners corporis forma, nullis ignibus, aut radiis diſtincta; quippe quae, quum omnium remotiſſima a nobis cenſeatur, reſpectu noſtri tardiſſima habetur, ac frigidiſſima; quibus etiam epithetis frequenter, ut monuimus, audit apud Poëtas, quos etiam multiplici in loco infra adducturi ſumus. Ad rem facit Luciani locus in Libro de Aſtrologia: *Sed fertur Saturnus externo motu longe a nobis, eſtque motus illi ſegnis, nec hominibus facile conſpicuus; quamobrem illum veluti vinctum ſtare dicunt.*

Subeſt etiam alia ratio, cur eius orbi radii denegentur, quemadmodum et Lunae, quam in eumdem modum aliquando expreſſam fuiſſe oſtendit idem Marmor Muſei noſtri; quod nempe uterque Planeta inter ſubterraneos cenſeretur: et quidem Saturnum in Tartaro locat Aeſchylus in Prometheo vincto verſ. 219.

Atque ita meis conſiliis Tartari ater
Hiatus occultat Saturnum antiquum
Vna cum ſociis; ——————

quo reſpexit Mythologiae ſcitiſſimus Naſo noſter Metamorph. Lib. I. verſ. 113.

Poſtquam, Saturno tenebroſa in Tartara miſſo,
Sub Iove Mundus erat. ——————

Plutarchus quoque Quaeſtion. Roman. II. ipſum Inferis ad-

adcenſet : *Romani Saturnum putant Deum eſſe ſubterraneum, et terreſtrem.* Hinc minime mirandum, ſi inter duodecim Deos Conſentes non inveniatur. Huius vero calamitatis phyſicam rationem reddit Lucianus loco citato, quop nempe quum longiſſime a nobis feratur : *ingens altitudo Tartarus vocatur.*

TABVLA III.

CAPVT TELLVRIS

DEae TELLVRIS, ſeu CYBELES caput heic nobis obiicitur. Turritum eſt, ut fere ſemper in Veterum Monumentis, et ſcriptis repraeſentatur. Virgilius Aeneid. Lib. VI. verſ. 786.

——————— qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per Vrbeis.

Et Propertius Lib. III. Eleg. XV. verſ. 35.

Vertice turrigero iuxta Dea magna Cybelle :

quale geſtamen ei adtributum eſt, quod Vrbes ſuſtinere, et cuſtodire credebatur. Lucretius Lib. II. verſ. 606.

Muralique caput ſummum cinxere corona ;
Eximiis munita locis, quod ſuſtinet Vrbeis.

Eius vero caput inter gemina copiae cornua diſpoſitum eſt ; ad oſtendendum, Tellurem omnigenum fructuum matrem, et hominum altricem eſſe : quod confirmant Homero tributa carmina in eius Hymno :

Ex

Ex te autem boni filii, et boni fructus exiſtent,
Veneranda: in te autem poſitum eſt dare vitam, et auferre
Mortalibus hominibus.

Et Orpheus in altero in illam Hymno:

Terra Dea mater beatorum, mortaliumque hominum,
Omnia nutriens, omnia dans, fruges producens, omnia perdens,
Augens virilitatem, fructifera, pulchris temporibus florens.

Aſtrum Solis Telluri imminet; nam ab illo calorem, et rerum gignendarum virtutem accipit. Hinc idem Orpheus Solem vocat *Mundi Rectorem, et Dominum;* eiuſque in Terram dominium ita explicat Macrobius in Somn. Scipionis Lib. 1. *Iure ergo cor Caeli dicitur Sol, per quem fiunt omnia, quae divina ratione fieri videmus .... Cur vero et temperatio Mundi dictus ſit, ratio in aperto eſt; ita enim non ſolum Terram, ſed ipſum quoque Caelum temperari Sole certiſſimum eſt.* Et Saturnal. Lib. 1. Cap. 18. *Solem vero terrenae eſſe feunditatis auctorem, idem Poëta profano mox docuit exemplo, quum ait:*

Saepe etiam ſteriles incendere profuit agros.

Si enim hominum commento ignis adhibitus multiplex praeſtat auxilium, quid aſcribendum eſt aethereo Solis calori?

TABVLA IV.

CYBELE

DEAM Tellurem magnifico ſolio inſidentem, et ſceptro innixam, refert nobis haec Gemma, cuius cctypum in meo Muſeo ſervatur. Sedentem vero, hoc

eſt

eſt ſtabilem, atque, ut illam vocat Homerus in Hymno, *bene fundatam*, ſemper quod viderim, effinxerunt; quaſi eo ſtatu dignitatem illius indicarint, ob quam *omnium Regina* dicitur in altero Orphei Hymno, a quo rurſus ita deſcribitur:

Sceptrifera incluti Poli, celebris, veneranda,
Quae occupas Mundi medium thronum; quoniam ipſa
Terram tenes, mortalibus nutrimenta praebens dulcia.

Dextera manu globum ſuſtinet: per quem ipſam ſui figuram, et ſymbolum demonſtrat. Id adtributum non ex hoc uno monumento ſibi vindicat; nam et in altero Simulacro marmoreo, quod Romae ſervabatur in Hortis Papae Iulii, cuius imaginem profert Boiſſardus Antiquitat. Tom. v. Tab. XXXVII. haec Dea ingenti globo ſub brachio ſiniſtro ornatur: niſi forte velimus, in utroque Monumento globum pro tympano expreſſum eſſe: id enim inſtrumentum ex una parte quidem, qua corium obducebatur, planum erat; ex alia vero, quae in modum cortinae prominebat, rotundum. Plinius Hiſt. Nat. Lib. IX. Cap. 35. *Quibus una tantum eſt facies, et ab ea rotunditas, averſis planities, ob id tympana nominantur.* Id vero inſtrumentum huic Deae peculiariter adtribuit Homerus in eius Hymno:

Cui crotalorum, tympanorumque ſonus, ſimulque tremor tibiarum
Placuit.

Et Orpheus in altero in eius honorem Hymno:

Veni ad ſacrificium, veneranda, tympanis gaudens;

quibus adſentitur prae ceteris Catullus Eleg. LXII. verſ. 18.

Ni-

Niveis citata cepit manibus leve tympanum,
Tympanum, tubam, Cybelle, tua, Mater, initia,
Quatienſque terga tauri teneris cava digitis.

Caput huius Deae, ut alioqui ſemper, velatum eſt, non modo ad dignitatem ſimulacris conciliandam ex eo habitu, qui ſacrificantum proprius erat; verum etiam ad oſtendendum Terram ipſam Caelo nubi, atque obvelari; quod mirifice declarant quatuor aſtra circa eandem Deam diſpoſita, per quae firmamentum indicatur. Pulchre ad rem Orpheus in Hymno Terrae:

Terra Dea .... circa quam Mundus variatus aſtris
Volvitur natura ſempiterna, et fluxibus gravibus.

Illa enim et *Caeli uxor*, et *Caeleſtis* in altero Hymno apud eundem nuncupatur, et in Hymno Homeri:

Salve Deorum Mater, Vxor Caeli ſtellati.

TABVLA V.

CYBELE

RVRSVM occurrit eiuſdem Deae typus, non ſatis quidem conſpicuus, niſi quod Leonem manſuetum demulcet, et paſcit; nam id animal eiuſdem Deae proprium erat: quo plane monſtraretur, nihil tam potens, ac ferum eſſe, quod ipſa communis mater, et altrix non edomaret; nam apud Orpheum duplici in illam Hymno dicitur: *omnia domans, et omnia nutriens:* cui adſentitur Fulgentius Lib. III. Mytholog. ex quo factum eſt, ut eius thenſam, ſeu currum a Leonibus tractum fingerent. Orpheus loco citato:

iungens celerem currum Leonum.

Et Claudianus Lib. III. de laud. Stiliconis:

huc Orgia secum
Transtulit, et Phrygios Genetrix turrita Leones.

Solis, et Lunae astra huic imagini iuncta sunt, ad declarandum, Terram ipsam, omniaque animantia, et praesertim homines eorum virtute confoveri. Hinc in praecitatis Orphei Hymnis Sol *Mundi rector* vocatur: Luna vero modo dicitur *ferens fructum;* modo vero *fruges producens*. Vtrumque vero Planetam complectitur Macrobius in Somnium Scipionis Lib. I. Cap. 19. *Vitam vero nostram praecipue Sol, et Luna moderantur. Nam quum sint caducorum corporum haec duo propria, sentire, vel crescere,* ΑΙΣΘΗΤΙΚΟΝ, *idest sentiendi natura, de Sole;* ΦΥΤΙΚΟΝ *autem, idest crescendi natura, de Lunari ad nos globositate perveniunt. Sic utriusque luminis beneficio haec nobis constat vita, qua fruimur.*

TABVLA VI.

CYBELE

ITERVM, sed sub diverso adspectu, nobis sese offert eadem CYBELE turrita, Leoni insidens in hac Gemma Goriana. Illa quidem plerumque, ut supra diximus, curru invehitur, cui Leones iuncti sunt. Sed quando loci angustia, ut in hisce Gemmis, vehiculum non admittit, uni Leoni insidens efficta est, ut aliquando me vidisse memini, praecipue vero in nummo Commodi cum Inscriptione: MATRI DEVM CONSERV. AVG. immo legimus apud Plinium Lib. XXXV. Cap. 10. Nicomachum pinxisse:

Deum-

Deúmque Matrem in Leone ſedentem. Dextra manu fulmen ſuſtinet : quod adtributum rarum quidem eſt in eius imaginibus, ſed non alienum. Sic enim illam deſcribit Phurnutus de natura Deorum Cap. VI. de Rhea : *Hanc inducunt tympanis, et cymbalis, et fulmine, aut lampadibus gaudentem*. Norunt enim etiam Veteres fulmina quaedam e terra naſci, quae *atterranea* adpellat Seneca Quaeſtion. natural. Lib. II. Cap. 49. qui etiam fulmina alia, quae *inferna* nuncupat, recognoſcit ; *quae nempe e terra exſiliant ignes :* nec enim uni Iovi manubias adtribuit Antiquitas, ut notat Servius in Aeneid. Lib. I. verſ. 46. Varro divinarum quinto, *quatuor Diis fulmina adſignat :* at paullo infra, tres tantum ex illis nominat, *Iovem*, *Iunonem*, et *Minervam ;* quartum vero, vel ob religionem reticet, vel excidit ex Codicibus. Ex illis vero, quae praemiſimus, Terram inter eos reponere non recuſamus. De ſceptro, et aſtro Solis eidem Deae adiecto, ſatis ſupra diſſeruimus.

TABVLA VII.

IVPITER MILICHIVS

IOVEM, qui exhibetur placidus, et inermis, ſolo ſceptro, et ſimpulo ſacrificiali contentus, nihil praeter maieſtatem, et religionem oſtentat, MILICHIVM recte dixeris, hoc eſt *placidum*, et *manſuetum*. Ad ipſum, eos qui caede polluti eſſent, confugiſſe narrat Pauſanias in Atticis, et in Corinthiacis, ubi antiquiſſimam eius imaginem ita deſcribit : *Sunt autem Milichii Iovis, et Dianae, cui Patroae cognomentum, rudia, et ſine ulla arte facta ſigna. Milichius pyramidis, Patroa columnae figuram habet*. Plane ea,

ut plurimum , fuit primaevorum ſimulacrorum ratio , ut obſervabimus ad imagines Paphiae Veneris . Aſtrum ad eius Planetam , quem quis natalis ſui arbitrum ſortitus eſt , pertinet .

TABVLA VIII.

IVPITER VICTOR

AQVILA , quae roſtro coronam Iovi porrigit , ad eius victoriam de Gigantibus adludit ; quae enim ipſi fulmina tunc miniſtraverat , et volatu ſuo omen triumphi portenderat , nunc coronam , Victoriae indicium , illi exhibet . Lactantius Firmianus Lib. 1. Cap. 2. de falſ. Relig. *Quum Iupiter in Inſula Naxo contra Titanas proficiſceretur , et ſacrificium faceret in littore , Aquila ad eum advolavit , quam victor bono omine acceptam , tutelae ſuae ſubingavit* . Mythica pariter hiſtoria etiam ante , conſediſſe illi aquilam in capite , atque eidem regni augurium oſtendiſſe , teſtatur . Hinc Callimachus in eius Hymno , auguriorum nuntiam nominat :

Sed conſtituiſti avem omnium praeſtantiſſimum nuntiam
Tuorum auguriorum . ———————

Tres ſtellae Caelum denotant , quod ille in Naturae diviſione ſortitus eſt ; vel geminos Planetas , qui cum Iove opportune conſtituti , in natalis hora fauſta omnia alicui promittebant .

TA-

TABVLA IX.

IVPITER VICTOR

ITERVM ſeſe oſtendit in hac quoque Gemma, priori fere conſimili, imago IOVIS; niſi quod Aquila ſerto caret. Repraeſentatur vero iam quietus, et Caeli dominus, atque arbiter, ob Solis, et Lunae inſignia hinc inde diſpoſita; per quae ſymbolice, ut ſaepe vidimus, tota Caeli machina ſignificatur. Sol e regione poſitus eſt, tanquam lucis, et diei auctor; Luna vero noctis arbitra a tergo locata eſt.

TABVLA X.

IVPITER VICTOR

EADEM, quae in priore Gemma obſervata ſunt, in hac iterum occurrunt. Hoc amplius in hac habet IVPITER, quod inter duo ſigna militaria conſtitutus eſt. Inter haec vero primum locum obtinet Aquila, quae totam Legionem deſignabat, ut omnia oſtendunt monumenta. Rei originem narrat Plinius Lib. X. Cap. 4. *Romanis eam legionibus C. Marius ſecundo Conſulatu ſuo proprie dicavit. Erat et antea prima cum quatuor aliis: Lupi, Minotauri, Equi, Aprique ſingulos ordines anteibant. Paucis ante annis ſola in aciem portari coepta erat: reliqua in Caſtris relinquebantur. Marius in totum ea abdicavit.* Nemo vero dubitat tantum honorem illi adtributum ob Iovem; hinc et ritu adeo ſacra habebatur, ut in hibernis loculo includeretur, quem Dio vocat ΝΕΩΝ, et Polybius ΝΑΙΔΙΩΝ, ac ſi dixeris *parvum templum;* cuius formam aliquando

in

in nummis obſervamus. At in hac Gemma non Aquilam modo inter ſigna conlocatam ; ſed Iovem totum Victoris ſpecie coronam de Aquilae roſtro accipientis conſpicimus. Stellam quoque Iovis cum Solis, et Lunae aſtro inciſam heic obſervamus : quae omnia pertinent ad alicuius militis horoſcopum, qui inde militares honores ſibi augurabatur. Hoc praecipue promittit Firmicus Lib. VI. Cap. 4. *Si Iupiter fuerit Lunae trigonica radiatione coniunctus, alios exercitui praeponunt, aliis maximarum Provinciarum iudicia committunt.*

TABVLA XI.

IVPITER VICTOR

IVPITER, proprio inſignitus Aſtro, ſacrificaturus adſtat prope aram, in qua, ob victoriam de Gigantibus reportatam, ſacra ſuperis fecit. Aquila Victoriae adminiſtra, atque una ſimul auſpex, arae inſiſtit, et veluti religionem occupat, atque indicit Iovem ſuum deinceps non ſacra-facturum, ſed habiturum. De hoc eodem typo aliqua dicta ſunt ad Gemmam in fronte Operis expreſſam, atque alibi ſparſim.

TABVLA XII.

IVPITER ET FORTVNA

IOVEM comitantur in hac Gemma Solis, et Lunae inſignia, ex quorum benefica radiatione multa proſpera Aſtrologi repromittunt : quod indicare voluit ingenioſus Scalptor, qui Fortunam Iovi copulavit. En eiuſdem Firmici perſpicua auctoritas : *Iupiter, ſi fuerit Soli trigonica ra-*

ratione coniunctus, et ſint ambo in opportunis geniturae locis poſiti, decernunt maxima nobilitatis augumenta, adfluentiamque divitiarum, copioſa praeſidia, et magnae etiam gloriae inſignia largiuntur.

TABVLA XIII.

IOVIS CVRRVS

PERRARAM hanc Gemmam nunc primum producimus ex opulentiſſima Dactylotheca nobiliſſimi, ac ornatiſſimi Viri Annibalis de Abbatibus Oliverii, cuius virtutibus, atque doctrina ſummopere patria haec noſtra exornatur. Multa inde ad hanc GORIANAM Collectionem augendam, atque ornandam ſelegimus, inter quae Gemmam hanc ſpectatu digniſſimam, in qua IVPITER curru vehitur, unde biiugas aquilas loro regit, aſtro praefulgente, ſubiectiſque Arietis, et Librae ſignis; unde clare colligimus thema natalis alicuius eam continere. Quod vero pertinet ad eius explanationem, obſervare licet, Antiquos Diis omnibus currum adtribuiſſe; aſtris vero ſingulis proprios equos: quod ſuo loco opportune comprobabimus. His tamen minime obſtantibus, non adeo frequenter contigit in Antiquitate figurata Deos Curules obſervare: ſi enim Solem, Lunam, Bacchum, ac Mercurium excipiamus, ceterorum Deorum curriculi rarius occurrunt, ac praeſertim Iovis, qui libentius vel recto ſtatu, vel ſedens ſtngebatur. Hinc raritatem huius Gemmae iure merito adſtruimus. Apud Poëtas vero Iupiter frequentiſſime curru agitur. Sic apud Homerum Θ:

Iupiter autem pater ab Ida, pulchras rotas habentem currum, et equos

In

In Olympum impulit ; Deorum autem pervenit ad ſedes :
Huic autem et equos ſolvit inclutus Neptunus ;
Currus vero ſuper altaria poſuit linea tegmina obtendens.

Callimachus quoque currum Iovi adtribuit in eius Hymno:

Non te Deorum Regem ſortes conſtituerunt ; ſed opera manuum,
Tuaque potentia et robur, quod etiam collocaſti prope currum tuum ;
Sed conſtituiſti avem omnium praeſtantiſſimam nuntiam
Tuorum auguriorum. ———————————

Hunc vero currum aureum fuiſſe perhibet Nonnus Dionyſiac. Γ.

Sic dicens, dimiſit Agenoriden exſulem
Iupiter Saturnius, et velox in aetheriorum ambitum aſtrorum
Aureum agitavit currum: adſcendes vero Victoria
Agitavit caeleſti paternum equum flagello.

Subiectum Librae ſignum oſtendit eiuſdem Planetae ſtatum in natali hora : quod non adeo felicia portendere tradit Firmicus Lib. v. Cap. 4. ſed quia Aries hic iunctus eſt, qui Libram diametra radiatione proſpicit, ſi in eo Planeta aliquis, et ipſe Saturnus inventus ſit, laetiora repromittit.

TABVLA XIV.

IVPITER CVM DIOSCVRIS

HVNC eumdem Deorum nexum, ſive conſortium iterum obſervabimus in Tabula LXXXI. ad cuius ornatum aliqua adnotabimus de ratione huius coniunctionis, quod

quod nempe Iupiter illorum pater haberetur, ſi Mythologiam reſpiciamus: ſi vero Veterum Aſtrologicas rationes, quae in hoc Gemmarum genere primas partes obtinent, nihil aliud nexus iſte ſignificat, quam Iovem in Geminorum ſigno horoſcopantem. *Quicunque eum ſic habuerint, in maximis gloriis erunt, et poteſtatibus, in amicitiis noti, et gratia ſemper ornati:* ut loco ſuperius citato idem Firmicus auguratur. Luna Iovi imminens ipſum Planetam ſignificat opportuno adſpectu natale momentum inluſtraſſe; unde felicitatis auguria, ſi quid hae nugae poſſunt, augebantur.

TABVLA XV.

IVPITER ARGAEVS

Ad Iovem pertinet MONS ARGAEVS, qui omnibus, quotquot circa ſunt Caeſaream Cappadociae imminet, ut ait Plinius Lib. VI. Cap. 3. Hunc vero totum non modo ſacrum, ſed pro Deo habitum apud Cappadoces, plures tradunt, et inter hos Maximus Tyrius: *Mons apud Cappadoces pro Deo eſt, pro iuramento, atque ſimulacro.* Hinc minime mirabimur, ſi in nummis Caeſareaenſium, tanquam Dei Patrii effigiem, hunc Montem expreſſum conſpiciamus. Solinus quoque huiuſce Religionis clarum teſtimonium profert per haec verba: *quemque indigenae populi habitari Deo credunt.* Id vero facile contigit in omnibus fere altiſſimorum Montium cacuminibus, in quibus veterum Scriptorum conſenſu Iupiter ſumma religione potiſſimum colebatur: ut enim externa exempla mittam, in Montis Olympi, Caſii, Idae, atque etiam in Apennini vertice ab Iguvinis noſtris colebatur, ut oſtendit Ara marmorea,

inde effossa , et in Museum Veronense nuper inlata , cum inscriptione :

IOVI
APENINO etc.

Haec vero Argaei Montis sanctitas colligitur , praesertim ex Iovis statua , quae cacumini insistit. Eiusdem autem Numinis religio adeo subiectum populum tenuit , ut nonnisi a Iove , quem *Mazeum* quoque vocari diximus in Roncalienſibus , civitatem Monti propinquam adpellarint , cuius primigenium nomen *Mazaga* fuit , ut placet Plinio loco citato , et Straboni Lib. XII. seu *Maza* , ut auctor est Stephanus , pag. mihi 344.

In hac Gemma , et fere in nummis omnibus , Sol , et Luna Montis cacumen exornant : ut inde significaretur , non modo Montis altitudo , quae caelum videtur adtingere ; verum et Montis sanctitas , caelitum consortio digna . Nec fortasse a vero abhorret , Deos hosce Templa in eo habuisse , quae plura circa ipsum aliquando in nummis exprimuntur .

Fuit etiam in hoc Monte Templum Fortunae celebratissimum , quem quum Christiani delevissent , iussu Imperatoris Iuliani Apostatae , exscidio urbis multati sunt , ut narrat Cassiodorus Lib. VI. Cap. 4. Hist. trip. Mons idem in hac Gemma Goriana depictus , flammis undique micantibus ardere videtur ; cuius plane rei rationem ab eodem Strabone audiemus , qui de Monte Argaeo haec tradit : *Loca silvae subiecta ignes habent ; sunt etiam gelidis aquis plena : quanquam nec ignis , nec aquae in summum exstant ; quapropter maxima ex parte herbida sunt . Quibusdam in locis solum palustre est , et per noctem ex eo flammae consurgunt : rei itaque periti caute lignantur ; sed mul-*

multis periculum eſt, praeſertim pecori, in obſcuras ignis foſſas incidenti.

TABVLA XVI.

MONS ARGAEVS

NVLLVM Templum, aut Numinis effigiem, ut in praecedenti imagine, et in aliis pleriſque, habet in hac Muſei Goriani Gemma MONS ARGAEVS, quem totum pro Numinis ſimulacro habitum fuiſſe diximus. Conſpicuum vero eſt in hoc typo antrum, quod etiam in huius Montis effigie in nummis expreſſum cernitur. Conſtat autem plura in hoc Monte fuiſſe antra, et ſpeluncas ex ipſis Actis martyrii Beatiſſimi Epiſcopi Blaſii, cuius hodie, dum haec ſcribo, venerandam memoriam celebramus, quum conſtet eum in horum altero delituiſſe.

In ſummo Montis vertice, ubi plerumque Iovis ſimulacrum effingitur, laurea corona exſurgit, quae eiuſdem Numinis ſymbolum eſt, quum ex antiquiſſimo inſtituto non niſi Diis daretur: tranſtulit mox ambitio id ornamentum ad Victores, et Athletas. Fortaſſe neque hallucinabimur, ſi credamus, agonis alicuius eam indicium eſſe, cuiuſmodi omnes Graeciae civitates celebrabant, praeſertim cum Caeſarea Metropolis Cappadociae eſſet, et Neocoratu potiretur: quam opinionem confirmant Vrnae agoniſticae palmis ornatae, quae ad eiuſdem Montis radices aliquando in nummis expreſſae cernuntur. Montis ſummum apicem non Sol, et Luna, ut in ceteris; ſed geminae ſtellae exornant: vel ad altitudinem Montis indicandam, ut ſupra praemiſimus, vel ſanctitatem.

TABVLA XVII.

SERAPIS INTER ZODIACI SIGNA

PVLCHERRIMA, ſed explicatu difficillima eſt haec Gemma, quae ex Goriana Dactyliotheca in lucem prodit, cuius mediam partem occupat CAPVT SERAPIDIS; limbum vero DVODECIM ZODIACI SIGNA; ſed ordine adeo perturbato diſpoſita, ut naturali minime reſpondeant. Quod vero mihi maiorem ingerit ſcrupulum, illud eſt, quod eandem Zodiaci effigiem iam vidimus in alia Gemma inſcalatam, de qua ſupra inter Parerga inluſtrata diſſeruimus. In utraque Signorum ordo diverſimode diſpoſitus; et quod caput eſt, incognita ſigna, omnibuſque Aſtronomis inaudita, ſubſtituta ſunt. Ordinem utriuſque comparabo cum naturali, ut differentia ſtatim pateat.

ORDO NATVRALIS	TAB. XVII.	EX GEMMA MEDICEA
Aries	*Aries*	*Aries*
Taurus	*Sagittarius*	*Gemini*
Gemini	*Piſces*	*Caper*
Cancer	*Aquarius*	*Cancer*
Leo	*Scorpius*	*Leo*
Virgo	*Libra*	*Sagittarius*
Libra	*Leo*	*Taurus*
Scorpius	*Cancer*	*Virgo*
Sagittarius	*Gemini*	*Libra*
Caper	*Taurus*	*Scorpius*
Aquarius	*Equus*	*Equus*
Piſces	*Virgo*	*Piſces*.

Quum

Quum vero Signorum diſpoſitio immutabilis ſit, nulli dubium erit tranſpoſitionem hanc eſſe valde curioſam: fortuitam ne, ſeu potius ad ideam aliquam aſtronomicam ſignificandam inductam, hanc collocationem dixerim, penitus ignoro; nam nec reſpondet ordini antiſciorum, aut contratiſciorum; nec relationem ullam habet cum quatuor Trigonis, ſeu triplicitatibus, minus vero cum ſeptentrionalibus, aut imperantibus, et cum meridionalibus, vel obedientibus; nullam cum rectis, ſeu obliquis aſcenſionibus, cum maſculinis, vel femininis, cum humanis, et brutis, atque uno ut dicam verbo, nihil comune habent cum aliqua diſtributione, quam Aſtronomorum ſubtilitas introduxit. Neque ſuſpicari auſim, novitium eſſe imperiti Artificis figmentum, quod facile hi adfirmant, qui Antiquitatis aditus vix ſalutarunt, nedum perveſtigarunt. Ergone quicumque ſit Gemmarius Sculptor in re adeo nota, vel erravit, vel luſit? Non equidem credo; ſed ordo iſte non *aſtronomicus* eſt, ſed *hiſtoricus*, ad diverſa tempora, quibus facta aliqua evenerunt, indicanda videtur. Cur vero Equum Aquario ſubſtitutum videamus, peritiorum iudicium expectandum eſt.

Haec Zodiaci ſigna duplici Deorum protectione fruebantur; prima nempe ſeptem Planetarum, quibus addicti erant, ut auctoritate Macrobii, cui omnes adſtipulantur Aſtronomi probatum eſt: altera vero duodecim Deorum Conſentum, quod Manilius probat Lib. II. verſ. 438.

Lanigerum Pallas: Taurum Cythera tuetur:
Formoſos Phoebus Geminos: Cyllenie Cancrum:
Iupiter et cum Matre Deûm regit ipſe Leonem:
Spiciferae eſt Virgo Cereris: fabricataque Libra

Vul-

Vulcano : pugnax Mavorti Scorpius haeret :
Venantem Diana virum , ſed partis equinae ;
Atque anguſta fovet Capricorni ſidera Veſta :
E Iovis adverſo Iunonis Aquarius aſtrum eſt ,
Aguoſcitque ſuos Neptunus in aequore piſces .

Haec vero doctrina minime aliena eſt a propoſito noſtro ; nam ſaepeſaepius ad Gemmas haſce explicandas , in quibus haec ſigna eiſdem Diis adſignantur , repetenda erit.

CAPVT SERAPIDIS in medio poſitum ad eam adludit mythologiam , quae illum eundem ac Solem eſſe dictitabat . Sic ad rem Macrobius Saturnal. Lib. 1. Cap. 20. *Eidem Aegypto adiacens civitas , quae Conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur , Serapin , atque Iſin cultu paene attonitae venerationis obſervat : Omnem tamen illam venerationem Soli ſe ſub illius nomine teſtatur impendere .* Et paullo poſt : *Ex his adparet Serapis , et Solis unam eſſe , et individuam naturam .* Non deſunt tamen probatiſſimorum Scriptorum teſtimonia , ex quibus colligitur ipſum pro Iove habitum , ſeu pro Plutone ; immo pro ipſa Mundi anima , cuius inſtinctu , et moderamine Natura tota , ut putabant , regebatur .

TABVLA XVIII.

IOVIS XENII SYMBOLA

IN altera Gemma , cuius ectypon in Muſeo noſtro adſervamus , recurrit hic idem typus ; ſed Iovis caput , nullo calatho ornatur : quod in cauſa fuit cur IOVI hanc Gemmam tribuerimus : quanquam ſi SERAPIDI illam vindicemus , minime a propoſito aberrabimus ; ſi enim

enim Aegyptiorum traditiones obſervemus, facile illum eundem ac Iovem eſſe, hoc eſt Deorum maximum, intelligemus. At inter eius officia illud quoque cenſebatur, quod peregrinos tueretur: unde *Xenius* dictus eſt; cuius mentio eſt apud Pauſaniam in Laconicis: *Ibidem eſt et Xenius Iupiter, et Xenia Minerva.* Latini *Hoſpitalem* dixerunt. Cicero ad Quinctum Fratr. Lib. II. Cap. 2. *Non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Iovis Hoſpitalis.* Et pro Deiotaro Cap. 6. *Si te palam interemiſſet, Iovis quidem illius Hoſpitalis numen non unquam celare potuiſſet.* Ita vero dicebatur, quia peregrinis, et hoſpitibus praeſidebat. Homerus Odiſs. Ξ:

Ab enim Iove ſunt omnes hoſpites.

Et Virgilius Aeneid. Lib. I. verſ. 731.

Iupiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.

Solebant vero, qui ex peregrinatione ſoſpites rediiſſent, pedum imagines vel marmoreas, vel fictiles Diis peregrinorum praeſidibus dedicare: inter quae donaria marmor adhuc in Collectionibus obſervatur cum duplici pedum veſtigio, inſcriptione addita:

SALVOS IRE
SALVOS REDIRE

Inter haec vero non ultimum locum obtinet pes fictilis Muſei mei, quem publicavi in veterum Lucernarum collectione Tom. II. Tab. LXXIII. in quo inſcriptio impreſſa legitur:

FAVSTOS REDIRE

Pes ille ſiniſter eſt, fortaſſe, et parem habuit dexterum, in quo altera inſcriptio ſignata erat: FAVSTOS IRE: nam

e re-

e religione erat, ut qui iter adriperent, dextrum praemitterent pedem. Petronius Satyr. Cap. 30. *Ceterum ut movimus dextros greſſus*. Et alibi: *Retulimus ergo dextros pedes*. Quod ſi omnino placeat Serapidi hanc imaginem adtribuere, alia ratio excogitari poſſet, cur illi pes tribuatur; nam ſaluti pedes dicabantur, ut conſtat ex Fabretto Inſcription. ant. domeſtici Muſei Cap. VI. Serapis vero etiam Medicinae Deus habebatur, ut alibi dicendum eſt. Praeterea cum pedes Iſidi ſacri eſſent, ut conſtat ex loco citato Fabretti, non video cur et Serapidi non tribuerentur; uterque enim ſociali religione colebatur, ut diximus in Notis ad Lucernas in eodem Tom. II. Aſtrum Solis illi coniungitur, ob peculiarem aliquam religionem, qua ſe quiſpiam ei Numini devotum profitebatur.

TABVLA XIX.

CAPVT SERAPIDIS

IDEM caput SERAPIDIS ſubiecta Aquila ornatur, quo ſymbolo declaravit Artifex ipſius Numen pro Iove uſurpaſſe. Hi enim Gemmarum Scalptores, plerumque Aegyptiae originis exſtiterunt, ut facile indicat Aegyptiaca Mythologia, qua haec opera magna ſui ex parte reſperſa ſunt. Aegyptii vero hunc ſummum, et maximum ſuorum Numinum, vel cum Iove confuderunt, vel in illum Iovis ſymbola tranſtulerunt. De Serapidis natura elegans eſt locus apud Tacitum Hiſtoriar. Lib. IV. *Deum ipſum multi Aeſculapium, quod medeatur aegris corporibus; quidam Oſirim, plerique Iovem, et rerum omnium potentem; plurimi Ditem patrem, inſignibuſque in ipſo manifeſte, aut per*

per ambages conjectant. Quae loquendi ambiguitas facile demonſtrat, Aegyptiacarum rerum mythologiam, vel ipſos doctiſſimos Romanorum latuiſſe. Quaecumque tamen ea fuerit, cognoſcimus tamen magnam cum Iove adfinitatem habuiſſe, ut quodammodo eius ſymbola ab ipſo non diſcreparent.

Si vero omnino velimus, SERAPIDEM, non alium niſi ipſum SVMMANVM, aut INFERNVM IOVEM fuiſſe, ut colligi videtur ex Plutarchi Libro de Iſide, et Oſiride, haec Aquila ad conſecrationem aliquam pertinet; eius enim alitis officium erat, animas defunctorum efferre in caelum: quod indicare videntur Solis, et Lunae diſpertita ſigna; de qua religione multa nobis dicta ſunt in Notis ad antiquas Lucernas Tom. III.

TABVLA XX.

CAPVT ISIDIS ET SERAPIDIS

SERAPIDIS, atque ISIDIS capita, quae expreſſa obſervantur in hac Gemma, ſaepiſſime etiam in fictilibus Lucernis occurrunt, in quibus Aegyptii Artifices plurimam navarunt operam, quorum quidem multiplicem adſpectum protulimus in earum collectione Tom. III. Heic vero notatu maxime digna ſunt ſymbola utrique ſubiecta, Serapidi globus, Luna Iſidi. Maxime vero priori caeleſtis globi imago conveniebat, ſi quid Macrobio deferimus, ita loquenti Saturnalium Lib. I. Cap. XX. *Serapis, quem Aegyptii Deum maximum prodiderunt, oratus a Nicrocreonte Cypriorum Rege, quis Deorum haberetur, his verſibus ſolicitam religionem Regis inſtruxit:*

Sum Deus, et talem credi me denoto cunctis:
Caelorum ſublime mihi caput eſt, mare venter:
Terra globoſa pedes, aures ipſum aëthera cedunt:
Frons, oculi, vultus, clari fax lucida Solis.

ISIDEM vero vel ipſam Lunam, ſeu poteſtatem quandam in liquida corpora, quae ab ipſis Lunae motibus regerentur, ineſſe reputabant; quapropter ei libenter Lunae ſymbola adtribuerunt, ut Plutarchus in eodem Libro de Iſide, et Oſiride illam adpellarit *Cornigenam*: a quo non longe abſceſſit Ovidius, qui Metamorph. IX. verſ. 686. *Lunigeram* illam facit.

Inachis ante torum, pompa comitata ſuorum,
Aut ſtetit, aut viſa eſt; inerant lunaria fronti
Cornua.

Lubenter vero haec Numina ab Antiquis una ſimul copulabantur; quia communi religione, communique templo, ara, et ſacrificio coli ſolebant. Tacitus loco citato: *Fuerat illic ſacellum Serapidi, atque Iſidi antiquitus dicatum.* Et Macrobius eodem Cap. XX. *Eidem Aegypto adiacens civitas* (Alexandria) *Serapim, atque Iſim cultu paene adtonitae venerationis obſervat.* Idem quoque colligitur ex Divo Auguſtino de Civitate Dei Lib. XVIII. Cap. 5. At nemo manifeſtius de hac doctrina locutus eſt, quam Apuleius, qui Metamorphoſ. Libro poſtremo haec verba fecit: *Quanquam enim connexa, immo vero unita ratio Numinis* (Iſidis, et Oſiridis) *religioniſque eſſet; tamen Teletae diſcrimen eſſe maximum cognoſcunt.* Et alibi: *Cuius nomen unicum multiformi ſpecie, rituario nomine multiiugo totus veneratur Orbis.* Iiſdem Numinibus ingens calathus

ad-

adſcriptus eſt : quod eorum praeſidio et fruges , et fructus produci crederentur ; ſive ut Mythologi reputabant, quia ex iiſdem Numinibus terrena omnia proficiſcerentur, rurſuſque in ea iterum redirent , ut obſervat loco citato Macrobius . Quamcumque vero poteſtatem in utroque Numine Veteres conſiderarent , nempe aut Solem , et Lunam , aut Terram , et Aquam , aut Plutonem , et Proſerpinam (nam utrique ſententiae favent veterum Mythologorum auctoritates) illis antiquus Sculptor et Solis, et Lunae imagines Latino ritu expreſſas addidit , vel ut illorum Numinum poteſtatem manifeſtius declararet : ſive ut ipſis , quaecumque fuerint , beneficorum Planetarum, boni ominis cauſa , coniungeret poteſtatem .

TABVLA XXI.

SERAPIS

QVOD maxime rei antiquariae praecipuam partem, et nobiliſſimam ſcientiam ſigillariam ambiguam reddit , eſt veterum Artificum licentia , qua praecipua Deorum ſymbola vel detrahebant , vel cum aliis Diis communicabant . Nempe haec erat natura erroris, ut nunquam ſibi conſtaret : quumque omnibus libertas facta eſſet novos Deos inducendi ; nihil vetabat , quin diverſae Myſtarum ſectae pro diverſis opinionibus , Deorum quoque ornamenta perturbarent . Videmus propterea calathum multis Deorum adtributum , ut indicavimus in Notis ad domeſticas noſtras Lucernas Tom. II. Tab. LIX. quum tamen in hoc noſtro typo , et adſpectus , et cultus SERAPIDI reſpondeat , eundem heic repraeſentari reputamus ; quanquam plerumque ſedens effictus ſit , et tricipiti

monſtro inſignitus ; ipſi enim peculiari ratione calathum adiungebant. Macrobius Saturnalium Lib. I. Cap. 20. *Cuius vertex inſignitus calatho , et altitudinem ſideris monſtrat , et potentiam capacitatis oſtendit ; quia in eum omnia terrena redeunt , dum immißo calore rapiuntur .* Sceptrum quoque eidem Deo ſemper Artifices adtribuerunt ; quanquam id inſigne Caelitibus omnibus conveniret, ut ex Iuſtino oſtendimus non uno in loco . Geminae ſtellae facile pertinent ad totidem Planetas ſoli Artifici notos : niſi forte Caelum iudicent , cuius rectorem Aegyptii SERAPIDEM reputabant .

TABVLA XXII.

SERAPIS CVM SEPTEM PLANETIS

QVANQVAM non omnes Planetae aeque fauſti haberentur , immo aliquorum influxus maxime diros iactent Aſtrologi ; nihilominus multi fuere , qui integrum eorum ſeptenarium in Gemmis expreſſum pro amuleto habuerunt : addito illis alicuius Dei ſigno , cuius favore variam eorum naturam conciliari , et manſuefieri reputabant . Lubet heic in medium adferre Iulii Firmici verba ita loquentis Lib. I. Cap. 3. *Invocemus ſupplici ter Deos , et religioſe promißa Numinibus vota reddamus ; ut confirmati animi noſtri divinitate ex aliqua parte , ſtellarum violentis decretorum poteſtatibus reſiſtamus .*

Numen , cui tota haec genitura commiſſa dignoſcitur , eſt ipſe Serapis : *quem dedita ſuperſtitionibus Aegyptiorum gens ante alios colit ;* ut ait Tacitus Lib. IV. et quem Aegyptii *Deum maximum prodiderunt ;* ut tradit idem Macrobius Lib. I. Cap. 20. *Quapropter tanquam totius*

Ae-

Aegypti peculiare Numen, ſeu Genius crocodilo inſtat, quo Nilus, ſive ipſa Aegyptus, deſignatur. Columellam dextera regit: quam ego Niloſcopion eſſe puto; celebrem nempe illam pyramidem, in qua ſtabili quadam methodo omnia Nili incrementa numeris ſignabantur, ut facili negocio cognoſceretur et quotis cubitis exundaſſet; unde futuri anni fertilitatem, ſeu ſterilitatem praevidebant: de qua quidem menſura mentio multa eſt apud Kircherium. Plinius vero Lib. v. Cap. 9. hanc in puteis ſignatam tradit: *auctus eius per puteos menſurae notis deprehendunt:* qui locus mihi oppido non liquet; nam putei ſi per ſupernum oculum aquam admittebant, aquis omnino ſubſtitiſſe, ſine diſcrimine incrementi oportebat; niſi puteos adpellet piſcinas, quae per latera ſuccreſcentes aquas admitterent, illiſque recedentibus clauderentur, ut in omnem populi uſum ſervarentur. Hanc vero menſurae rationem ſubinde indicat: *Inſtum incrementum eſt cubitorum XVI. In tredecim etiamnum eſurit; quatuordecim cubita hilaritatem adferunt; quindecim ſecuritatem; ſexdecim delicias. Maximum incrementum ad hoc aevi fuit cubitorum XVIII.* Incrementorum vero tempora diligenter notat Lib. XVIII. Cap. 18. cuius verba adferre etiam placet, quia ad ſculpturarum harumce intelligentiam non mediocriter conferunt: *Nilus ibi coloni vice fungens, evagari incipit Solſtitio, et nova Luna; ac primo lente, deinde vehementius, quamdiu in Leone Sol eſt. Mox pigreſcit in Virginem tranſgreſſo, atque in Libra reſidet. Si duodecim cubitos non exceſſit, fames certa eſt: nec minus ſi XVII. exſuperavit: tanto enim tardius reſedit, quanto abundantius crevit, et ſementem arcet.* Exundationis vero originem idem Auctor ita ingenioſe explicat eodem in loco: *In monte inferioris Mauritaniae, non procul Ocea-*

Oceano, originem habet, lacu protinus ſtagnante. Praeterea obſervatum eſt, prout in Mauritania nives, imbreſve ſatiaverint, ita Nilum increſcere —— Cauſas huius incrementi varias prodidere; ſed maxime probabiles Eteſiarum eo tempore ex adverſo flantium repercuſſum, ultra in ora acto mari: aut imbres Aethiopiae aeſtivos iiſdem Eteſiis nubila illo ferentibus e reliquo orbe. Id evenire a Canis ortu, per introitum Solis in Leonem, contra perpendiculum fontis ſidere ſtante, quum in eo tractu abſumatur umbrae.

TABVLA XXIII.

APIS ET SERAPIS

HAEC etiam Gemma Aegyptum ipſam ſpirat; nam SERAPIDEM repraeſentat conſueto calatho, et ſceptro ornatum, qui bovi inſidet, quem APIM adpellabant. Sub eius autem imagine, Terram fuiſſe adumbratam, plene norunt Eruditi, et luculenter colligitur ex Plutarcho de Iſide, et Oſiride. Ipſum quoque Apidis nomen Terram denotat, quae *Apia* veteri lingua vocabatur: indeque factum eſt Serapidis quoque nuncupatio, praemiſſo dignitatis titulo *Ser*, ſeu *Sar*, ac ſi dixeris *terrae Dominum*, ut in noſtro Lexico Vocum Aegyptio-Hebraicarum in SYMBOLIS Gorianis edito, et fuſius in Indigitamentis declaratum eſt.

Bovi inſtat accipiter: quod animal quum ſit longaevum, atque perſpicaciſſimum, ſimulque volatu perniciſſimum, divinam ſublimitatem ſignificabat, ut tradit Horus Apollo Hieroglyph. Lib. 1. Cap. 6. et 7. Sol, et Luna peculiarem indicant religionem Auctoris eiuſdem Gemmae: ſive ea Numina ad Mythologiam pertinent, ſignificantes eo-

eorum influxibus Terram fecundari. Huc quoque adludit Serpens inferius reptans, quo animam Mundi rerum opificem Veteres indicabant, ut conſtat ex Kircherio in Oedipo. At de hoc hieroglyphico alibi dicendum erit.

TABVLA XXIV.

AMVLETVM AEGYPTIVM

ARTIFICIVM huius quoque Gemmae Aegyptium ſtilum redolet; ſed antiquiorem, atque aſperiorem: niſi illam ablegemus inter commentitia Magorum amuleta, qui religionem illam novis ſemper, ſibique ignotis ambagibus, et litterarum involucris, magis magiſque depravarunt. Vt coniecturam aliquam circa hunc typum proferamus, in ſedentis imagine Horum recognoſcimus, qui Solis praefulgens aſtrum indigitat; nam ipſe idem ac Sol habebatur. Macrobius Saturnalium Lib. I. Cap. 21. *Apud eoſdem Aegyptios, qui eſt Sol, Horus vocatur: ex quo et Horae vigintiquatuor, quibus dies noxque conficitur, nomen acceperunt, et quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, Horae vocantur.* Huic addi poteſt Plutarchi auctoritas in Sympoſ. Quaeſt. 4. *Antipater vero ſocius noſter aiebat, priſca Graecorum lingua annos fuiſſe* Horos *dictos.* Sacerdos contra ſtans, arcto illo velamine exornatur, quod deſcribit Apuleius Metamorph. Lib. XI. *Sed Antiſtites, ſacrorum Proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectorale, ad uſque veſtigia ſtrictim iniecti, potentiſſimorum Deûm proferebant inſignes exuvias.* Crux quoque anulo ſuſpenſa, inſtar inſignis donarii, in medio poſita eſt, quam marmorea Aegyptiorum ſimulacra frequenter manibus conſtringunt. Id hyeroglyphicum ita exponit Horus Apollo Lib. II.

II. Cap. 112. *Vitam, aut ſalutem futuram indicantes, geninas lineas iungebant, quarum una tranſverſa alteri in perpendiculum ductae ſuperponeretur : atque eius rei nulla alia illis ſuppetebat ratio, niſi quod, haec divini cuiuſdam myſterii ſignificatio eſſet.* Huiuſmodi quoque ſigna in templo Serapidis inventa fuiſſe, quum iuſſu Theodoſii everteretur, narrant Rufinus Hiſt. Lib. II. Cap. 22. Socrates Lib. v. Cap. 17. et Sozomenus Lib. VII. Cap. 15. qui nihil aliud Aegyptiis ſignificaſſe referunt, quam *vitam venturam*. Hoc vero myſterium, quum minime lateret Moiſem, quum ex Aegypto deduceret Hebraeos, ſuper huiuſmodi ſignum, tanquam ſalutis omen, ſerpentem aheneum conlocavit. Videndus de hac re Kircherius in Oedipo. Litterae ſubiectae Phoenicias imitantur, nec a noſtris Etruſcis longe recedunt; ſed eas, quia meo iudicio nullum nobis reddunt ſonum, miſſas facio.

TABVLA XXV.

ISIS ET CASTORVM SYMBOLA

ISIDEM in hac Gemma expreſſam eſſe non dubitamus, ut oſtendit promiſſum, et cirratum capillitium huic Deae peculiare, et clare evincunt complures Muſei noſtri eiuſdem Deae fictiles imagunculae. Illius frons plerumque flore exornatur; ſed non proinde etiam calathum illi negaverunt : ſic enim Porphyrius apud Euſebium de praeparat. Evangel. *Calathus autem hic, quem ipſa geſtat, ubi altiorem in locum ſubvecta iam eſt, frugum maturitatem repraeſentat.* Ferulam praeterea, ut in ceteris marmoreis ſimulacris, ſuſtinet; cuius ſymboli rationem multis ſaepe inluſtrat Kircherius. Haec Dea navigantibus praeerat; unde

unde *Pelagiae* nomen accepit, ſub quo a Corinthiis cognita fuit, et templum obtinuit, ut indicat Pauſanias: quod in cauſa fuit cur ei Caſtorum pilei, ſupereminentibus ſtellis ornati, adiuncti ſint; quorum Numina navigantibus maxime propitia eſſe adſtruebant: niſi fortaſſe hae ſtellae, quae ad ſignum Geminorum pertinent, ad Horoſcopum ſint referendae.

TABVLA XXVI.

ISIS

MEDIA inter Solem, et Lunam Dea ISIS gemino cum flagello inſculpta conſpicitur in hac Gemma, quod tanquam proprium ornamentum ei fere ſemper adtribuitur. Illud tamen, quod et amplius in hac caelatura ſingulare habet, ſunt gemini illi dracones, quibus circunplexa obſervatur; qui certe praecipuum aliquod, et peculiare adſtruunt adtributum. Quia vero pulcherrimi argumenti dignitas poſtulabat, ut maturius eius ſymboli ſignificatio inquireretur: et quia opportune ad manus meas venit ſigillum ISIDIS aereum, quod ex Muſeo ſuo mihi inluſtrandum obtulit praeſtantiſſimus Praeſul GORIVS, amicus meus optimus, praeſenti huic typo ferme reſpondens; deliberavi utrunque monumentum peculiari Diſſertatiuncula mox inluſtrare, ad quam interim benevolum Lectorem mitto.

TABVLA XXVII.

ISIS

PRAECIPVO in hac Gemma redimiculo ISIS ornatur, nempe velo, quod ſtellis diſtinctum eſt. Quum enim

ISIS non ſecus, ac Luna modo terreſtre, aliquando, et caeleſte Numen haberetur, utriuſque adtributi inſignibus honeſtatur. Opitulatur quoque huic ſententiae alia potiſſima ratio, cur ISIDI ſtellatum caput adtribuatur; nam apud Aegyptios ipſa non modo Numen habita eſt, verum etiam et *Aſtrotheſia*, hoc eſt *conſtellatio*, ut ex Horo Apolline manifeſte liquet, qui ſic annum deſcribit Lib. 1. Cap. 3. Hieroglyph. *Porro annum demonſtrare volentes, Iſin, hoc eſt mulierem, pingunt, quo etiam ſigno Deam ſignificant. Eſt autem apud eos ISIS ſidus, quod Aegyptio quidem nomine Sothis, Graeco vero Aſtromyon dicitur, qui et inter cetera ſidera principatum videtur obtinere, ut qui oriens modo maior ſit, modo minor, interdum ſplendidior, interdum vero ſecus. Ad haec, quoniam in huiuſce ſideris ortu ea ſignis quibuſdam obſervamus, quae toto anno peragenda ſunt, propterea annum non temere Iſin appellant.* Eidem adſentitur Plutarchus in Libro de Iſide, et Oſiride, ubi haec habet: *Nam ſtellam Iſidis vocari a Graecis Canem, ab Aegyptiis Sothin.* Porphyrius quoque de Nympharum Antro Iſin eamdem ac Caniculam fuiſſe tradit; unde Aegyptii annum non auſpicabantur modo, ſed inchoabant: ut enim Romani ab Aquario, ita Aegyptii a Cancro, cui Canicula, ſeu Sothis proxima eſt. Neomenia autem, ut ipſe ſubdit, ſolemniſſime ad huius ſtellae exortum celebrabatur, inde initium Mundi derivantes. Quid autem *Sothis* nomine intelligendum, in Diatriba de Hebraiſmo Aegyptiorum, edita in Volumine IV. Gorianarum Symbolarum, declaravimus.

TA-

TABVLA XXVIII.

HORVS

FRVSTRA diſputamus in hac Gemma, HORVS ne, ſeu potius Harpocrates exhibeatur. Nam opificium eiuſdem Abraxeam manum redolet, cui omnia pro lubito communia. Geſtus quidem puelluli Harpocratem quodammodo refert; ſed loti flos, cui inſidet, ab HORI religione ſumptus eſt. Huius enim naturam, et proprietates ita nobis prodit Plutarchus in Libello de Iſide, et Oſiride: *Sicut autem Nilum Oſiridis defluxum; ita corpus Iſidis Terram putant, non univerſam; ſed quam Nilus invadens, ac coiens, foetam reddit. Hoc ex coitu* HORVM *naſci perhibent. Eſt autem* HORVS *tempeſtas, ac temperies aëris ambientis, omnia ſervans, atque alens, quem in paludibus apud Butum a Latona dicunt enutritum.* At paullo poſt, ipſum eumdem ac Mundum terreſtrem eſſe, indicat; quamquam ſi ceteros Mythologos audiamus, Horus idem ac Sol eſt. Macrobius Saturnal. Lib. I. *Apud Aegyptios Apollo, qui et Sol, Horus vocatur; ex quo et Horae viginti quatuor nomen acceperunt, et quatuor tempora, quibus anni orbis impletur, Horae vocantur.* Tranſiit id nomen etiam ad Graecos, apud quos, ut teſtatur Pauſanias in Corinthiacis, Apollo *Horius* cultus eſt; cuius nominis originem occultam haberi ipſe ſubdit: *Horium vero quamobrem eum adpellent, nihil habeo pro certo, ut dicam.* At Voſſius de Idolol. Lib. II. Cap. 10. manifeſte oſtendit vocem illam ab Hebraeo eſſe, cui *Hor*, lux: immo apud Plutarchum Sympoſ. V. Quaeſtion. 4. habemus: *Priſca Graecorum lingua annos fuiſſe* Horos *dictos*; uti ſuperius adnota-

tabam. Vnde mihi Apollo *Horius* idem ſonat, ac *annuus;* quod annuo curſu girum perficiat.

Hac ratione permoti non dubitamus, florem loton Horo adtribuere. Nam tradit Plinius Lib. XIII. Cap. 17. et 18. *Sole occidente papavera* (illius) *comprimi, et integi foliis; ad ortum autem aperiri donec matureſcant, floſque, qui eſt candidus, decidat.* Theophraſtus quoque Lib. IV. de eiſdem floribus haec tradit: *Sole occidente ſe comprimunt, caputque integunt mira induſtria: ad ortum aperiuntur, et ſuper aquam adſurgunt.* Hanc vero fruticis proprietatem, et quodammodo officioſam illam naturam, Soli adtribuerunt. Favet eleganter huic noſtrae opinioni idem Plutarchus in Pythiae oraculis, qui ait: *Aegyptios principium ortus Solis exprimere picto puerulo, qui loto inſidet.* Favent quoque huic meae de Horo coniecturae frequentes huiuſmodi Gemmae, in quibus ſub flore loti Leo diſpoſitus eſt, qui ad Horum pertinet; nam *ſub ſolio Hori, hoc eſt Solis, Leones ſupponunt, huius animalis cum Deo ſimilitudinem maximam ſignificantes*, ut tradit Lib. I. de Hieroglyph. Cap. 17. idem Horus Apollo.

Cynocephalus recta ſtans, cum ceteris huius Gemmae ornamentis, ad eamdem praeſtigioſam circulatorum diſciplinam ex Aegyptiis originibus detortam, atque uberrime depravatam, pertinet.

TABVLA XXIX.

SOLIS. LVNAE. ET MERCVRII CAPITA

TRIVM Planetarum capita in hac eximia Gemma Goriana expreſſa ſunt, SOLIS, LVNAE, et MERCVRII, quibus propria aſtra ſubiiciuntur. Praeterea priori fax, al-

alteri caduceus adiunctus est. De hac synodo nihil est, quod amplius adiiciamus, nisi quod ad trigonum aliquem in horoscopo occurrentem pertinet, ita in opportunis locis conlocatum, ut inde fauſtos influxus aliquis ſibi promitteret; nam Solem Lunae trigonica radiatione coniunctum, *hominibus multorum bonorum praemia largiri, et nobiles facere*, ait Firmicus Lib. VI. Cap. 6. nec minora pollicetur, ſi Mercurius ſimili adſpectu Lunam reſpiciat, ut Cap. 8. *Aliis enim facundiam orationis adſignant; aliis ea praeclara decernunt artium ſigna.*

TABVLA XXX.

SOLIS CAPVT

TERRARVM orbem ſerpente circumplicatum hic obſervamus, cui imminet CAPVT SOLIS, et tres Stellae, fulmine intermedio. Sol etenim, ut ait Macrobius in Somnium Scipionis: *Non ſolum Terram, ſed ipſum quoque Caelum, quod vere Mundus vocatur, temperare certiſſimum eſt.* Fulmen vero ad radiorum eius poteſtatem pertinet. In nummo quoque Tarentinorum imagini Apollinis fulmen adiungitur, et fere ſemper pharetra, et arcus: ad indicandum eius calore pravos Terrae halitus abſumi, et exſiccari, ut eſt apud Mythologos.

Orbem anguis circumplectitur, ille fortaſſis, de quo Virgilius Lib. I. Georgic. verſ. 244.

Maxumus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos:

quem ab Hercule in Heſperidum hortis occiſum, et in Caelo conlocatum fuiſſe tradunt. Neque a vero fortaſſe

deſle-

deflectemus, si mythicam rationem in hoc typo prosequamur, Aegyptiorum indolem sequuti, quae plane multa in hisce Gemmis adparet; nam inter illorum hieroglyphica plerumque agmen ducit globus ille, quem Serpens pervadit: cuius vim explicans Kircherius, veterum testimoniis innixus, per id significari ait *animam Mundi opificem*, seu Naturae spiritum, quo cuncta vivunt: quo referri possunt Virgilii carmina Aeneid. Lib. VI. vers. 726.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet:

quem sensum fere reddunt etiam Manilii carmina Lib. I. vers. 247. et 250.

Hoc opus immensi constructum corpore Mundi
Vis animae divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, et tacita ratione gubernat.

Et Lib. II. vers. 60.

Namque canam tacita Naturae mente potentem,
Infusumque Deum caelo, terrisque, fretoque,
Ingentem aequali moderantem foedere molem.

TABVLA XXXI.

SOLIS CAPVT

In pulcherrima hac Gemma SOLIS CAPVT intra Lunae falcatae cornua dispositum est, quale prorsus in Carrhenorum, aliorumque Asiae populorum nummis reperitur: haud dubio indicio, eos utrumque Numen promiscuo cultu fuisse deveneratos. Stellula iutermedia positionem caelestem facile indicat, in qua Planetarum aliquis oppor-

portuno in loco interpoſitus natalem horam fauſtiorem redderet.

TABVLA XXXII.

SOLIS CAPVT

CAPVT SOLIS, in ſilente LVNA quieſcens, ornant quatuor ſidera, quibus vel conſtellatio aliqua, quam Sol obtineret in nativitate, vel quatuor ex coetu Planetarum, ſeu denique totum Caelum ſignificant. Typum huius Gemmae alioqui tritum commendat non modo artificium, quod exquiſitiſſimum eſt, ut ex ectypo liquet; verum etiam eius inſcriptio, in cuius gratiam ſculpta fuit, MAXPY.

TABVLA XXXIII.

SEPTEM PLANETAE

ANVLVS pulcherrimus protomen *Solis* perſpicuam praeſefert, ſex ceterorum Planetarum inſignibus circumfuſam, inter quae Luna, Mars, et Venus per characteres aſtronomicos indicantur: nempe Venus per globum crucigerum, Mars per alterum ſagittiferum. Sed non ex hoc uno monumento eorundem characterum antiquitas comprobatur; nam in altero Gemmae ectypo expreſſam video Lyram, unde iidem aſteriſmi ſuperne prodeunt. Stellae intermediae Iovem, Mercurium, et Saturnum indicant: quorum aſtronomicas notas nondum obſervavi in antiquis monumentis, incertus an illi, qui in Codicibus Iulii Firmici expreſſi ſunt, in antiquis exemplaribus reperiantur; ſeu potius a Librariis comunem

uſum

uſum ſecutis, introducti ſint. Sol vero medius facile indicat ſe geniturae dominum; praeſertim ſi in proprio eius ſigno cum ſuis, ut aiunt, *dignitatibus* reperiretur; tunc enim *diſpoſitorem* illum eſſe ferunt. Hoc vero praecipue notandum nobis obtulit ingenioſus Artifex, qui Leonem e latere expreſſit, ut proprium Solis domicilium indicaret, iuxta Aſtronomorum dicterium:

Sol habet hoſpitium ſibi ſolus in aede Leonis:

et, ut fuſius ſupra demonſtravimus, ſtellae hinc inde diſpertitae, caelum, ſeu firmamentum indicant. Sed quia duodenario numero inſculptae ſunt; non inaniter ſuſpicor, eas duodecim Zodiaci ſigna indicare, quae Sol permeans, annuum curſum explet: nec inaniter ternae per ſingulos anulos conſtitutae ſunt, totidem anni tempora indicantes.

TABVLA XXXIV.

SEPTEM PLANETARVM CAPITA

SINGVLARIS haec Gemma torſit ingenia doctiſſimorum Gallorum, qui illam cum explicationibus ingenioſiſſimis evulgarunt in Hiſtoriae Regiae Academiae Inſcriptionum Tom. I. pag. 382. Fuere, qui velatum ſenem pro Plutone ſumpſerint; quanquam revera adpoſita falx, et orbis capiti impoſitus, Saturnum manifeſte prodant: qualem etiam ita adamuſſim expreſſum exhibet nobis huius Operis II. Tabula. Mercurius ex petaſo, et caduceo nemini non cognoſcendus, iiſdem Gallis Proſerpina eſt. Poſt Sagittarium, Martem, et Venerem et ipſi cognoverunt; at cornigerum Senem, Oſirim eſſe autumarunt: quanquam, ſi vel minimum reſpiciamus duos alios Planetas,

So-

Solem, et Lunam aſteriſcis deſignatos, ad ſeptenarium Planetarum numerum integrandum, unum Iovem deeſſe videbimus, quem cornutus Senex commodiſſime refert ſub adtributo Ammonis: quod minime mirandum eſt in hiſce Gemmis ſuperſtitioſis, quae, ut plurimum, exoticam manum, et potiſſimum Aegyptiam, referunt. Qui tamen aliis Pluto eſt, alteri Imperatorem M. Aurelium habitu Pontificis Maximi refert. Falx abit in lituum; orbis ſupernus in apicem. Rurſus Oſiris alteri videtur Aeſculapius: cui tamen nunquam cornua adtribuit Antiquitas. Mercurius, ipſo caduceo reclamante, in Deam Hygiam transformatur; nec probe etiam eius pileolus expreſſus eſt. Huic reſpondet Fauſtina ſub Martis capite conlocata, qui iam non Mars, ſed Roma eſt. Putat vero Gemmam hanc monumentum eſſe votivi ſacrificii, quod Romae, ſedata peſte, M. Aurelius Auguſtus Diis reddidit, Sole Sagittarium percurrente.

Putarunt alii Gemmam hanc pietati alicuius referendam, qui Lares, Ammonem, Martem, Venerem, et Serapim, atque Opim, et Neptunum ſub ſpecie Sagittarii una ſimul inſculpi curaverit. Quo tamen iure Deos hoſce Lares vocet, penitus non intelligimus: ut enim Veteres concordi conſenſu teſtatum reliquerunt, Lares longe aliud a Diis iſtis habiti ſunt, ut probavi in Acherontico meo edito in Volumine tertio Muſei Etruſci.

Fuere inſuper, qui ſub imagine Iovis Ammonis, per quamdam adſentationem, Antoninum Pium expreſſum eſſe credidere: M. Aurelium, et Fauſtinam vultu Plutonis, et Proſerpinae: Commodum, et Criſpinam vultu Martis, et Veneris, cuius familiae fata dirigit Sagittarius.

Aliis demum viſum eſt, ſub Marte latere Caligulam: ſub ceteris Diis Iulium, Auguſtum, Antonium, et Druſillam

fillam , Chirone Centauro intermedio , quo Medicina ſignificatur ; quapropter Medico alicui ex Familia Principis hanc Gemmam adtribuit .

At pace tantorum Virorum, quid plane ſentiam , ſubdere non verebor . Singulorum quidem Deorum ſymbola ita propria , ita univoca ſunt , ut ſine Antiquitatis iniuria alteri adtribui non poſſint ; quae vero diſiunctim ſingulos Deos nobis indigitant , ipſe nexus , et copulatio , et numerus ſeptenarius , ſigno Zodiaci intermedio , planetarum ſynodum clare manifeſtat . Quod vero ſub ſingulorum facie totidem Principes adumbratos adſtruamus , res adeo arbitraria eſt , ut ea ratione , qua Auguſtis , et Antoninis, ita et ceteris omnibus adtribui poſſit . Quis enim prohibet Diocletianos , et Conſtantinos , et paene non dixerim Comnenos , et Palaeologos , ſubtili perſcrutatione iiſdem imaginibus adſignare : praeſertim quum minutiſſima facierum lineamenta neminem magis reiiciant , quam admittant .

Mihi igitur haec Gemma genethliaca eſt . Sol imminens Sagittario haec decreta portendit apud Firmicum Lib. v. Cap. 6. *Potentes erunt , et magnis honorum inſignibus decorati ; ſed qui multa damna hominibus inferent.* Quod vero Sagittarius arcum veluti dirigat in Saturnum , facile indicat , ita natali hora in caeleſti poſitione fuiſſe conlocatum , ut maligna eius vis penitus a benevolis adſpectibus retuſa eſſet ; praecipue quum Sagittario prope adſtare cernatur Iupiter , cuius virtute opprimi putabant Saturni malignitatem ; unde Perſius Satyr. V. verſ. 50.

Saturnumque gravem noſtro Iove frangimus una .

An vero Planetarum in huius Gemmae orbe conlocatio ad caeleſtem poſitionem reſpexerit , incertum nobis eſt . Vi-

Videtur quidem, quod quarta Orientalis adſcendens, quae a cuſpide Orientis ad cuſpidem medii caeli dirigitur, Saturnum teneat, Sole in ipſo cuſpide exiſtente; ſecunda vero, quae ad cuſpidem Occidentis declinat, Martem, Iovem, et Lunam habet: tertia Venerem, quarta Mercurium; adtamen conſilio ne, an oſcitanter haec diſpoſitio eruperit, in obſcuro eſt: praeſertim, quum haec difficultas multis aliis ambiguitatibus referta ſit, quas in Prolegomenorum Cap. VI. delibavimus.

TABVLA XXXV.

SYMBOLA QVATVOR PLANETARVM

SOL geniturae dominus umbonem Clypei exornat, cui ſubeſt haſta tranſverſa, Martis ſidere obſignata: placuit enim ingenioſo Artifici ſub armorum allegoria caeleſtem alicuius militis poſitionem adumbrare. Circumſtant praeterea Lunae, et Iovis ſymbola, quae in congruis geniturae locis diſpoſita, proſpere influere credebantur. Haec locorum diſpoſitio ex Gemma non adparet; ſed, ſi aliquid diſcendum eſt a ſtellarum conlocatione, Iupiter quum Lunae oppoſitus ſit diametra radiatione: *principalia dignitatis inſignia decernit, et vitam clara poteſtate nobilitat; facitque talem, qui nunquam poſſit alienis poteſtatibus ſubiacere;* ut obſervat Firmicus Lib. VI. Cap. 18.

TABVLA XXXVI.

APOLLO

ORNATISSIMA eſt haec Apollinis imago; vix enim in alia tot eius ſymbola ſimul conſociata cernuntur,

tur, Tripus, Cythara, Laurus, Corvus, et Aſtrum Solis: per quae eius vaticinia, Muſica, ceteraque eius adtributa non obſcure indicantur. Corvus praeſertim adeſt, cuius auguria Veteres prae ceteris maxime obſervabant. Plinius Lib. X. Cap. 12. *Corvi in auſpiciis ſoli intellectum habere videntur ſignificationum ſuarum; nam cum Mediae hoſpites occiſi ſunt, omnes e Peloponneſo, et Attica regione volaverunt:* quapropter hanc alitem Deo vaticiniorum praeſidi adtribuerunt. Albricus de Deorum Imaginibus: *Iuxta illum corvus niger deſuper volitans pingebatur; avis ſcilicet ipſi Deo conſecrata: quod ſolus contra rerum naturam in mediis ipſis aeſtivis fervoribus oviparos pullulet foetus.* Etiam Plutarchus Lib. de Iſide, et Oſiride adfirmat, corvum Apollini fuiſſe ſacrum; nam, ut ait Diodorus Lib. I. *Quum Dii Typhonis iram fugerent, et ſe quiſque in animal ſibi gratum transformaret, Apollo in corvum mutatus eſt.* Id ipſum etiam narrat Ovidius Metamorph. Lib. V. verſ. 325. et 329.

Huc quoque terrigenam veniſſe Typhoëa narrat,
Et ſe mentitis ſuperos celaſſe figuris:
Delius in corvo. ——————

TABVLA XXXVII.

APOLLO CAELISPEX

IMAGO Iuvenis ſedentis, qui virga, ſeu ſtilo ſupra ſtellam inclinato, caeleſtium corporum motus heic videtur deſcribere, aliquam explicationem ſumit ab altera Vraniae imagine, quae pariter ſedens, ut in edita inferius Tabula LXVIII. adſimili ſtilo ſiderum motus in caeleſti globo diligenter obſervat. Crederem, virum aliquem Aſtrologiae peritum in hac Gemma repraeſentari, niſi corpus nudum, uni-

unicaque chlamydula obvelatum, Deum potius indicaret. Si in re obſcura, atque incerta aliquid coniectandum eſt, dixerim APOLLINEM CAELISPICEM heic eſſe expreſſum, qui Caelorum motus meditatur; dubium tamen adhuc ſubeſt, an id nomen illi adtributum ſit a Caelo inſpiciendo, ſeu potius a Caelio Monte, e cuius regione poſitus erat; ut colligitur ex Publio Victore, qui illum conlocat ad aedem Portumni, circa caput Circi maximi, unde Caelius Mons conſpectatur. Ceterum in re valde dubia, melius expecto Eruditorum iudicium.

TABVLA XXXVIII.

SOL

TYPVS huius Gemmae a ceterarum ſenſu recedit; quippe non Mythologicam, ſed Phyſicam Solis naturam explicat. SOL radiato capite, tanquam naturae praeſes, et moderator, medium locum obtinet. Manu ſiniſtra pendentem cammarum ſuſtinet, quo Veteres humidam Naturam deſignabant, quae beneficio caloris, qui in Sole eſt, animata, atque beneficis aſtrorum influxibus excitata, rerum ſemina fovet, et ad vitam ſuſcipiendam diſponit. Hanc vero poteſtatem indicat ſceptrum Solis, cui imminet papilio, hoc eſt animae imago; nam id animal, ut ait Plutarchus in Sympoſiacis Lib. II. Quaeſt. 3. *primum naſcitur eruca; deinde ſiccitate concreſcit: tandem rumpitur, atque e ſe aliud alatum animal exhibet, quod pſyche dicitur, papilionis genus quoddam*. Huius etiam imaginem ad animarum immortalitatem indicandam, quum corpore functae eſſent, uſurparunt, exemplo vermium, qui ubi vivere deſierunt, aliud quoddam volucre, et iam caeleſte

leſte animal, e ſe emittunt. Haec vero doctrina de Solis poteſtate deſumta videtur a toties laudato Macrobio Saturnal. Lib. 1. Cap. 18. et 19. ubi totus eſt in demonſtrando, Solem eſſe datorem vitae, et rerum omnium genitorem, humidae naturae beneficio, quam ſuo calore contemperat. Inter cetera vero Antiqui reputabant homines a Sole ſpiritum ſortiri. Servius Aeneid. Lib. XI. ad verſ. 51. *Quum naſci coeperimus, ſortimur a Sole ſpiritum, a Luna corpus, a Marte ſanguinem etc.* hinc papilio eiuſdem ſpiritus, ſeu animae imago in ſceptro Solis, quaſi ad eius poteſtatem ſpectans, conlocatur.

TABVLA XXXIX.

SOL

HAEC Gemma, quae in lucem prodit ex laudato Muſeo Oliverio, ex nummo Aureliani, ceterorumque poſteriorum Imperatorum, praeſertim vero Conſtantini, depromta fuiſſe videtur; in quibus eadem plane imago Solis expreſſa eſt, cum epigraphe: ORIENS AVGVSTI. CONSERVATORI AVGVSTI. SOLI INVICTO COMITI: quapropter iam nullus dubito, quin haec quoque Gemma ad ea tempora referri poſſit, quorum genium, et Artificum manum ſpirat. Symbola huius typi vulgaria ſunt, praeſertim Solis aſtrum huic imagini, tanquam proprium inſigne, adiectum; quod etiam in eiuſdem Conſtantini nummis quandoque obſervatur.

TA-

TABVLA XL.

SOL ET VICTORIA

QVAE circa praecedentem SOLIS typum adnotavimus, non parum luminis ad hanc Gemmam declarandam conferunt. Nam imago Solis eadem eſt, quae in praecitatis nummis, praeſertim, Aureliani cernitur. Victoria, quae praeter morem galeata eſt, atque ipſum Orientis typum coronat, facile pertinet ad eiuſdem Aureliani victoriam de Palmyrenis. Quia vero coronari Provincias victas mos erat valde frequens, celebriſque inſtituti apud Romanos; crediderim ſub hac Orientis imagine aliquem Principum, praeſertim vero ipſum Aurelianum, deſignari. Nam exploratum eſt, Romanos Artifices triumphorum occaſione omnia paene eorum opera ſymbolis illius laetitiae exornaſſe. Quid ni? poſt victoriam Dacicam quidquid Gemmarum, Nummorum, Marmorum, quidquid argillae, quidquid vitri ſignatum eſt, omnia Dacicis tropaeis abunde redundant. Eadem omnia recurrere videntur in opificiis, quae ad Aureliani tempora pertinent.

Media inter VICTORIAM et SOLEM ara conſtituta eſt, in qua totius fere Orientis praecipuum Numen, praeſertim vero Palmyrenorum, Luna conſtituta eſt; ex quo mihi ſuſpicio roboratur, hanc et ſimiles Gemmas ad praenotatam aetatem pertinere.

TABVLA XLI.

APOLLO ET DIANA

COpulata APOLLINIS, et DIANAE ſimulacra facile adludunt ad ſacrum illud ſaeculare, quod Auguſtus anno

anno Vrbis DCCXXXVI. quincta iam vice celebravit. De hac solemnitate Zosimus Lib. II. Historiarum: *Eodem sacrificio ad tempus neglecto, quum rursus adversi casus adcidissent, Octavianus Augustus ludos renovavit, factos antea L. Censorino, et M. Manlio Cuelio Cos.* In hoc vero sacro, quanquam Dii omnes Romanae Vrbis Praesides invocarentur, praecipua tamen ratione Apollo, et Diana primas obtinebant, tanquam ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΙ, hoc est *malorum averrunci*. Hinc Horatius in Carmine Saeculari:

Phoebe, sylvarumque potens Diana,
Lucidum Caeli decus, o colendi
Semper, et culti, date, quae precamur,
Tempore sacro.

Et Ode XXI. Lib. I. ita adloquitur pueros, et puellas ad hunc Hymnum decantandum delectos:

Dianam tenerae dicite Virgines,
Intonsum pueri dicite Cynthivm.
Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque a Populo, et Principe Caesare
In Persas, atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Huc etiam adlusit Virgilius, qui Aeneam inducit utrique Deo templa voventem Aeneid. VI. vers. 67. et 69.

——————— da Latio considere Teucros:
Tum Phoebo, et Triviae solido de marmore templum
Instituam, festosque dies de nomine Phoebi:

eorumque patrocinio Horatius adtribuit, quod Roma condita sit:

Roma, si vestrum est opus.

Astrum

Aſtrum Solis ſuperne fulgens, ad ipſum Numen in hac Gemma conſpicuum pertinet.

TABVLA XLII.

SOLIS QVADRIGA

SOLIS QVADRIGAM circumſtat Luna cum aliis quinque Planetarum aſtris, quae totum ſeptenarium numerum complent. Additae ſunt pro religione illius, qui Gemmam hanc ſibi inſculpendam praecepit, quatuor aliorum Numinum effigies, quorum favore Planetarum omnium inſluxus propitii fierent, ut ſupra dictum eſt. Ex his Serapidis caput, et Iſidem cognoſcimus, ſiſtro, et ſitula inſignitam, cuius maximus erat uſus in eius ſacris, ut fuſe narrat Plutarchus de Iſide, et Oſiride, et Apuleius Metamorph. Lib. XI. Succedit Dea pomum manu conſtringens; quam libenter Salutem adpellaverim, cui id ſymbolum adtribuebant: de quo multa in meis Roncalienſibus praefatus ſum; quanquam aliis etiam Deabus illud adiectum viderim, ut oſtendi in Diſſertatione de Etruſcis Monumentis nuper Cortonae effoſſis, impreſſa inter ceteras inclutae Columbariae Societatis Florentinae Tom. I. quamvis difficillimum ſit de minutiſſimis iſtis imaginibus, quae ſoli Artifici notae erant, certum iudicium dare. Nec meliora proferre poſſumus circa nudum iuvenem baculo innixum, cuius cultus Mercurio reſpondet; ſed nulla ſymbola opitulantur. Serpens ipſe Genius eſt, ut latemonſtravimus in Notis ad Lucernas.

Integrum Planetarum ſeptenarium adludit etiam ad totius hebdomadae dies, quibus ſingulis totidem Dii praeerant, et quodammodo praeſides habebantur. Praeſtabant

vero illis hanc religionem, ut obſequentes haberent: exemplum ſecuti Iarchae illius a Philoſtrato celebrati, qui ſeptem anulos Apollonio cum ſeptem Planetarum figuris largitus eſt, ſingulis eorum diebus geſtandos; quorum uſu bona plurima ſe fuiſſe conſecutum dictitabat, ut in Prolegomenis diximus. Vſus vero deſignandorum dierum per hebdomadas, Romanis non adeo antiquus fuit, qui menſium dies Etruſco more per Kalendas, Eidus, et Nonas deſignabant, de quo ſic Dio Lib. XXXVII. *Quod his ſeptem Stellis, quae Planetae vocantur, dies adſignari receptum ſit, inventum putatur Aegyptiorum; ſed tamen in omnes homines non ita pridem vulgari, receptum eſt; ceterum Graeci veteres, quantum quidem ſciam, nullo prorſus pacto eam rem cognitam habuerunt. At vero nationibus cunctis, maxime vero Romanis, hic mos ita vulgatus eſt, ut quaſi patrius habeatur.* Confirmat vero Dionis auctoritatem, qui hunc morem Aegyptiis adtribuit, haec eximia Gemma, quae Niloticis ſuperſtitionibus referta eſt.

TABVLA XLIII.

SOLIS QVADRIGA

SOL, qui rapido curſu, recto motu, per meridiem ferri videtur, intra ingentis Lunae falcatae cornua conſiſtit, quae ut ſuo loco dicendum erit, Aeternitatis ſymbolum habebatur. Stellae, quae octo numero ipſam ambiunt, ipſum caeli orbem ſignificant, in quo Sol, veluti arbiter, et lucis dominus, aſtris minutioribus videtur imperare.

TA-

TABVLA XLIV.

SOLIS QVADRIGA

HOC amplius habet in hac Gemma expreſſa SOLIS QVADRIGA, quod praeter Solis aſtrum in ſilente Luna concluſum, Iovis aquilam ſubiectam oſtendit. Nexum hunc, vel religio conciliavit, vel ratio aliqua aſtrologica docuit, ſi Gemmam hanc inter genethliacas referamus.

TABVLA XLV.

SOLIS QVADRIGA

CAput SOLIS, qui quadrigam agit, radiatum eſt, quale illud deſcribit Martianus Cappella Libro de Nuptiis Phil.

radiiſque ſacratum
Bis ſenis perhibent caput, aurea lumina ferre,
Quod totidem menſes, totidem quod conficit horas.

Facem ſiniſtra adtollit, quam illi veluti lucis Auctori adtribuit idem Martianus. Hinc *flammigerum* illum vocat Virgilius de Iride:

Poſtquam flammigeri rapuerunt lumina Solis:

et *igniferum* Lucanus Lib. III.

igniferi tantum demerſerat orbis.

Dextra adtollit copiae cornu; nam ipſius virtute Terram fecundari plurics indicavimus. Aſtra Solis, et Lunae adiuncta, vel Caelum denotant, vel ipſa ſidera errantia,

quae ſuo ſplendore inluſtrat ; vel religionis ergo copulata ſunt, ob quam ſaepeſaepius parili veneratione colebantur.

TABVLA XLVI.

APOLLINIS SYMBOLA

DE Corvo APOLLINI adtributo , aliqua diximus ad Tabulam XXV. His nunc addi poteſt auctoritas Fulgentii in Mytholog. de Corvo : *In huius etiam tutelam Corvum ponunt ; ſive quod contra rerum naturam ſolus in mediis ipſis aeſtivis fervoribus oviparos pullulet foetus ; unde et Petronius :*

Sic contra rerum Naturae munera notae ,
Corvus maturis frugibus ova refert .

Sive , quod in horoſcopicis Libris , ſecundum Anaximandrum , ſive etiam ſecundum Pindarum , ſolus inter omnes aves ſignificationes habet vocum . De lauro multa quoque tradit idem Fulgentius loco citato : Aſtrum ad Solem pertinet.

TABVLA XLVII.

APOLLINIS SYMBOLA

CORvus APOLLINI ſacer, cuius etiam Numen ſymbolice nobis repraeſentat , aſtro illius deſuper emicante , inſidet crateri pulcherrimo inter copiae cornua conſtituto ; quo ſignificatur eius vi , atque calore in ſolidam aeque atque in humidam Naturam beneficia nobis et cibi , et potus , potiſſime vero vini elargiri : quam poteſtatem Veterum auctoritate ſaepius in his Gemmis inluſtrandis confirmavimus .

TA-

TABVLA XLVIII.

APOLLINIS SYMBOLA

HAEC ſymbola ad APOLLINEM clamant, laurus, arcus, ſagitta, et duplex pharetra; nam et *arcitenens*, et *pharetratus* eſt apud Poëtas. Statius Lib. IV. Sylvar.

Sed vocat arcitenens alio Pater.

Et Silius Italicus:

Clade pharetrigeri ſubnixas Regis Athenas.

Illum etiam *lauripotentem* vocat Martianus Cappella de Nuptiis Phil.

Certum eſt, lauripotens, decuſque Divûm.

Duplex vero haec pharetra duplex etiam officium Apollinis deſignat, quod diverſi generis ſagittas poſtulabat; nam aliquando malefica ſpicula adverſus impios iaculabatur; qualia in Pythonem emiſit, vel in claſſem Cleopatrae: contra quam, ut canit Virgilius Aeneid. Lib. VIII. verſ. 704.

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo:

et Propertius Lib. IV. Eleg. VI. verſ. 67.

Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Vna decem vicit miſſa ſagitta rates.

Alterum vero ſpiculorum genus eſt, quibus aſtra, terramque et calefacit, et inluminat; de quibus Macrobius loco citato Cap. XVIII. *Sagittarum autem nomine nonniſi radiorum iactus oſtenditur, qui tunc longiſſimi intelliguntur,*

quo

quo tempore altiſſimus Sol diebus longiſſimis ſolſtitio aeſtivo conficit annuum curſum. Geminae ſtellae ad Planetas adludunt, nobis incognitos.

TABVLA XLIX.

SOLIS SYMBOLVM

GRYPHES Apollini ſacros eſſe comprobant non modo eius imagines, eidem Numini in nummis adludentes; verum etiam veterum Scriptorum auctoritates, inter quos Philoſtratus in vita Apollonii Lib. III. Cap. 14. *Has enim aves, aiunt, eſſe in India, ac Soli eſſe ſacras, et quadrigis eas iungunt, qui Solem apud Indos pingunt.*

Sed quia reputabant, animas hominum in caelum efferri ab animalibus Diis ſacris, quibus peculiari obſequio viventes mancipati fuiſſent; ita viri Apollinares a Gryphis in caelum trahuntur, ut adnotamus ad Tabulam CLI. quo referendam putavi hanc GRYPHIS imaginem, qui aſtro inſiſtens, altiora videtur adpetere, ac non laevi indicio ad conſecrationem aliquam pertinere.

TABVLA L.

SOLIS ASTRVM ET MARSYAS

APOLLINI Gemmam hanc longe pulcherrimam adtribuimus, in qua lepidiſſimum eius facinus, ſi non exprimitur, ſaltem iudicatur. Sedet, ut puto, MARSYAS, qui plenis buccis tibiam inflat, aſtro Solis haud longe diſpoſito; unde in improbum Numinis contemptorem ſupplicium venit. Filius is fuiſſe traditur Hyagnidis Phrygii, quem primum omnium mortalium leges muſicas ad lau-

laudes Deorum, et hymnos concinendos, in eorum ſolemnitatibus, et pompis adcommodaſſe ferunt. Ipſe vero quum proiectas a Minerva tibias inveniſſet, illaſque cum voluptate tentaſſet, quod ex ſe divinum quendam ſonum emitterent, Apollinem in muſicum certamen provocavit: a quo victus, et ad pinum ſuſpenſus, corio denudatus eſt; e cuius cruore Marſyas fluvius erupit. Fabulam narrat Palaephatus de incredib. 48. et Hyginus Fab. CLXV. Ovidius Metamorph. VI. qui illum e Satyrorum genere fuiſſe ait. At in noſtra Gemma humanis pedibus formatus eſt, tantummodo caudatus, qualis et in Etruſco marmore apud Dempſterum Tom. I. Tabula IX. num. I. conſpicitur.

TABVLA LI.

SOLIS ET LVNAE SYMBOLA

CONVENIVNT Eruditi, aſtrum inter ſilentis Lunae cornua conlocatum, ſymbolice ipſum Solem, et Lunam exprimere, prout in plurimis Orientalium regionum nummis, et veterum Lucernis animadverſum a me eſt: in quibus ſive ob anguſtiam ſpatii, ſive ob maiorem Artificum facilitatem, forte etiam et ob ſculpturae imperitiam, geminorum Deorum Numen ita adumbratur. Hinc inductum eſt, ut eadem ſigna in Gemmis exprimerentur: ſive quia ad horoſcopum pertinerent; ſive peculiarem reſpicerent hominum religionem. Haec vero eo magis increbuit, quum, imperante Auguſto, Ludi faeculares in honorem Deorum omnium, ſed magis praecipue Apollinis, et Dianae celebrati ſunt: de quibus aliqua iam diximus ad Tabulam XXVIII. Heic vero etiam corona

rona ſpicea eorumdem Numinum ſymbolis adiungitur ; quia inter cetera vota hoc praecipuum cenſebatur , ut propter ubertatem ſpiceae coronae Cereri offerrentur . Horatius in Carmine Saeculari :

Fertilis frugum , pecoriſque tellus
Spicea donet Cererem corona .

Hoc quidem ornamentum , etiam ob phyſicam rationem, Soli , et Lunae conveniebat ; quod ab ipſis Terram fecundari , frugeſque educari compertum ſit , a Luna praecipue , quae *Frugifera* , ſive *fruges producens* adpellatur ab Orpheo in eius Hymno ; et rurſus alibi : *ducens pulchros fructus e terra* . Ara inferius adiecta ad cultum utriuſque Numinis pertinet .

TABVLA LII.

SOLIS ET LVNAE SYMBOLA

SVPERIORIS Gemmae typus in hac laurea exornatur corona , quae ad Apollinem pertinet, cui hanc arborem ſacram eſſe , nemo eſt , qui ignoret .

TABVLA LIII.

LVNA SILENS

LVNAM SILENTEM in hac Gemma tres ſtellae circumſtant : cuius emblematis multiplex eſſe poteſt ſignificatio ; nam et Deam Noctem indicare poteſt , quae praecipuum cultum obtinuit , ut diximus in Notis ad Lucernas Tom. I. Pertinere quoque poteſt ad genethliacam alicuius poſitionem , ex qua quatuor Planetae delecti ſint, qui

qui natalem horam fausta conlocatione prosperaverint. Demum adludere potest ad aliquam consecrationem, prout expressa est in Divae Faustinae nummo, addita epigraphe AETERNITAS; nam *supra Lunam sunt omnia aeterna*, ut ait Cicero in Somnium Scipionis. Putabant enim Piorum animas in Lunae orbem transferri, in qua aevo aeterno fruerentur; ex quo inolevit, ut Augustarum imagines in ipso Lunae gyro inclusae formarentur, ut in nummis Iuliae Domnae, Otaciliae, Etruscillae, et Saloninae observatur; adeout in quarumdam Augustarum imaginibus Luna e tergo addita sit, cum epigraphe: SIDERIBVS RECEPTA; ut in nummis utriusque Faustinae. Quae sententia non Poëtis modo non adrisit, verum etiam a Pythagoreis, qui Lunam habitari a maioribus, et pulchrioribus animalibus, quinquies decies nostris maioribus, et quae nullum excrementum deiicerent, tradiderunt, ut est apud Plutarchum de Placit. Philosoph. Lib. II. Cap. 30.

TABVLA LIV.

LVNA INTER SEPTEM PLANETAS

HVNC eundem typum videre est in nummo Faustinae Antonini, post eius mortem, sine ulla epigraphe obsignato. Haud dubie tamen adsequimur, Artificum mentem eam fuisse, ut significarent, eiusdem Faustinae animam, veluti novam Lunam, inter septem Planetarum ignes octavum locum fuisse adeptam, iuxta illud Euripidis apud Plutarchum de Oraculorum defectu:

——— *caelitus*
Delapsa tanquam stella, exstinctus in aetherem
Emisit animam. ———

Sunt tamen, qui non Planetas in eo nummo, et hac Gemma contemplentur, sed *septem Triones*, hoc est Vrsae maioris totidem Stellas, quae in cauda, et ventre eius signi speciosissimae spectantur; quo Augustae animam conc[illegible]sisse reputabant, tanquam in summum Caeli locum, qui nunquam sentit Occasum; unde propterea tanquam a summa Caeli arce totum Orbem despectare arbitrabantur. Manilius Lib. 1. vers. 275.

At, qui fulgentes Caelo consurgit ad Arctos,
(Omnia, quae summo despectant sidera Mundo,
Nec nôrunt obitus, unoque in vertice tantum
In diversa sitae, caelumque et sidera torquent.)

Hinc Ovidius Metamorph. Lib. XIII. vers. 293. illas *aequore immunes* adpellat: et Virgilius Georg. Lib. 1. vers. 246. *metuentis aequore tingi*.

TABVLA LV.

SOLIS ET LVNAE AMVLETVM

SOLEBANT Magi nexus quosdam litterarum in quibusdam amuletis imprimere, praesertim vero sss transversa linea coniunctas: quem nodum saepesaepius in hisce sculpturis observavi; cuius significationem, vel ipsis antiquis ignotam, et paullo minus non et ipsis auctoribus, perquirere, vanum omnino esset. Solem, et Lunam huic sculpturae addiderunt, ut illorum favorem his, qui haec amuleta deferrent, conciliarent.

TA-

TABVLA LVI.

ANVLVS SIDEREVS CVM LEPORE ET PAPILIONIBVS

HVIVS anuli emblemata tota myſtica ſunt. Luna anuli gyrum ſignat : Sol internam partem, quae Gemmae oppoſita eſt ; Gemmam lepus ; latera Papiliones conſignant. Haec commenta haruſpice indigent ; adeo enim recedunt a communi Veterum idea, ut operam luſiſſe Sculptor videatur. Ne tamen ſine aliqua coniectura hanc Gemmam praetereamus, Lepus animal Veneri ſacrum eſt, cuius favore, Solis, et Lunae gratia adcedente, placidum vitae exitum, et tranſitum animae in meliora alicui auguratus fuerit quiſpiam. Sicut enim anulos cum cineribus Veteres tumulabant, ut frequenti egeſtionum experimento obſervavimus, illos praeſertim, qui ad manus noſtras pervenerunt ; ita credibile eſt, multos ex his, ſymbolis propriis, et uſui reſpondentibus, fuiſſe efformatos. Leporis typus libenter quoque deferebatur, quod in multis prodeſſe falſo putaretur. Sic enim habemus apud Leonardum in *Speculo lapidum*, qui, ut diximus, omnia fere Veterum ſcrinia in hoc eruditionis genere expilavit : *Leporis imaginem in iaſpide, quando non ſit ſecundum formam ſigni caeleſtis, ſi tecum portaveris, ab ullo Daemone, ſeu Spiritu laedi non poteris . . . . . Leporis figura ſculpta in iaſpide vim habet, vexatum a Spiritibus, ſeu phreneticum liberare.*

TABVLA LVII.

DIANAE CAPVT

CAPVT DIANAE, in hac Gemma cornibus geminis munitum, micat inter ſidera, qualem invocavit Horatius in Carmine Saeculari:

Siderum regina, bicornis, audi
Luna puellas.

Sidera ſeptenario numero expreſſa ſunt, quae fortaſſe ad Triones pertinent, de quibus ſupra dictum eſt. Fulmina vero hinc inde diſpoſita pertinent ad ipſam Dianam, quae *iaculatrix* a Poëtis adpellatur. Ovidius Metamorph. Lib. v. verſ. 375.

Pallada nonne vides, iaculatricemque Dianam:

eamque Homerus in eius Hymno vocat *longe iaculantem, et ſagittis gaudentem, et emittentem ſuſpirioſa tela:* a qua multos ſagittis confectos Poëtae narrant. Pauſanias quoque in Achaicis Dianae *iaculatricis* aedem commemorat. Huc faciunt verba Callimachi in eius Hymno:

Ah miſeri, in quos tu gravem impinges iram:
Pecudes ipſarum peſtis devorat, opera vero grando;
Trucidantur autem iam ſenes ſuper filiis, et mulieres
Aut caeſae moriuntur puerperae, aut profugae
Pariunt.

Forte ſub hac imagine aliqua ex Auguſtis Feminis iam *ſideribus addita* latet, cui, divinitatis inſigne, fulmina adtribuerunt. Erat enim fulmen inter ſigna divinitatis, non

ſe-

ſecus ac ſtellae, et corona ſolaribus radiis inſignis. Lucanus Lib. VIII. verſ. 458.

Fulminibus Manes, radiis ornabis, et aſtris:

quanquam Auguſtis Feminis loco coronae radiatae, falcatam Lunam ſubſtituerint, ut ſupra obſervavimus.

TABVLA LVIII.

LVNAE CAPVT

NON modo cornua, ſed et cervicem taurinam habet Luna in hac Gemma, qualem eam plane deſcribit Orpheus in hymno:

Cornua tauri habens Luna, noctu currens in aëre.

Tauri vero huic Deae ſacri erant, eo quod teneris adhuc cornibus quandam novae Lunae imaginem referant. Stellae circumpoſitae, vel Planetas in alicuius natali proſperos indicant, vel ipſum ſtellatum Caelum inter cuius lumina potiſſimum micat; quapropter illam ſic deprecatur Orpheus in Hymno:

Veni beata, laeta, bene ſtellata, ſplendore tuo Lucens.

TABVLA LIX.

DEAE IGNOTAE PROTOME

MVTILA haec Gemma, e qua caput excidit, ex pretioſo aliquo lapide antiquitus inſertum, vel tanquam primum ectypon ab Artifice effictum, ad inſigne Ca-

Cameum abſolvendum, ipſam Lunam, vel Auguſtae Feminae protomen referebat, quae et ipſa *ſideribus addita*, inter ſidera repraeſentatur.

TABVLA LX.

DEA NOX

MARMORA Mithriaca, ſub virili adſpectu, referunt Diem, ac Noctem, quorum ille facem adtollit, haec vero demittit, et ad terram invergit. Sub eadem forma nobis ſeſe offert NOX in hac pereleganti Gemma; quanquam vultu femineo velum in altum protendens, et, ut ait Virgilius Aeneid. Lib. II. verſ. 251.

Involvens umbra magna terramque, polumque.

Facem vero demittit, iuxta illud Orphei in eius Hymno:

Quae lucem emittis ad inferna. ————

Stellas autem pedibus calcat, quemadmodum

—— *nigrum ſplendorem habens, aſtris lucens.*

Hoc vero ſimulacrum Nocti potius, quam Lunae adtribuimus, quod nulla huic propria, et convenientia inſignia in capite praeferat.

TABVLA LXI.

LVNA INTER PLANETAS

LVNAM diſtinguit in hac Gemma eius conſuetum inſigne, capiti impoſitum. Septem Stellae, vel ad Triones, de quibus ſupra loquuti ſumus, pertinent; vel ad ſe-

ſeptem Planetas, inter quas Fauſtina ſub Lunae imagine octavum locum obtinet in toties indicato nummo: nec forte a vero aberrabimus, ſi reputemus ipſam, vel aliam Auguſtam, iam morte functam, heic expreſſam eſſe; quemadmodum Livia a Samiis, ut putat Patinus, ſub Lunae ſpecie in nummis expreſſa fuit, cum epigraphe: ΜΗΝΗ ϹΑΜΙΩΝ. *Luna Samiorum*, ut in Indice in fine pag. 4.

TABVLA LXII.

DIANA EPHESIA. SERAPIS. ET FORTVNA

IDEM omnino typus in hac Gemma, in qua DIANAE EPHESIAE adſtant FORTVNA, et SERAPIS, recurrit in nummo Antonini apud Auguſtinium Dialog. V. niſi quod in hoc nummo non Serapis, ſed Aeſculapius expreſſus eſt, uno ſerpentis ſymbolo adiuncto, qui fortaſſe in hac Gemma expreſſus erat, ſed prae tenuitate oculum pictoris aufugit; quanquam haud lateat, utrumque medicinae Deum haberi. Cicero de Divinat. Lib. II. *Quid convenit aegros a Conjectore ſomniorum, potius quam a Medico petere medicinam? An Aeſculapius, an Serapis poteſt praeſcribere per ſomnium curationem valetudinis?* Hanc conſtantem trium Numinum coniunctionem effictam puto, quod alicubi eorum ſimulacra una ſimul colerentur; quum in multis etiam Graeciae civitatibus Epheſiae Dianae Templa exſtitiſſe nobis commemoret Pauſanias; praeſertim vero in Arcadicis, ubi Cellam huic Deae dicatam deſcribit, et poſt illam Fortunae aedem. Sumpta inde occaſio eſt eadem Numina ſimul in Nummis, et Gemmis copulandi, ut ſignificatum pernoſcerent Dianae patrocinio, et fortunam, et ſanitatem hominibus dari; quae duo maxime

xime ab hominibus magnopere expetuntur. Dianae corpus haud mammosum est; sed in Hermae speciem dedolatum: haec enim fuerat antiquissima simulacrorum effigies: et quum tot, ac tanta essent huius Deae ubique erecta Templa, minime mirandum est pro vario hominum ingenio, varie etiam fuisse expressam, atque ornatam. Cervae huic Deae peculiariter sacrae erant, ut constat ex Callimachi Hymno in Dianam; unde Homerus, et Orpheus in Hymnis illam vocant ΕΛΑΦΗΒΟΛΟΝ, *cervos iaculantem*: et Pausanias in Arcadicis Dianam describit *cervina pelle velatam*; immo saepenumero in antiquis monumentis currum agit, quem cervae vehunt. Claudianus de laudibus Stiliconis:

> ——————— *cervi currum subiere iugales,*
> *Quos decus esse Deae primi sub limine Caeli*
> *Roscida secundis concepit Luna cavernis.*

Solis, et Lunae asterisci hinc inde obsignati, inter huius Deae symbola computantur, ut infra dicemus. Deae caput velo, et calatho, ut in aliis antiquis monumentis, insignitum est.

TABVLA LXIII.

DIANA EPHESIA

HANC etiam imaginem DIANAE EPHESIAE adtribuimus, eo quod recto statu, et expansis manibus conspiciatur: quanquam si antiquissima simulacra, praesertim Etrusca, intueamur, sub hac specie constitisse cognoscemus. Sint nobis instar omnium exempla fictilium simulacrorum, quae in vetustissimo Pisaurensium nostrorum

rum Sacrario annis elapſis inventa ſunt ; nam ita diſpoſita erant , ut fere Dianam Epheſiam repraeſentarent : erant enim omnia feminei ſexus.

TABVLA LXIV.

DIANA EPHESIA

En alteram eiuſdem Deae diverſimode ornatam protomen, cuius corpus zonis diſtinguitur , per quas diverſos naturae ordines , et gradus facile indicare Veteres voluerunt . Turrita heic adparet : *quoniam cuiuſque Vrbis ſedes Terra eſt ; ideo fingitur turrita , quaſi Vrbes geſtet ;* ut de illa obſervavit Codinus in deſcriptione Vrbis Conſtantinop. Hinc colligimus , ſive Amazonas , ut Pindaro placet , ſive Croeſum , ut putat Pauſanias in Achaicis , qui eius Templum exſcitavit , ſub hoc commento divinitatis, non Lunam tantum (quod nomen videtur importare) ſed vel Terram , vel rerum Naturam , ut exprimeret , ſibi propoſuiſſe ; quapropter Macrobius Iſidem Dianae Epheſiae comparans , ait : *Eſt vel Terra , vel rerum Natura ſubiacens Soli . Hinc eſt , quod continuatis uberibus corpus Deae omne denſatur ; quia vel Terrae , vel Naturae rerum halitu nutritur univerſitas .* Neque aliud ſibi volunt omnigenae animalium ſpecies , quae in eius imaginibus inſculptae paſſim obſervantur ; praeſertim vero capita Solis , et Lunae , quae in eius pectore conlocantur , tanquam praecipuae Naturae partes , et inſtrumenta primigeniae illius virtutis , a qua Terra animatur , et fecundatur . Neque hinc longe abit Plutarchus in Libro de Iſide , et Oſiride , qui licet in Diana Epheſiorum Lunae numen cognoſcat ; participare tamen non mediocriter putat de Solis natura :

quod impleta, et gravida facta a Sole, rursum a se in aërem mittat, et disseminet genitabilia principia. Haec propterea ratio potissima est, cur hisce Dianae Ephesiae imaginibus semper Solis, et Lunae symbola adiecta sint. Pendent ex huius Deae brachiis geminae veluti corollae: at in superiore Tabula LXII. serta florea expressa videntur; in sequenti vero cruces ansatae adparent: quod gestamen Aegyptiae originis indicium est, ut diximus ad Tabulam XXIV. Geminae notae IN vel ad Artificem, vel ad eum, qui id amuletum sibi insculpendum curavit, pertinent.

TABVLA LXV.

DIANA EPHESIA

ITERVM et in hac Gemma spectatur eiusdem Deae simulacrum, longe tamen diverso cultu exornatum; cuius differentiae causam supra adtigimus. Eius vero capiti calathum frondentem impositum cernimus. Solis, et Lunae capita, quae eadem Dea in marmoreis signis gestat in pectore, heic ob spatii tenuitatem in area Gemmae expressa sunt. De ansatis crucibus, quae utraque manu gestat, diximus supra ad Tabulas XXIV. et LXIV.

TABVLA LXVI.

DIANA SARDIANORVM

NVMEN hoc persaepe occurrit in Asiae, et Orientis nummis; sed non unam retinet significationem; nam in nummo Caesareensium Palaestinae apud Vaillantium Tom. II. pag. 41. Astartem, ut placet viro doctissimo, repraesentat, cuius caput flore loti adornatur. At in num-

nummo maximi moduli Muſei Farneſiani Tabula XII. num. 2. DIANAM SARDIANORVM, ſed lunato capite, importat. Difficultatem vix dirimere quiſquam poterit; praeſertim quia, quum antiquiſſima, ut diximus, ſimulacra in Hermae modum facta eſſent, et pretioſis veſtibus ornarentur, hinc difficulter a nobis diſcernuntur; praecipue quum antiqua monumenta, quae nobis unam, eandemque effigiem exprimunt, plerumque inconſtantia laborent. Colebatur praeterea Diana Epheſia ſemper diverſimode ornata, non modo in multis Graeciae urbibus, ut diximus auctoritate Pauſaniae; verum et in tredecim Aſiae civitatibus, ut probat Callimachus in eius Hymno:

Tredecim tibi urbes, et urbem non unam dabo,
Tredecim tibi urbes, quae neminem alium Deum honorare
Sciunt, quam ſolam te, et Dianam ſolam invocare.
Multas etiam communiter cum aliis urbes dimetiendas,
Tum mediterraneas, quam inſulas, dabo.

Inclinarem tamen in eam opinionem, ut Sardianis potius, quam ceteris populis id Numen adtribuerem; quia in alio nummo Tabula XIV. num. 4. eiuſdem Muſei Farneſiani, geminae imagines Dianae occurrunt, ſingulis adiecta epigraphe ſua: EPHESIORVM ET SARDIANORVM; quae poſtrema ad hanc noſtram maxime adcedit: quare libenter inferrem, ſingulas quidem Aſiae urbes, eandem Dianam coluiſſe; ſed ſub diverſa ſpecie figuratam, quas tamen definire non eſt praeſentis otii: verum quia, ut diximus, ſub eo nomine totam rerum Naturam intelligebant, adeout calathum eius capiti imponerent; mirandum non eſt, ſi ſpicas quoque ei in hac Gemma addiderunt, in qua ſicut in ceteris, Sol, et Luna adiecti ſunt.

TABVLA LXVII.

DEA CAELESTIS

QVVM primum Gemmam hanc oppido ſingularem, e Goriana Dactyliotheca ſelectam, intuerer, in mentem mihi venit locus ille apud Heſiodum Poëtarum profundiſſimum in Theogonia :

> *Tellus vero primum quidem genuit parem ſibi*
> *Caelum ſtellis ornatum :* ———————

et quodammodo mihi videbatur videre Tellurem ipſam, quum ingentem hunc natum enixa eſt, illius luminaria gemina face, quam manibus adtollit, ſuccendere, atque inluminare. Adtamen ea mihi planior explicatio viſa eſt, non Caeli nativitatem heic repraeſentari ; ſed femineum aliquod Caeli Numen, fortaſſe VRANIAM, aut CAELESTEM DEAM, quam *Deo Caeleſti* coniungebant Afri, apud quos Deorum maximus habebatur. Caeleſtem, inquam, Deam, de qua multa mentio eſt apud Fabrettum Inſcr. Domeſt. Cap. IX. pag. *669*. et apud Cl. Gorium in Inſcript. ant. Etrur. Vrbium Par. I. pag. 21. et 105. et quam ſub Aetheris nomine laudavit Orpheus ; cuius deſcriptio tam bene congruit huic eximiae Gemmae, ut ad illam quodammodo reſpexiſſe Gemmarius Scalptor videatur :

> *Iovis ſublimem domum habens, tenens imperium indomitum*
> *Aſtrorum, Solis, et Lunae partem:*
> *Omnidomans, ignem ſpirans, omnibus viventibus fax:*
> *Alte adparens, Aether mundi, elementum optimum ;*
> *Oh inclutum germen, ferens ſplendorem, aſtris fulgorem praebens :*
> *Vocans, ſupplico te potentem, tranquillum eſſe.*

Ex

Ex aſtris in Caelo conlocatis ingentes defluunt ſplendores, ad ſignificandum illos aſtrorum influxus :

——— et conſcia fati
Sidera diverſos hominum variantia caſus ;

ut legimus apud Manilium Lib. I. verſ. I.

TABVLA LXVIII.

VRANIA

INGENIOSISSIMVM Artificem oſtendit haec Gemma, in qua ad horoſcopum alicuius exprimendum, VRANIA Caeli arbitra efficta eſt, quae radio caeleſtem ſphaeram verſans, Scorpii ſignum monſtrat ; Sole, et Luna deſuper praefulgentibus. In hanc imaginem adamuſſim conlimant verba Martiani Capellae, ita deſcribentis Aſtrologiam : *Proſpicio quandam feminam, luculentum radium dextra, altera ſphaeram ſolidam geſtantem :* radium, inquam, ſeu ſtilum, quo Caeli ſigna, atque ſpatia veteres Mathematici deſcribebant adnotat Virgilius Eglog. III. verſ. 40.

——— et quis fuit alter,
Deſcripſit totum radio, qui gentibus orbem.

Et Aeneid. Lib. VI. verſ. 849.

——— Caelique meatus
Deſcribent radio, et ſurgentia ſidera dicent.

Quem priorem locum ita explicat Servius : *Radio, ideſt virga Philoſophorum, qua Geometrae lineas indicant.*

TA-

TABVLA LXIX.

VRANIA

EADEM, quae in praecedenti ſchemate ſedens, VRANIA meditabunda orbem artificialem rotat, atque contemplatur: heic vero ad altiora geſtiens, ſtans, atque alata ipſum orbem ſtellatum adtollit, ſeu potius ad motum ciet. In nummo Pertinacis Mulier ſtans conſpicitur, quae elatis manibus orbem caelitus demiſſum ſuſcipit, cum epigraphe: PROVIDENTIA DEORVM; qui typus aliquam cum hoc noſtro adfinitatem habet: adeout non repugnarem in hac Gemma, ſicuti et in priori, ipſam Providentiam eſſe figuratam.

TABVLA LXX.

MVSA

QVanquam MVSAE in nummis, et marmoribus, ut plurimum, matronali habitu, vel ſtolatae, vel palliatae conſpiciantur; adtamen quum in priore Gemma Vraniam ſeminudam viderimus, nil moror, quin eandem, aut aliam ex Muſis in hoc lapillo non agnoſcamus, quae volumen diſſolvit, in quo facile carmen aliquod ſcriptum. Obſervatu dignum eſt, in hac Gemma Solis aſtrum ſub Muſae pedibus ſitum; quum alioqui in ſuperiori area locus aptiſſimus Gemmario Opifici pateret. Fortuito ne id factum ſit, an conſulto, definire non audeo. Si tamen ratio aliqua huius diſpoſitionis ab Aſtrologia expetenda eſt, quum infimus ille locus quinctus ab Horoſcopo numeretur, putant Aſtrologi, Solem ibi conlocatum,

locatum, Poëtis esse propitium; si praesertim Veneri coniunctus sit; atque, ut verbis utar Firmici Lib. III. Cap. 6. *Coronarum largitur insignia, ac praetexta veste natum hominem decorabit; sed et a Populo honores ei maximi conferentur.*

TABVLA LXXI.

AESCVLAPIVS IMBERBIS

AESCVLAPIVM, tum cetera eius consueta ornamenta, tum etiam mutila inscriptio AESCV. e regione adiecta ostendunt. Quanquam vero illum imberbem videamus; illum tamen puto, cui Dionysius Tyrannus auream barbam detraxit, ne senior patre Apolline, qui ephebus est, videretur. Pileum ei propter itinera pro aegrotis sanandis suscepta, tributum cernimus. Novum tamen non est Aesculapium sub impuberi specie figuratum; nam etiam Pausanias in Corinthiacis talem alicubi fuisse ostendit: *Qua ex arce deseenditur, Aesculapii aedes est, in qua eius signum imberbe.*

Insigne Solis ipsi convenientissime adiungitur, non modo ad significandum Aesculapium Apollinis filium esse, et Medicinam ab eo didicisse; verum et ad indicandum Solis praesidium, atque eius concursum praesentissimum esse ad sanitatem reparandam, quum et ipse Medicus haberetur. Sic enim de illo loquitur Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 17. *Eadem opinio Sospitalis, ac Medici Dei in nostris quoque sacris fovetur; namque Virgines Vestales ita indigitant:* Apollo Medice, Apollo Paean. *Quum ergo sint huiusce sideris, idest Solis, duo maximi effectus; alter, quod calore temperato, mortalium vitam iuvat; alter, quod iactu radiorum*

non

nonnunquam peſtiferum immittit virus ; duo eademque cognomina circa ſingulos effectus propriis enunciationibus ſignant. Illum etiam ita invocat Pſamonicus Serenus rei Medicae Cap. I.

Phoebe ſalutiferum, quod pangimus, adſere carmen,
Inventumque tuum prompto comitare favore.

Invenio quoque apud Livium Lib. XL. Apollinem Medicum aedem Romae habuiſſe, a M. Fulvio Nobiliore, dum Cenſuram ageret, exſtructam.

TAB. LXXII. ET LXXIII.

AESCVLAPIVS

GEMINAE hae Gemmae, quae ſibi fere reſpondent, AESCVLAPIVM barbatum, eodem aſtro inſignitum, exhibent ; cuius ratio ab his, quae ſupra diximus, petenda eſt.

TABVLA LXXIV.

AESCVLAPIVS ET MINERVA

QVod AESCVLAPIO MINERVA coniuncta ſit, ratione non caret ; nam Aeſculapii officium Medicinae ſcientia, et prudentia maxime conſtat. Stellae utrique Numini adpoſitae Planetas indicant uni Artifici cognitos : quae vero Aeſculapio inminet, facile eſt ipſum aſtrum Solis, a quo Deus ille progenitus ferebatur. Hinc apud Virgilium Aeneid. Lib. VII. verſ. 772. *Phoebigena* nuncupatur :

Ipſe repertorem Medicinae talis et artis
Fulmine Phoebigenam Stygias detruſit ad umbras.

Fi-

Filium Apollinis, quem genuit divina Coronis, adpellat Homerus in Hymno; immo in alio apud Orpheum, eodem titulo, quo *Pater Paean*, indigitatur.

Optime etiam cum Aesculapio Medicinae parente Minerva sociatur; quae etiam MEDICA cognominata est, et Romae Templum habuit in Regione V. Exquilina ex P. Victore, et quidem Pantheum; cuius vestigia exhibet Cl. Montfauconius Cap. VIII. Diarii Italici pag. 122. Hinc etiam saepenumero prope Minervae imaginem serpens additus cernitur in vetustis monumentis, vel etiam eius hastae circumplicatus: quibus symbolis et ipsa Medicinae parens, vel auctrix declaratur. Minervae *Medicae*, eiusque aedis mentio fit in sequenti lapide penes Fabrettum Inscript. Domest. Cap. X. pag. 716. num. 376.

D . M
CN . VERGILIVS
EPAPHRODITVS
MAGISTER . ODORARIVS
A . MINERVA
MEDICA . VIXIT . ANNOS
SEPTVAGINTA . ET
. . . . . .

TABVLA LXXV.

VENVS ANADYOMENE

VENERIS e mari ortum, ita describit Hesiodus in Theogonia:

Prodiit vero veneranda, formosa Dea; circum vero,
Pedibus sub mollibus herba crescebat, Aphroditen, ac ipsam

Spumâ progenitam Deam : et decoram pulchris ſertis
Cytheream
Nominant tam Dii , quam homines .
Hanc Amor comitatus eſt , et Deſiderium ſequebatur
pulchrum .

Quis vero in hac caelatura , in qua Venus capillos adhuc humore marino ſtillantes manu abſtergit , Apellis picturam non deprehendat ? Hanc Antipater Sidonius ita deſcribit in Antholog. Lib. IV. Cap. XII. 26.

Emergentem ex matre iam mari
Venerem , Apelleae laborem intuere picturae .
Quomodo manu corripiens irrigatam aquâ comam ,
Exprimit humidis ſpumam e crinibus .

Quae carmina ſic vertit Auſonius Epigram. 104.

Emerſam Pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin , Apellei cerne laboris opus .
Vt complexa manu madidos ſalis aequore crines ,
Humidulas ſpuma ſtringit utraque comas .

Amores gemini , quos ſtatim prodiiſſe recitat Heſiodus , delphinorum caudis inſiſtunt . Hos etiam per delphini dorſum reptare videas in Simulacro , quod Romae exſtat in aedibus Farneſianis , et in Muſeo Mediceo , immo fere in omnibus ceteris . Inſtat vero conchae , qualem illam oculis noſtris ſubiiciunt antiqua marmora , et ſcripta Poëtarum . Tibullus Lib. III. Eleg. 3. verſ. 34.

Et faveas concha , Cypria , vecta tua .

Apud Statium eadem Venus ita mulierem formoſam laudat :

Haec

Haec eſt caeruleis mecum conſurgere digna
Fluctibus , et noſtra potuit conſiſtere concha .

Tres Stellae facile Caelum deſignant ; nam aliquando Venus *Caeleſtis* dicta eſt . Pauſanias in Atticis : *Non longe abeſt Caeleſtis Veneris delubrum , quam primi omnium Aſſyrii coluere* . Alterum eiuſdem Deae ita cognominatae fanum adnotat idem Pauſanias in Corinthiacis , et in Achaicis . Mentio quoque illius occurrit apud Ciceronem de Natura Deorum Lib. III.

TABVLA LXXVI.

VENVS PELAGIA CVM SPECVLO ET PECTINE

VENVS in hac Gemma, hinc inde ſcalpta, inſidens ſcopulo, proprio aſtro ſuo exornatur, cum Lunae, et Solis aſterismis ; ſpeculo vero , et pectine , praecipua ſui cultus ſupellectile , velut ſibi comam componens , munita eſt . Hoc nempe eius praecipuum ſtudium , haec praecipua arma , atque praeſidia fuerunt , quum praeſertim in diſcrimen pulcritudinis iudicio Paridis ſeſe ſubiecit apud Silium Italicum Lib. VII. nam ex Amoribus alter currum temperabat :

Aſt alius niveа comebat fronte capillos ,
Purpureos alius veſtis religabat amictus .

Venerem quoque in pectinis , atque ſpeculi officiis detentam pingit nobis Claudianus de Nuptiis Honorii , et Mariae :

Caeſariem tunc forte Venus ſubnixa coruſco

Fingebat ſolio ; dextra , laevaque ſorores
Stabant Idaliae : largos haec nectaris imbres
Irrigat ; haec morſu numeroſi dentis eburno
Multifidum diſcrimen arat ; ſed tertia retro
Dat varios nexus , et iuſto dividit orbes
Ordine , neglectam partem ſtudioſa relinquens .
Plus error decuit : ſpeculi nec vultus egebat
Iudicio : ſimilis tecto monſtratur in omni .

Adeo vero ſpeculis , atque pectinibus delectari Divas ferebant , ut inter devota plebis officia recenſitum fuerit ſtatis horis contra illorum ſimulacra ſpeculum ſuſtinere , atque ita geſtu movere pectinem , tanquam ſi Deae ipſae ſeſe pecti , atque ornari dignarentur : quas caeremonias in Notis ad picturas Etruſcas brevi explicatas iri ſperamus , inluſtrata Vaſcularia ſupellectile inſigni ex Etruſcis fodinis , quam ſummo ſtudio , ſummiſque impenſis conlegit , aereiſque Tabulis plurimis incidendam curavit amiciſſimus Gorius , ad iuvandas bonas litteras natus .

Aſtrum Veneris ab eius tergo reſplendet , ſub quo caput ex antro exſerit marinum monſtrum , quo eiuſdem Veneris in mari poteſtas , eiuſque origo deſignatur . Notae ΤΛΩ vel compendiariae ſunt , nec quidpiam ſoni reddunt : vel potius a Gnoſticis effictae , in Baſilidianis obviae .

TABVLA LXXVII.

TEMPLVM PAPHIAE VENERIS

ADſpectum Templi PAPHIAE VENERIS , quem nobis ob oculos ponit haec Gemma , intuemur etiam in nummis apud Auguſtinium Dialog. V. Vaillantium , alioſque

que rei nummariae illuſtres Interpretes. Navem Templi ſuſtinent hinc inde columnarum maiorum alae, quibus tectum inſiſtit. Latera occupant xyſti humiliores, ſub quibus candelabra ardentia locata ſunt, illiſque columbae inminent. Deae vero ſimulacrum ita deſcribit Tacitus Hiſtoriar. Lib. II. in princip. *Simulacrum Deae non effigie humana, continuus orbis, latiore initio tenuem in ambitum, metae modo, exſurgens. et ratio in obſcuro.* At minime in obſcuro; nam ante inventum uſum ſimulacrorum, rudes lapides conſecrabantur in Deos, et *Betylos* adpellabant; ducta religione a *betylo* ſaxo, quem Deûm Mater Saturno vorandum pro Iove dedit; quanquam ſint qui putent hanc ſuperſtitionem impie detortam fuiſſe a myſterio lapidis, quem Iacob conſecravit, et בית אל *Bet-El*, hoc eſt *Domum Dei*, adpellavit. Hinc fortaſſe invaluit apud Orientales, ut lapides pro Diis colerentur, a quibus Roma excepit et magnam Matrem Peſſinuntiam, et Deum Helagabalum, Graecia quoque frequentiſſime, ut teſtatur Pauſanias, qui alterum eiuſdem Veneris ſignum in hermae quadrati modum conformatum memorat in Atticis. At de his fuſius differendum erit in Indigitamentis. Huic Templo in omnibus nummis ſtella inminet, quam Veneris eſſe non dubito, cui ſubiecta Luna ſilens copulatur: quam coniunctionem naſcentibus pueris valde beneficam eſſe, tradit Tullius de Divinatione Lib. I. quo reſpexiſſe videtur Iuvenalis Sat. VI. verſ. 569.

Haec tamen ignorat, quid ſidus triſte minetur
Saturni, quo laeta Venus ſe proferat aſtro.

Id vero decretum luculentiſſime explicat Firmicus Lib. IV. Cap. I. *Si Luna feratur ad Venerem, faciet parentes nobiles,*

les, et maximae poteſtatis potentia ſublevatos . . . . . et qui maximis potentiae fulgeant honoribus, pleni venuſtatis, et gratiae.

TABVLA LXXVIII.

TEMPLVM PAPHIAE VENERIS CVM SERAPI

TEmplum PAPHIAE VENERIS eodem aſtro inſignitum et in hac Gemma occurrit. Area circularis incluſa ſepto cum in hac, tum in priore obſervatur; immo in omnibus Paphiorum nummis quotquot adhuc vulgati ſunt. De hac mirum quiddam refert Plinius Lib. II. Cap. 6. *Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aream non impluit.* Neque facile ſubſcripſerim Harduino, qui aram, pro area ſubſtituit: nam id miraculum non ad aram modo pertinebat; ſed ad locum, in quo altaria multa conſiſtebant, ut colligitur ex Tacito Hiſtoriar. Lib. II. *Precibus, et igne puro altaria adolentur; nec ullis imbribus, quanquam in aperto, madeſcunt.* Conſtat enim altaria non in Templo conſtitiſſe; ſed in area illa, quae contra Templa conſtituebantur, in quibus arae multiplices locatae erant, ut omnium votis ſatisfacerent. Veneri in hac Gemma Serapis iunctus eſt: quod arbitrio Sculptoris, et privatae religioni imputandum eſt; quanquam duo praecipue Numina Cyprii coluerint Iovem, et Venerem, quorum delubris ius aſyli vindicarunt, ut auctor eſt Tacitus Annal. Lib. III. 62. *Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetuſtiſſimum Paphiae Veneri auctor Aerias; poſt filius eius Amathus Veneri Amathuſiae, et Iovi Salaminio Teucer, Talamonis patris ira profugus, poſuiſſent.*

TA-

TABVLA LXXIX.

CVPIDO

In eleganti hac Gemma Muſei Oliverii CVPIDO cernitur arae inſidens, quod ſaepenumero et ceteris Diis adtribuitur; nam eorum aris praeſentem eſſe, atque adeſſe ſacris credebant: quod praecipue Etruſcae traditionis erat, in quorum picturis Dii plerumque propriis altaribus, et ſacrificiis adparere cernuntur. Cupidini palma adtribuitur in victoriae ſignum; qua etiam ornatus ſpectabatur in Eleorum Gymnaſio, ut narrat Pauſanias Eliacorum priore. Vnde Virgilius Eglog. X. verſ. 69.

Omnia vincit Amor. et nos cedamus Amori.

Duplicem ambabus manibus ſagittam oſtentat; quarum una ſurſum directa eſt, deorſum altera: cuius differentiae ratio ea facile fuit, quod ipſe Amor et ſuperos ſimul, atque homines ſpiculis impeteret, atque exſuperaret, iuxta Heſiodum in Theogonia:

Atque Amor, qui pulcherrimus inter immortales Deos,
Solvens curas, et omnium Deorum, atque omnium hominum
Domat in pectoribus animum. ———————

Aſtrum ſuperne effictum, ad tutelam pertinet illius, qui huiuſmodi amuleto Amorem ſibi devincire ſatagebat, ut ex Erote Anteros, hoc eſt redamatio, naſceretur.

TA-

TABVLA LXXX.

DIOSCVRORVM CAPITA

CASTORIS, et POLLVCIS capita consuetis pileis Laconicis ornantur, quibus pileati adpellantur a Catullo XXXVII.

A pileatis nona Fratribus pila:

hoc est nono ab urbe lapide: quorum mensura a Miliario aureo initium ducebat, quod erat in Foro Romano ante aedem Castorum. Eam pilei formam ideo Dioscuris adtributam credunt, quod ovum imitetur, e quo uterque natus est: cui manifeste adlusit Lucianus in Dialogo Apollinis, et Mercurii, ita illos describens: *Omnia aequalia sunt inter illos, ovi pars dimidia, et stella superne fulgens, et iaculum in manu, et equus utrique candidus.* Astra in capite gestant, non modo indicium subitarum flammarum, quae nautis adparent, de quibus suo loco dicendum est; verum etiam ad eas stellas indicandas, quae in utriusque capite refulgent, sub quorum auspiciis si quis natus sit, multa sibi bona repromittit, si qua fides Manilio Lib. IV. vers. 153.

Mollius e Geminis studium est, et mitior aetas
Per varios cantus, modulataque vocibus ora;
Et graciles calamos, et nervis insita verba,
Ingenitumque sonum. labor est etiam ipsa voluptas.
Arma procul, lituosque volunt, tristemque senectam:
Otia et aeternam peragunt in morte iuventam:
Inveniunt et in astra vias. ———————

TA-

TABVLA LXXXI.

CAPVT IOVIS CVM DIOSCVRIS

GEminis DIOSCVRIS caput IOVIS adiunctum eſt, ut parentis religio, filiorum venerationem augeret; nam ab eo progeniti ſunt, ut canit in illorum Hymno Homerus:

Caſtora, et Pollucem cane, Muſa ſuavis,
Tyndaridas, qui a Iove Olympio geniti ſunt,
Quos ſub Taigeti vertice peperit veneranda Leda
Clam ſubdomita a nigrinube Saturnio.

Enſes in manibus utriuſque poſiti ſunt, quales a Theocrito deſcribuntur, dum Lynceum inducit, ita illos obiurgantem:

Infelices cur pugnam adpetitis; quid propter ſponſas
Alienas moleſti eſtis, et ſtricti ſunt in manibus enſes?

Et rurſus:

Illi enim enſes e vaginis ſtringentes, rurſus caedem
Struebant. ———————————

Illoſque celebrat, quod rite invocati in Martis diſcrimine, homines ſervarent:

——————— *hominum ſervatores,*
Et equorum turbatorum in cruento coetu.

Stellae eorum capitibus adiectae ſunt, quum ipſi inter Zodiaci ſigna, ut diximus numerentur; quanquam alterna vice ſplendeant: unde fabula ſuborta eſt immortalita-

tem, quam alter nactus esset, pro dimidia cum fratre communicasse. Hyginus de Stellis: *Addunt, ut Castor in oppido Ariadnis sit occisus. Pollucem, cit Homerus, concessisse fratri dimidiam vitam, itaque alternis diebus lucere.* In hac Gemma nati alicuius genituram adumbratam credimus, in qua Iupiter in Geminis sit inventus: quod bona multa portendere dictitant veteres Astrologi, et praecipue Firmicus Lib. v. Cap. 4. *In Geminis Iupiter si fuerit inventus, quicumque eum sic habuerint, in maximis gloriis erunt, ac potestatibus in amicitiis noti.*

TABVLA LXXXII.

CAPVT IOVIS SERAPIDIS INTER SIGNA LEGIONVM

HAEC elegans Gemma pertinet ad religionem signorum militarium, quae maxima in Castris semper exstitit. Aquila legionis cuiusve insigne, ut semper in nummis, atque marmoribus, medium occupat locum. Hinc inde signa locata sunt, in quibus gemini Castores insistunt, tanquam Dii bellatorum praesides, vel ad Legionem aliquam Geminam indicandam, cui similitudine nominis quodammodo adluderent. Vtcumque se res habeat, nulli dubium est, hisce signis inter cetera ornamenta etiam Deorum imagines coniunctas fuisse, ex quo illa venerari caepta sunt. Suetonius in Vitellio Cap. II. *Artabanum ad veneranda Legionum signa pellexit:* et Vegetius Lib. II. Cap. 6. *Imagines Imperatorum, et praesentia signa veneratur.* Ea etiam instar divinorum simulacrorum inungebantur. Plinius Lib. XIII. Cap. 3. *Aquilae certe, ac signa illa pulverulenta, inunguntur etiam diebus festis.*

Stel-

Stellae Caſtorum inſigne ſunt. Caput Serapidis ad peculiarem cultum pertinet illius, in cuius gratiam Gemma haec inciſa eſt.

TABVLA LXXXIII.

HERCVLES ET DIOSCVRI

CASTOR, et POLLVX equos frenant, quales in Capitolii ornamentum eximiae molis conlocatos, et in nummis Maxentii obſervamus. Huius adtributi cauſa minime in obſcuro eſt apud Rerum Romanarum Scriptores. Ait enim Dionyſius Halicarnaſs. Lib. I. *Quum proſpere ad lacum Regillum pugnatum eſſet, duo Equites nuncium victoriae adtulere: inde viſos ad Iuturnae lacum prope Forum equos ſudore manantes abluere, creditoſque eße Caſtorem, et Pollucem, atque ubi adparuißent, aedem inde conſtructam;* quod etiam ille ſubdit Lib. IV. et firmat quoque Cicero de Natura Deorum Lib. II. et Ovidius Faſt. Lib. I. verſ. 707.

Nec diverſimode a Graecis colebantur; illos enim in Hymno Homerus adpellat:

——————— *velocium conſcenſores equorum.*

Et Theocritus in Dioſcuris id adtributum ipſis inter cetera elargitur:

O ambo mortalibus auxiliatores, o amici ambo,
Equites, Cytharißtae, Pugiles, Cantores.

Hyginus quoque in Libro de Stellis narrat, Neptunum eos muneraſſe; nam equos, quibus utuntur, iiſdem largitus eſt.

Hercules clava, et ſcypho ornatus, a Caſtoribus minime alienus eſt; nam una ſimul ad Colchicam expeditionem profecti ſunt, ut narrat Apollonius Argonautic. Lib. I. qui omnem Heroum conventum deſcribit, quum Herculi delatum eſt expeditionis imperium, quod ille recuſatum, Iaſoni delatum voluit:

Adſpexerunt Iuvenes audacem Herculem
Sedentem in mediis: uno autem ipſum omnes clamore
Imperitare iuſſerunt: ille vero ibi, ubi ſederat,
Dexteram manum extendit, aitque;
Ipſe, qui concivit, ille praeſit conventui.

TABVLA LXXXIV.

DIOSCVRI

SVB differenti adſpectu nobis ſe oſtendunt DIOSCVRI in hac Gemma; nam Caſtor equum moderatur; Pollux vero prope aram ſacrificat. Equos certe ambobus tribuit Antiquitas, ut ſupra vidimus. Adtamen magis proprie Caſtori equeſtris diſciplina adtributa eſt, Polluci pugilatus. Homerus Iliad. Γ.

Duos autem non poſſum videre principes populorum,
Caſtoremque equitandi peritum, et pugilatu ſtrenuum Pollucem,
Germanos fratres, quos mihi una genuit mater.

Horatius Carm. Lib. I. Od. XII.

Dicam et Alciden, puroſque Ledae,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem. ———————

Et

Et Ovidius Faſtor. V. verſ. 700.

Tyndaridae Fratres, hic Eques, ille Pugil.

Sacrificium, quod Pollux peragit, vel ad aliquam expiationem pertinet; vel ad expeditionem Argonautarum, cui ſacrificium Apollinis Heroës praemiſerunt. Apollonius loco citato:

Interim poſt et aram littoralem Embaſii
Poſuerimus Apollinis, qui mihi vaticinans praecepit
Significare, oſtendereque vada maris, ſi ſacris
A ſe ipſo auſpicarer.

Et Valerius Flaccus Argonautic. I. verſ. 188.

Tum laeti ſtatuunt aras tibi, Rector aquarum,
Summus honor; tibi caeruleis in littore vittis,
Et Zephyris Glaucoque bovem, Thetidique iuvencam!

TABVLA LXXXV.

DIOSCVRI CVM LVNA

HEIC effinguntur CASTORES equis inſidentes, quales Romani obſervarunt, partam ad Regillum victoriam denunciantes. Luna ſuperne inſculpta denotat eiuſdem Planetae in Geminis ſtationem, quum ille natus eſt, in cuius gratiam haec Gemma caelata fuit. Firmicus Lib. VI. Cap. 9. cuicumque hunc Planetam in geminis habuerit, multa in proſpera hariolatur; ſed tamen eos futuros dicit: *boni ſenſus, acuti ingenii, et ad omnes, ſi voluerit, actus ſatis induſtrios:* litterae initiales L A A nomen privati hominis indicant, ſeu Gemmae domini, facile *Lucium Aurelium Aſperum*, aut aliud quid ſimile.

TA-

TABVLA LXXXVI.

DIOSCVRI

STANT in hac Gemma CASTORES innixi haſtis, veluti excubias ducentes, quemadmodum in nummis milites, qui labarum cuſtodiunt : ii enim, qui militiam profitebantur, Deos, qui eandem diſciplinam profeſſi eſſent, militaribus officiis occupatos figurabant : quemadmodum Martem expreſſerunt tropaeum humeris deferentem. Vterque parazonio, atque haſta inſtructus eſt, qualia ornamenta iiſdem convenire ſupra indicavimus.

TABVLA LXXXVII.

MERCVRIVS CRIOPHORVS

TYPVS huius Gemmae mire convenit cum antiquo marmore, cuius ectypam formam apud me adſervo, in quo Mercurius arietem ducit : quod unum intereſt inter utrumque, hic ſiniſtra cultrum ; in marmore vero pateram gerit : ceteroquin mire conveniunt. MERCVRIVM CRIOPHORVM deſcribit nobis Pauſanias in Boeoticis his verbis : *Quod vero ad Mercurii templa duo adtinet, quorum alterum* CRIOPHORI, *ideſt arietem portantis, nuncupant : cognominis eam eſſe cauſſam dicunt, quod peſtilentiam Mercurius averterit, circumlato in murorum ambitu ariete*. Huc facile pertinere poſſunt Solis, et Lunae numina, quae ut peſtilitatem depellerent, praeſertim in Ludis ſaecularibus, invocabantur ; quorum ſymbola, quum in hac Gemma expreſſa ſint, non dubitavi praecipuam eius figuram alteri Deo, non vero ſacrificulo, adtribuere.

Aver-

Aversae partis inscriptio, si interpungatur, facile explanari poterit: EIC. ZEYC. CAPANIC. Hoc est siquidem: *Iupiter Serapis*. Forte notâ EIC. intelligendum, ISIS.

TABVLA LXXXVIII.

MERCVRIVS CVM DIOSCVRIS

CASTORES in hac sculptura omnibus symbolis ornantur, quibus illos cumulavit supra memoratus Lucianus: *Ovi pars dimidia, stellae superne fulgentes, iaculum utrique, atque equus albus*. Mercurius vero medius inter ipsos arieti inequitat. Magna enim inter MERCVRIVM, et DIOSCVROS adfinitas intercedit; nam ab illo nutritos fuisse gemellos Deos tradit Pausanias in Laconicis: *In Pephno Castores primum in lucem editos Thalamatae memorant. Enutritos quidem Pephni negant; sed a Mercurio Pellanam deportatos*. Aries Mercurio sacer est, ex quo ille Typhonis iram fugiens, in huius animalis formam se se convertit, ut alibi dictum est: sive potius, ut Artemidoro placet, *quia velox est animal, eique Mercurii species creditur inesse*. Subest etiam physica ratio cur MERCVRIVM geminis Fratribus coniunctum videamus; nam illorum domus huic Planetae tanquam propria adsignatur, ut diximus in principio huius Operis: cuius conlocationis haec decreta recensentur apud Firmicum Lib. IV. Cap. 8. *Erunt acuti sensus, ingeniosi, sagaces; sed semper in malum proni: et qui facundiam, et industriam suam ad lites, iurgia, et dissensiones, atque discordias semper adcommodent*.

TA-

TABVLA LXXXIX.

MERCVRIVS IN SIGNO TAVRI

MERCVRII caput propriam ſtellam fronti adpoſitam oſtendit. E regione cervix caeleſtis Tauri cernitur, cui Luna inminet duabus ſtellis exornata. Si Mercurium in Tauri ſtatione contemplemur, haec repromittit Firmicus memorato Lib. v. Cap. 8. *Homines erunt mali, litigioſi, rixatores, homicidae . . . . . ſed quum ſecundum geniturae Trigonum Iupiter tranſierit, fueritque Mercurius benevolarum Stellarum proſpera radiatione munitus, aliquid priſtinae ferocitatis deponere coguntur.* Id forte ſibi voluit huius Gemmae ſcalptor, qui caput Tauri multiplici aſteriſco conſignavit.

TABVLA XC.

MERCVRIVS IN SIGNO TAVRI

PRIOREM Gemmam explicat haec ſequens, in qua idem prorſus Caeli arcanum, diverſo tamen ingenio, expreſſum eſt. Taurus antica ſui parte tantum conſpicuus eſt, qualem exprimunt Aſtronomi, et deſcripſit Ovidius Faſtorum Lib. IV. verſ. 718.

Vacca ſit an Taurus, non eſt cognoſcere promptum,
Pars prior adparet, poſteriora latent.

Illi inminet Caduceus, ut Mercurius in ea domo adſcendens oſtendatur. Adſtant vero hinc, atque inde geminae ſtellae, quae totidem Planetas facile indicant. Sed prope Tauri oculum ſcitiſſime ſtella figurata eſt, quam

pa-

palilicium vocant Aſtronomi primariae magnitudinis. Hanc inter regias ſtellas numerat Firmicus Lib. VI. Cap. I. cum qua, ſi Luna congrue copulata inveniatur, *potentiſſimas ſubſtantias ipſa decernit, et magnae poteſtatis inſignia.*

TABVLA XCI.

MERCVRII SYMBOLA

ORnamenta MERCVRII nobis refert haec Gemma, Talaria, Stellam, Caduceum; nam illi non modo alas in capite tribuerunt, ad ingenii alacritatem ſignificandam; verum etiam in pedibus, ut eius velocitatem indicarent, qua rapido curſu ad Superos, atque Inferos devolabat; quapropter *alipedem* vocavit Ovidius Metamorph. Lib. XI. verſ. 312.

Alipedis de ſtirpe Dei. ——————

Et Lib. V. verſ. 755.

——————— *mactatur vacca Minervae,*
Alipedi vitulus, taurus tibi, ſumme Deorum.

TABVLA XCII.

MERCVRIVS

HVIVS Dei imago ita expreſſa eſt, ut in caelum ſe ſe adtollere videatur, ad Deorum monita, quae ad homines deferat, ſuſcipienda; ſive, ut animas fato functas in debitas ſedes deducat, iuxta ea, quae de ipſo cecinit in eius Hymno Orpheus:

Triſtibus animabus Nuncius in terra exiſtens,
Quas abducis, quando Fati tempus venit,
Sacra virga demulcens.

Quem imitatus videtur Horatius Ode X. Lib. I.

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
Gratus, et imis.

Et Virgilius Aeneid. Lib. IV. verſ. 242.

Tum virgam capit. hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit.

Id etiam officium illi adtribuit Homerus Odyſs. XXIV.

Mercurius autem animas Cyllenius evocavit
Virorum procorum: tenebat autem virgam in manibus,
Hac ducebat impulſas; hae autem frementes ſequebantur.

TABVLA XCIII.

MERCVRIVS

In hoc emblemate MERCVRIVS galeatus, et haſta inſignitus adparet: quae quidem ornamenta, quanquam ipſi rariſſime tribuantur, ab eo tamen non abhorrent. Non equidem galea, ut teſtatur Pauſanias Eliacor. pior. *Mercurius arietem ſub brachii ala gerens, et galea caput armatus.* Haſta vero Deorum omnium inſigne eſt, ex auctoritate Iuſtini Lib. XLIII. *Namque et ab origine rerum, pro Diis immortalibus veteres haſtas coluere; ob cuius religionis*

gionis memoriam adhuc Deorum ſimulacris haſtae adduntur. Mercurii ſtella non radiata, ſed globoſa eſt; ita enim non eius ſplendorem, ſed ſolidam, ut credebant, et paene terream ſubſtantiam exprimere voluerunt, ut nonniſi a Sole inluminetur, a quo non recedit ultra ſpatium XXVIII. graduum: ex quo fit, ut raro admodum nobis adpareat, Solis fulgore involuta.

TABVLA XCIV.

MERCVRIVS

MERCVRIVM ambiunt Luna cum ſeptem Stellis, quas ego ad Trionas refero, iuxta ea, quae dicta ſunt ad Tabulam XXXVII. quapropter ſub hoc typo, vel principem virum fato functum ſub imagine Mercurii adumbratum puto; vel ipſum Mercurium deductorem animarum, qui huius ſculpturae officio demulcetur, ut animam alicuius in illum caeli apicem benevolus conlocet. De hoc Mercurii adtributo videnda ſunt, quae notavimus ad Tabulam LXX.

TABVLA XCV.

MERCVRIVS

INter MERCVRII ſymbola praecipuum locum obtinet gallus, quo in hac Gemma decoratur. Rationem huius adtributi reddit Fulgentius Mytholog. de Mercurio: *Gallum quoque in eius ponunt tutela; ſive quod omnis negotiator ſemper invigilet; ſeu quod ab eius cantu ſurgant*

ad peragenda negocia. Teſtudinem vero illi adtribuit Martianus Capella, qui Philologiam deſcribit ſecundum caelum adeuntem, cui puella occurrit cum tabula, in qua inter Mercurii myſtica ornamenta teſtudo computatur. Nec ſine ratione; quum Mercurius terreſtris Deus habitus ſit, et ſubterraneus etiam, qui quandoque in caelo adpareat, ſaepius vero tanquam ad Orcum declinans, lateat: in quo ipſum mirifice teſtudo imitatur, quae haud minima vitae ſuae parte ſub terra degit. Nec ſpernenda eſt ratio cur ſibi Mercurius teſtudinem vindicet, ex quo illam ſibi occurrentem ſuſtulit, atque ex eius putamine cytharam ſibi confecit; ut narrat Homerus in Hymno Mercurii:

Solum tranſgrediens praerupti antri,
Teſtudine inventa, poſſedit infinitas opes
Mercurius, utique primum teſtudinem fabricatus eſt canoram,
Quae utique illi occurrit in aulaei ianuis
Se paſcens ante domum ex valde florida herba.

TABVLA XCVI.

MERCVRIVS

VIRVM delphino inminentem in hac rara Gemma antiquiſſimi operis expreſſum, libentius MERCVRIVM adpellarem; nam et opitulatur eius ſtella, et pileolus, forte etiam galea, qua caput eius regitur. Patera, quam habet in ſiniſtra, Diis quidem omnibus tribuebatur; ſed ipſi praecipue, cui ſemper poſt cenam libabant Veteres pro felici ſomno, cuius arbiter putabatur. Homerus Odyſſ. H.

In-

Invenit autem Phaeacum Duces, atque Conſiliarios
Libantes poculis ſpeculatori Mercurio,
Cui poſtremo libabant, quando cogitabant de lecto.

Ipſum vero non dormitionis praeſidem, ſed animarum deductorem heic ſignificari, credo, pro nota ſubiecto ei delphine, cui animae inſidentes Oceanum tranare putabant, Inſulas beatas profecturae. Continet dextera geminos ramuſculos, quibus in funere adſtantes luſtrabantur: *Sacrificantes Diis Inferis adſpergebantur aqua; Superis abluebantur;* ut monet Servius ad IV. Aeneid. verſ. 635. Hinc eſt, quod Dido ita ſororem deprecatur:

——— *dic corpus properet fluviali ſpargere lymphâ.*

Et Aeneid. VI. verſ. 229.

Idem ter ſocios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, et ramo felicis olivae:
Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba.

In Lucerna quoque Muſei noſtri vas aquae luſtralis expreſſum eſt, unde prodit ramuſculus. De his luculenter diſſeruimus in Diſſertatione de *Funere Etruſcorum*, edita in Volumine III. Muſei Etruſci, et in Notis ad Lucernas Tom. III. Vereor tamen, ne Gemmam hanc inter Magicas deputem, fretus auctoritate Leonardi in Speculo Lapidum, ſic in fine Libri III. ſcribentis: *Viri ſedentis ſuper piſcem, figuram, ſi in Laſpide rubro ſculptam invenies; ſi in panno alicuius hominis imponatur in convivio cum dextero brachio, comedens non ſaturabitur:*

O curas hominum, quantum eſt in rebus inane!

Sed

Sed iuvat haſce nugas ſcrutari, non quid ſentiendum ſit proferentes; ſed ut ea, quae caeci, et ſuperſtitioſi homines ſenſerunt, intelligamus.

TABVLA XCVII.

ANVBIS

HANC Gemmam mirifice inluſtrat Apuleius Metamorphoſ. Lib. XII. ubi caeremoniam ſuae initiationis deſcribit: *Heic horrendum: ille Superum commeator, et Inferum, nunc atra, nunc aurea facie ſublimis, adtollens Canis cervices arduas, laeva caduceum gerens, dextera palmam virentem quatiens:* ex quo clare colligimus, hanc ſculpturam ad eadem initia pertinere, in qua adamuſſim illius caeremoniae pars repraeſentatur. Redolet haec Gemma, cuius ectypon apud me eſt, adeo rudem, et imperitam manum, ut qui minus caute in hoc ſtudio procedat, facile inter Baſilidianas deputaverit. Hinc vero intelligimus, haec ſignacula plerumque pertinere ad initiatos, qui in hiſce prophylacticis ſculpturis deligendis magis religioſam manum, quam elegantem ſeligebant. Tradit Diodorus Anubin filium fuiſſe Oſiridis, qui quum in clypeo inſigne canis geſtaſſet, canino capite effictus eſt, nec inter Deos relatus, hanc ille deformitatem amiſit. Hunc eundem ac Mercurium eſſe, cui proinde ſtella hic adiungitur, et caduceus, demonſtrat Servius in VIII. Aeneid. verſ. 698. in illud

Omnigenumque Deum monſtra, et latrator Anubis.

Latrator Anubis, quia capite canino pingitur. Hunc volunt eſſe Mercurium; ideo, quia nihil eſt cane ſagacius. Bello au-

autem Gigantum plures Deos ferarum formas accepiſſe, traditur. Itaque fere hoc epitheto audit apud Poëtas. Ovidius Metamorph. IX. verſ. 690.

——————— *cum qua latrator Anubis,*
Sanctaque Bubaſtis, variuſque coloribus Apis.

Prudentius contra Symmachum:

——————— *quae Caniformem,*
Latrantemque throno Caeli proponat Anubim.

TABVLA XCVIII.

FIDES

TYPVS Feminae, quae ſiniſtra manu pateram adtollit, onuſtam pomis, dextera vero pendulas ſpicas gerit, obvius eſt in nummis cum inſcriptione: FIDES AVGVSTA, aut FIDES PVBLICA; ut in nummis Plotinae, Domitiani, atque in aliis paſſim. Crediderim tamen Cereris, aut Abundantiae ſimulacrum eſſe; quae, quia Populos in fide continet, non ex natura ſua, ſed plane ab effectu, FIDES nuncupatur. Sol, cuius beneficio, ut ſaepe indicavimus, et fruges, et poma educantur, huic Numini iunctus eſt. Formica, vel Sculptoris inſigne eſt, vel eiuſdem Abundantiae: non quod ipſa Abundantiam faciat; ſed quia obtentam, exemplo ſuo, docet cuſtodire: ſeu potius Abundantiae animal infeſtum, et ſibi cogitans tanquam contrariae naturae Cereri iungitur, ut Baccho caper; nam inter ea, quae frugibus noxia deprecabantur, erant et formicae. Ovidius Faſtor. I. verſ. 677. et 685.

Fru-

Frugibus immenſis avidos ſatiate colonos,
Vt capiant cultûs praemia digna ſui.
Vos quoque ſubiectis, formicae, parcite granis:
Poſt meſſem praedae copia maior erit.
Interea creſcat ſcabrae rubiginis expers
Nec vitio caeli palleat aegra ſeges.

De hoc tamen emblemate rurſus dicendum erit ad Tabulam CVII.

TABVLA XCIX.

MINERVA

ORNAT hanc Gemmam non adeo obvium draconis ſymbolum, quo Dea heic munita incedit: eundem vero ei ſacrum fuiſſe, manifeſte docet Plutarchus de Iſide, et Oſiride: *Graeci recte tum dicunt, tum ſentiunt, columbam animal eſſe ſacrum Veneri, draconem Minervae, corvum Apollini:* quapropter dracone munita cernebatur imago Palladis, quae Athenis religioſiſſime colebatur; quam nobis deſcribit Pauſanias in rebus Acticis: *Minervae ſignum recto ſtatu eſt cum tunica talari: in eius pectore Meduſae caput, et Victoria cubitorum fere quatuor, manu haſtam tenet. Iacet ad pedes clypeus; ad imam haſtam draco, quem Erichthonium eſſe exiſtimare poſſis.* At non Erichthonium, ſed potius draconem, quem Minerva illi cuſtodem in ciſta adpoſuit, in utroque ſigno repraeſentari ſuggerit nobis Apollodorus, qui Libro tertio ortum huiuſce pueri deſcribit: quum enim ipſum Pallas in Ciſta abdidiſſet: *Pandroſo Cecropis filiae commendavit, interdixitque, ne ciſtam retegeret. At Pandroſi ſorores, quod curioſae admodum forent, ciſtam aperiunt, advolutumque puero draconem ſpectant.*

Nec

Nec deſunt , qui ab eodem dracone fuiſſe interemptas adſtipulentur . Eamdem ſententiam ſecutus eſt Libro II. Metaphoſ. Ovidius verſ. 559.

> ——————— *Commiſſa duae ſine fraude tuentur*
> *Pandroſos , atque Herſe . timidas vocat una ſorores*
> *Aglauros : nodoſque manu diducit . at intus*
> *Infantemque vident , experrectumque draconem .*

Nec id ſolum officium praeſtitit Minervae draco ; ſed quum Laocoontem ulciſci vellet , geminos ex iis in illum vel ſacrificantem inmiſit , atque cum natis miſere perdidit ; quo facto :

> *At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones*
> *Effugiunt , ſaevaeque petunt Tritonidis arcem ,*
> *Sub pedibuſque Deae , clypeique ſub orbe teguntur ,*

ut refert Virgilius Aeneid. Lib. II. verſ. 225. immo aegida , quo pectus muniebat , draconibus undique munitum voluit : ad ſignificandam non modo prudentiam , quae in ſerpente praedicatur ; ſed et populorum acumen , et ingenium , in quo praecipue Pallas enituiſſe fertur . Hinc eſt quod ab Orpheo , in eius Hymno *Dracena* dicitur :

> *Varia forma Dracena , amans , divina , celebris .*

Aſtrum in clypeo fortaſſe Solis eſt , qui ſaepe ſaepius in Veterum , praecipue vero Eruſcorum ſcutis , effictus videtur , ſeu ornamenti cauſa , ſeu ad ipſius Solis tutelam oſtentandam .

TABVLA C.

MINERVA EQVESTRIS

PALLADIS EQVESTRIS imaginem, non adeo in Romanis Antiquitatibus obviam, libenter producimus. Illam e Veterum ſcriptis, magis quam e ſculpturis, in quibus id ſymbolum rariſſime illi iunctum eſt, recognoſcimus. Enumerare me haud piget pleraque teſtimonia, quae de illa nunc excerpſi ex Pauſania. Sic ille in Atticis: *Ibi et Equeſtris Neptuni, et Equeſtris Minervae aras videas.* Et rurſus: *Ibidem* (Acarnanes) *Minervae Soſpitae aram habent. Equeſtrem vero Minervam, et canentem Bacchum cognomine vocant.* Et in priore Eliacorum: *Intra ipſos carceres aras ſe oſtendunt Martis Equeſtris, et Equeſtris Minervae:* et in Corinthiacis: *A ſepulcro non multum diſtat Fraenatricis Minervae, quam* Chalinitida *adpellant, Fanum. Minervam etenim aiunt prae ceteris Diis Bellerophonti cum aliis in rebus opitulatam, tum vero a ſe domitum, fraeno iam impoſito, Pegaſum dediſſe.* Apud Phurnutum etiam in Libro de Natura Deorum Cap. *de Minerva*, haec habentur: *Deinde Equeſtrem, et equorum domitricem, et haſtis ſtimulantem vocant.* Aſtrum Solis huic Deae coniunxit peculiaris religio Artificis.

TABVLA CI.

MARS GRADIVVS

MARS GRADIVVS huius Gemmae nihil fere diſcrepat a ceteris eius imaginibus, quae in nummis ob-

obviae ſunt . Eius aſtrum Scorpii ſignum reſpicit , tanquam proprium domicilium , iuxta axioma :

Mavortis domus eſt Aries , et Scorpio pugnax ;

cuius copulae haec decreta nobis obtrudit Firmicus Lib. v. Cap. *6. In Scorpio Mars , ſi fuerit inventus , quicumque eum ſic habuerint homines , erunt potentes , fortes , audaces , et qui omnibus facile inimicis ſuis dominentur : erunt quoque alti nominis , optimaeque famae , et qui ſua bona ſapienti moderatione cuſtodiant .* Gemmae , quibus hic typus inſculptus erat , amuleti loco habebantur . Sic enim toties citatus Leonardus : *Martis figura , ſi inventa fuerit , quae eſt militis cum lancea , in aliquo lapide , audacem , animoſum, ac bellatorem invictum , geſtantem reddit . . . . Mars armatus in ſapphiro geſtatus , ſubmerſionem aquae prohibet .*

TABVLA CII.

SPEI ET MARTIS SACRIFICIVM CVM GENIO

SPEI ſimulacrum mihi videor videre in hac ſculptura . In eo Mulier oram veſtis adtollit : quanquam loco floſculi , quem alioqui dextera Spes adtollit , haſtam ſuſtineat , qua ſe non popularium votorum arbitram , ſed militarium profitetur . Martem vero in altera imagine intueor ; nam alatus eius Genius , Camilli vice fungitur , et vino , et thure ſupplicat , tanquam pro felici eventu expeditionis : quae coniectura , ſi a viris doctis probetur , ſtella ſuperpoſita , ipſi Marti tribuenda eſt . Crediderim vero ſub ſpecie Martis aliquem ex Romanis Imperatoribus

occultari, qui Solis praesidio fulti, difficillima bella in Oriente susceperunt, maxime vero Aurelianus, in cuius nummis nihil magis obvium est, quam Orientis, vel Solis imaginem adspicere. Probus etiam hoc typo nummos saepe ornavit: cui iungimus Gallienum, qui Solem Imperii comitem, ut nummi demonstrant, sibi designavit. Si vero placeat sub feminae hastatae adspectu Romam dignoscere, minime repugnaverim; nam minutula lineamenta Gemmarum, unde hae Tabulae exceptae sunt, aliquando tam dubiam rei imaginem nobis suggerunt, ut sine audaciae nota alterutram propugnare non valeamus. At Clarissimus Gorius coniicit Iulianum forte Apostatam referre Isidi Phariae sacra facientem, in Tom. II. Musei Florentini Tabula XIX. pag. 48. 49. 50. et 51. Cameum hoc ex onyche tricolori magnitudine admodum insigne in Mediceo Thesauro servatur.

TABVLA CIII.

VICTORIA

NIHIL prae ceteris in hoc typo VICTORIA praecipuum habet, quam quod Solis, et Lunae insignia coniuncta praeferet, quorum ille non radiatus, sed globosus adparet. Pertinet fortassis haec Victoria ad Aurelianum, qui ob devictum Orientem, saepissime in nummis, vel Solis quadrigam, vel ipsum Solem stantem, vel eius caput, sive astrum adiecit.

TA-

TABVLA CIV.

PAN NATVRAE SYMBOLVM

De elegantis huiuſce Gemmae ſchemate nil dicendum hoc loci ſupereſt ; quum plura de Deo PANE, qui apud Veteres univerſae Naturae ſymbolum fuit , dixerimus in Obſervationibus ad Parerga in principio huius Voluminis pag. 29. et ſequentibus ; de eius vero ſacro in ſequenti agitur . De Deo PANE, tutore agrorum et finium , cuius forſitan ſacrificii heic ritus adumbratur, praecipue quum prope aram arbor ei ſacra ſpectetur , qui Bacchum Indos expugnantem adiuvit, multa erudite a Cl. Gorio in Donianis Inſcriptionibus ad Tabulam IV. pag. 47. adnotantur .

TABVLA CV.

LVPERCALE SACRVM

Adstat arae Fortuna , quam vir nudus adit , hirco , ſeu capra ſacrificium parans . Nudus ſacrificulus , quid ſibi velit in Fortunae conſpectu , haud mente adſequor . Audivi enim Matronas tantum nudari ſolitas in conſpectu Fortunae Virilis , ut ſi quid vitii in membris haberent , illud viris fieret occultum . At non hirco , ſed modico thure Deam placabant , et colligitur ex Ovidio Faſtorum IV. 145.

Diſcite nunc , quare Fortunae thura virili
Detis eo , calida , qui locus humet , aqua .

Ac-

Accipit ille locus , poſito velamine , cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt .
Vt tegat hoc , celetque viros , Fortuna virilis
Praeſtat , et hoc parvo thure rogata facit .

Sed cum caeremonia heic expreſſa nihil cum hoc ritu commune habeat , crediderim potius Fortunam arbitrio privatae religionis heic eſſe adiunctam ; nudumque illum iuvenem capram immolaturum , ad Lupercale ſacrum pertinere . Haec enim ita celebrabantur ex Romuli inſtituto , ut tradit Valerius Maximus Lib. II. num. 9. *Lupercalium mos a Romulo , et Remo incohatus eſt , tunc quum .... facto ſacrificio , caeſiſque capris , ... cincti pellibus immolatarum hoſtiarum , iocantes obviam petiverunt* . Et Plutarchus Quaeſt. Roman. *Poſt haec , diſſectarum caprarum pellibus cincti , nudi currentes , ſcuticis obvios cedunt . . . . . mulieres adultae non declinant verbera , proficere ea ad conceptionem , et partum ratae* . Ovidius Faſtor. II. verſ. 425.

Nupta quid expectas ? non tu pollentibus herbis ,
Nec prece , nec magico carmine mater eris .
Excipe fecundae patienter verbera dextrae ,
Iam ſocer optati nomen habebit avi .

Id vero inventum oraculo Iunonis Lucinae adtribuit paullo infra Ovidius , qui inde hoc cognomen Deae contigiſſe tradit , quod eius ſacri auxilio ſteriles facilius conceperint , et in lucem foetus protulerint . Sol , et Luna pariter ex arbitrio Sculptoris adiecti ſunt : quanquam utrorumque Numen ad proſperam partuum geſtationem , et egeſtionem non minime conferat ; nec propterea ipſi ab eo ſacrorum inſtituto alieni ſint .

TA-

TABVLA CVI.

ARBOR SACRA

In nummis Corinthiorum, et Caesareensium Palaestinae in honorem Marci Aurelii, et L. Veri, et Traiani Decii percussorum apud Vaillantium, arbores quaedam sacrae conspiciuntur aris impositae; quarum ratio cum apud Eruditos occulta habeatur, varie a variis explicatur. Idem typus, qui occurrit et in hac Gemma aliquid amplius habet; nam eadem ara (seu interim vas aliquod fuerit, in quo educata sit, et vegeta constiterit) vehiculo imposita cernitur, praecedente temone, cui iugum aptatum cernitur, ut commode in pompam deferri posset. Pertinere vero id ferculum ad religionem, iam nullus dubito; nam ara, seu vas coronatum adparet, ut in nummis indicatis. Quibusnam tamen sacris deferri consueverit, ignorare me penitus fateor; nam ubicumque Dendrophori interveniebant, non vividae arbores, sed radicitus excisae deferebantur; unde Virgilius Georgic. I. vers. 20.

Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum,

in quem locum Servius: *quia caesa cupressus, dicitur non renasci:* et vetus Poëta:

Egregios proceres currum servate Cybelle,
Quem traheret conducta manus, Megalensibus actis.
Arboris excisae truncum portare per urbem,
Attin castratum subito praedicere solent.

Licet sint, qui non excisam arborem, sed stirpitus evulsam cum radicibus, Virgilium intellexisse credant, et favent

vent non uno in loco, quae exſtant Marmora, quae integram arborem cum radicibus a Dendrophoris delatam oſtendunt. Quatuor ſtellae arborem circumſtantes, ad totidem Planetas referuntur, uni tantum Artifici cognitos. Ea tamen, quae tradit ex Hermete *in Speculo Lapidum* Leonardus, ſuſpicari nos faciunt typum hunc aliquam apud ſuperſtitioſos auctoritatem obtinuiſſe. Sic enim ille: *Arboris, vel vitis, vel ſpicae figuram, ſi in aliquo lapide ſculptam invenies, gerentem in victu, ac veſtitu abundare facit, ac principes ſibi benevolos, ac placatos efficit.*

TABVLA CVII.

CERES

CERERE M non ſtantem, ut magis frequenter expreſſa eſt, ſed ſedentem hic obſervamus, ſpicas praeferentem. Formica, quae illi iuncta eſt, providentiae ſymbolum habetur, ut notavimus ad Tabulam XCVIII. nam, ut ait Horus Apollo Hieroglyph. Lib. I. Cap. 49. *Solicitudinem pingentes, Formicam pingunt, quod praeter cetera animantia ſibi in hiemem cibos congereus, non aberrat a loco ubi condidit, ſed ſine ullo errore ad ipſum pervenit.* Hinc in Libro Proverbiorum Cap. VI. num. 6. eiuſdem virtutis tanquam exemplar nobis obiicitur: *Vade ad formicam, o piger, et conſidera dies eius, et diſce ſapientiam: quae quum non habeat ducem, nec praeceptorem, nec principem, parat in aeſtate cibum ſibi, et congregat in meſſe quod comedat.* Sol, et Luna, quorum motibus, et calori fertilitatem adtribuunt, rite cum Cerere coniunguntur.

TA-

TABVLA CVIII.

CERES

HOc quoque CERERIS ſimulacrum ad Zodiaci ſignum referri poteſt, in quo *Virgo* adpellatur; quanquam alii non Cererem, ſed Themin, Aſtream, Erigonem, aut Fortunam nuncupent, ut eſt apud Hyginum; nam et in hac noſtra imagine ſpicas manu pendentes continet. Stella primae magnitudinis Lunae inminens cernitur. Huic emblemati ſtellae plures quandoque adiectae ſunt, quod in natali hora ſtationem eius ſigni facile frequentaverint: quarum decreta laetiſſima recenſet Firmicus Lib. v. Cap. 6.

TABVLA CIX.

CERES

RVRSVM et in hac Gemma eadem fere ornamenta, quae in alia ſuperius edita, ſpectantur; nam et in hac quoque CERERI in throno ſedenti adſiſtit draco, cuius rationem expoſuimus. De eodem dracone rurſus nobis agendum erit in ATLANTICO, ubi ipſum inter ſidera conlocatum animadvertemus. Cereri praeterea convenire formicam loco ſuo diximus, veluti meſſis, et annonariae providentiae ſymbolum.

TABVLA CX.

CERES ET TRIPTOLEMVS

CERES ſedens TRIPTOLEMO contra adſtanti, ciſtam ſpicis redundantem offert, et bovem manu indicat,

cuius auxilio munus id ſuum ſatione multiplicet : altero e ſerpentibus poſt tergum exſurgente. Fabula notiſſima eſt apud Ovidium Faſtor. IV. Quum enim Ceres filiam quaerens, in Eleuſi ad domum Celei divertiſſet, puerum Triptolemum, iam iam letho proximum, non modo ſanitati reſtituit, ſed frugum dono muneravit, haec verba proferens :

Iſte quidem mortalis erit, ſed primus arabit,
Et ſeret, et culta praemia tollet humo.

Narrat praeterea Metamorph. Lib. v. currum iugatis ſerpentibus inſignem, Triptolemo, quem valde diligebat, tradidiſſe, quo vectus, terram peragravit, hoc Deae donum cum hominibus communicans : quo quum ad Scythas perveniſſet, a Lynco Rege parum abfuit quin occideretur. Hyginus vero de ſtellis, refert per invidiam a Rege alterum e draconibus fuiſſe occiſum : *At Cererem eo veniſſe, et ereptum adoleſcenti currum, dracone altero ſubiecto, reddidiſſe :* quod facile indicare videtur draco ille ſolitarius, qui Deae adſtat. Iuvenci huic Deae ſacri erant : quapropter eius ſacra ſic celebranda denunciat idem Ovidius Faſtor. IV. verſ. 413.

A bove ſuccincti cultros removete miniſtri,
Bos aret ; ignavam ſacrificate ſuem.
Apta iugo cervix non eſt ferienda ſecuri,
Vivat, et in dura ſaepe laboret humo.

TA-

TABVLA CXI.

ANNONA

NVMMVS Domitiani, in quo Ceres ſignata eſt, quae nudo puerulo adſtanti, ſpicas e ſinu profert, adiecta epygraphe: ANNONA AVGVSTI. huic ſculpturae aliquid luminis impertitur; in hac enim Ceres, ut opinor, copiae cornu adtollens, nudo Iuveni ante eius pedes provoluto, manum praebet, et in altum adtollit; Populumque fortaſſe, ſeu Provinciam fame laborantem, cui Principis, ſeu Praeſidis providentia alimenta praeſtita ſint, deſignat. Siquidem in nummis antiquis non tantum Imperatores ſupplices manus Numinibus Vrbium tutelaribus, vel Romani Orbis Cuſtodibus porrigunt; verum et ipſis Imperatoribus tanquam Diis ſubiectae Vrbes ad eorum genua provolutae, vel opem implorant, vel vota ſua offerunt, et iiſdem pro victoriis gratulantur. Quantum vero cum Cerere Sol conveniat, frequentiſſime a nobis indicatum eſt; nam ut cecinit Virgilius Georg. I. verſ. 296.

At rubicunda Ceres medio ſuccidit aeſtu.

Et rurſus Bacchum, et Cererem cum Sole, et Luna confundit, ibidem in principio verſ. 5.

——————— Vos, o clariſſima mundi
Lumina, labentem caelo, quae ducitis annum,
Liber, et alma Ceres. ———————

TABVLA CXII.

FORMICA

De Formicae ſymbolo multa praefati ſumus ad Tabulas XCVIII. et CVII. quum formicas Cereri coniunctas animadvertimus. Haec vero, quae heic ſolitaria adparet, nullamque aliunde explicationem, niſi quam ipſa ferat, accipit, putamus ad aliquod augurium pertinere. Legimus enim apud Ciceronem de divinatione, pro fauſtiſſimo habitum, quod Midae adhuc puero formicae tritici grana in os congeſſerint; unde opulentiſſimum ipſum fore coniectum fuit. Triſte e contra augurium retulit Nero apud Suetonium Cap. 46. quod vidit per quietem ſe pennatarum formicarum multitudine oppleri: et rurſus Cap. 72. ait idem Suetonius pro triſtiſſimo habitum, quod domeſticus eius ſerpens a formicis conſumptus ſit. Ad alteram etiam rationem referri poſſunt haec et ſimilia animalium ſchemata in Gemmis inſculpta; quod nempe magicis aliquibus artificiis, ſub aliquo ſtellarum adſpectu, formicae inſculptae, homines, earumque domos ab illorum damno liberarint, eo modo quo multos a culicum incommodo ſervatos iri credebant; ex quo illas in marmore figurarunt, ut refert Philoſtratus in Vita Apollonii: de quibus Magorum nugis non pauca ſuperius delibavimus in Prolegomenis. Multo libentius, quam hiſce naeniis, deferrem iis, quae de culicibus fugandis non uno in loco tradit Plinius, de ſuffumigio corticum huic generi adverſante. Litterae LAV vel ad Artificem, vel ad Gemmae dominum ſpectant.

Scimus tamen ex Leonardo formicam non ſine ſuper-

perſtitione delatam fuiſſe in Gemmis. Sic enim ille : *Formicae trahentis ſpicam, ſeu granum, in aliquo lapide ſculpta imago, ad divitias aquirendas valet.*

TABVLA CXIII.

ABVNDANTIAE SYMBOLA

FRVGIBVS abundans copiae-cornu cum aſtro Solis, et ramo lauri eidem Numini ſacro, indicant eiuſdem Planetae influxu fruges, et fructus omnes educari : *Hunc mundi eſſe totius animam, ac planius mentem : hunc principale naturae regimen, ac Numen credere decet, opera eius aeſtimantes :* quae verba Plinii ſunt Lib. II. Cap. 6.

TABVLA CXIV.

BACCHVS

IMAGINEM huius Gemmae nemini libentius tribuerem, quam BACCHO ; nam caput mitra redimitum oſtentat, et thyrſum gerit, cuius vertex nuce pinea ornatur. Solis ſymbolum maxime ei convenit ; nam fuere, qui utrunque Numen confunderent. Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 18. *Ariſtoteles, qui Theologumena ſcripſit, Apollinem, et Liberum Patrem unum, eundemque Deum cum multis aliis argumentis adſeverat.*

TA-

TABVLA CXV.

BACCHANAL

ALIQVAM adfinitatem cum prioribus ſervat haec Gemma, in qua Satyrus, et Satyra tibicines inſculpti ſunt curriculum trahentes, in quo puer, forte BACCHVS ſedet, tibia et ipſe canens, aſtro Solis deſuper praefulgente. Hic typus omnino mythologicus eſt; ſignificat enim Solis virtute Naturam ferre, hoc eſt, producere Bacchum. Praeterea, ſi Phurnutum audimus, Satyri nil profecto ſunt, niſi Terrae aſperitates, hoc eſt montes, aut colles, in quibus vinum generoſius producitur. Tibiae vero ita Baccho conveniunt, ut ſine illis nulla eius ſacrificia fuerint, ut nos docet idem Phurnutus, et oſtendunt Marmoribus, et Gemmis inſculpta Veterum Bacchanalia.

TABVLA CXVI.

BACCHA

MAENAS cum thyrſo decurrens tympanum adtollit, quod in ſacris Bacchi maximum uſum obtinuit. Sic enim Bacchanalia deſcribit Livius Decade IV. Lib. 9. *Prae ululatibus, tympanorumque, et cymbalorum ſtrepitu, nulla vox quiritantium inter ſtupra, et caedes exaudiri poterat.* Et Ovidius Metamorph. IV. verſ. 30. Bacchi pompam deſcribens, haec notat inter cetera:

Femineae voces impulſaque tympana palmis.

Haec

Haec vero tympana aptis ſymbolis ornabantur, adeoque et pingi ita ſolebant, praeſertim vero aſtro, quo ad Bacchi poteſtatem adluderent; nam ipſe idem ac Sol habebatur, ut ſaepenumero diximus auctoritate Macrobii: quod etiam confirmat illud Virgilii Georgic. Lib. I. verſ. 5. qui Bacchum, et Cererem cum Sole, et Luna confundens, ait:

Vos, o clariſſima mundi
Lumina, labentem caelo, quae ducitis annum,
Liber, et alma Ceres.

Sed nullibi melius, ac frequentius id ſymbolum obſervatur in Bacchicis tympanis, quam inter picturas Etruſcas, in quibus frequenter occurrit, ut in Notis ad eaſdem ex inſigni eorumdem Vaſcullariae Etruſcae Theſauro Goriano quamprimum edendo, obſervabimus. Adnotavimus tamen id tympanum facile confundi cum myſtica vanno Bacchi; nam par utrique, ac ſimilis erat forma; nec minor in eius caeremoniis uſus. Solebant vero Veteres ita vannos iſtas intexere, ut foramina ſcite digeſta ſpeciem ſtellae, ſeu alterius ornamenti referrent; nam maximo artificio, et ſumptu concinnabantur: ſic Apuleius Lib. XI. Metamorph. memorat nobis: *auream vannum aureis contextam ramulis*. Sed de his fuſius dicendum erit in iiſdem Notis, ſive Obſervationibus in reliquis Muſei Etruſci Voluminibus, ut diximus, adferendis.

TABVLA CXVII.

HERCVLES

RVDE ſatis artificium, et quidem antiquiſſimum, redolet haec ſculptura, planeque refert aſperam illam, ac du-

duram formam, ſub qua eadem fere imago nobis occurrit in Etruſca Patera apud Dempſterum Tom. I. Tab. VI. pag. 78. nihil tamen ſingulare praeſefert niſi ſtellam, per quam vel Sol, vel aſtrum aliquod Sculptori bene viſum, quod in horoſcopo dominatum geſſerit, ſignificatur, coniunctum HERCVLIS patrocinio: nec fortaſſe a vero aberrabimus, ſi per has ſingulares ſtellas, ipſas hominum animas indicatas reputemus, fulti auctoritate Hori Apollinis, ut diximus in Prolegomenis, quum praeſertim ſingulis animabus totidem ſtellas adſignatas eſſe tradiderint Platonici, ut pariter ſuo loco indicavimus. Habebantur praeterea hae Gemmae, Herculis imagine inſculptae, inter prophylacticas, et morborum expultrices, ſi ſub certo ſtellarum adſpectu caelatae eſſent, ut alibi dictum eſt: ex quo minime mirandum eſt, hanc, et ſequentes certis quibuſdam aſteriſmis inſignitas nobis occurrere. Demum hae ſtellae Herculi adtributae opinionem illam confirmant, per quam tradebatur, Herculem, et Martem unum et idem Numen eſſe; quare et Martis ſtellam Herculi adtribuebat. Macrobius Saturnal. Lib. III. Cap. 12. *Hercules apud Pontifices idem ac Mars habetur; et ſane ita Menippea Varronis adfirmat, qua quum de Hercule multa loqueretur, eundem eſſe, ac Martem probavit. Chaldaei quoque ſtellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis adpellant.* Sub Chaldaeorum vero nomine, non nationem, ſed profeſſionem intelligit; nam quicunque Aſtrologiam profitebantur, hoc nomine audiebant. Lucretius Lib. V. verſ. 726.

Vt Babylonica Chaldaeam doctrina refutans,
Aſtrologorum artem contra convincere tendit:

et Horatius Lib. I. Ode XI. Aſtrologiam adpellat *numeros*

Ba-

Babylonicos. Cur vero tripodem ſiniſtro humero praeferat Hercules, egregie exponit Cl. Gorius in Muſeo Etruſco Tabula CXCVIIII. in fine Voluminis I. pag. 436.

TABVLA CXVIII.

HERCVLES LEONICIDA

GEMMAM vetuſtiſſimi opificii, cum typo HERCVLIS LEONICIDAE, inter amuleta adverſus dolores recenſet Trallianus in Libro de Medicamentis naturalibus: quae, ni valde fallor, potiſſima cauſa eſt, cur tam ſaepe hic typus in Gemmis occurrat. Solis, et Lunae adtributa ſaepius a nobis explicata ſunt.

TABVLA CXIX.

HERCVLES AMAZONVM VICTOR

PELTAM Amazonicam conculcat HERCVLES in hac perinſigni, atque rariſſima Gemma, a vetuſtiſſimo Gemmario Artifice Scarabaeo inſculpta; dum balteum ab Amazonum regina ultro oblatum ſuſcipit. Hanc ANTIOPAM fuiſſe tradit Iuſtinus Lib. II. *Duae tum ſorores Amazonum regna tractabant, Antiope et Orithya; ſed Orithya foris bellum gerebat. Igitur quum Hercules ad littus Amazonum adplicuit, infrequens multitudo cum Antiopa regina, nihil hoſtile metuente, erat .... Multae itaque caeſae, captaeque: in his duae Antiopae ſorores captae ſunt, Menalippe ab Hercule, Hippolyte a Theſeo ..... Hercules, poſt victoriam, Menalippen captivam ſorori reddidit, et pretium arma reginae*

accepit. At Apollodorus rem diverſimode enarrat Biblioth. Lib. II. *Nonus labor eſt, quo Hippolytae cingulum ad ſe ferri iuſſit Euryſtheus : ad hoc igitur Hercules capiendum emittebatur ; inde vero Hercule ad Themyſcirae portum adpulſo, ad eumque profecta Hippolyta, atque eius adventus cauſa percontata, Iuno, ſumpta Amazonum unius forma, multitudinem adit, nuncians reginam ab advectis hoſpitibus rapi : tum illae, captis armis, in navem equo vectae decurrunt. Hercules, ut armatas Amazonum copias proſpexit, arbitratus id iam non ſine dolo fieri, Hippolyten necat, et zonam aufert*. Huic poſtremae ſententiae favent, ut plurimum, Veteres : inprimis Plautus in Menaechmis Act. I. Scena 3. verſ. 16.

——— nimio ego hanc periculo
Subripui hodie, meo quidem animo ; ab Hippolyta ſubcingulum
Hercules haud aeque magno unquam abſtulit periculo.

Et Ovidius in Epiſtola XXI. Cydippes ad Acontium verſ. 119.

Nullus Amazonio caelatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte, praeda relata ſibi eſt.

HIPPOLYTAM etiam Amazonum fuiſſe reginam tradit Servius in VIII. Aeneid. verſ. 300. *Inde ad Hippolyten cingulum petendum perrexit, eamque, ablato cingulo, ſuperavit*. Et Lib. XI. verſ. 661. *Hippolyte Amazonum fuit regina, cui victae Hercules balteum ſuſtulit*. Gemma tamen haec noſtra non ab occiſa raptum balteum indicat ; ſed a captiva, et clypeo iam denudata, ultro ceſſum. De Stellis Herculi adiectis, multa ſuperius iam diximus.

TA-

TABVLA CXX.

HERCVLES CERBERVM DOMANS

ALTERVM e ſuis laboribus perficit in hac perrara Gemma HERCVLES, Cerberum domans; de quo Apollodorus Biblioth. Lib. II. *Demum Hercules Cerberum a Plutone depoſcit; hic illi, ut ſine armis, quibus communitus advenerat, canis abducendi poteſtatem facit. At Hercules illum nactus, pro Acherontis portis, thorace circumſeptus, ac leonis pelle contectus, et circumiectis illius capiti manibus, haud abire permittit; etſi a dracone, qui in Cerberi cauda exſiſtebat, morderetur, cervicem comprimens, ac belluam praefocans, parere coëgit. Captum itaque Cerberum ad Euryſtheum regreſſus per Troezenem adduxit.* Hanc ſcalpturam inter ſuperſtitioſas ſine haeſitatione conlocamus. Sic enim Leonardus noſter in Speculo Lapidum circa finem: *Herculis figuram tenentis in dextera clavam, interficientis leonem, ſeu aliud monſtrum, ſi in aliquo lapide ſculptam invenies, ſcias dare victoriam gerenti in campeſtri bello.* Et rurſus: *Hominis figuram interficientis leonem, aut beſtiam cum gladio, aſtutum, potentem, victorioſum, et amabilem geſtantem reddit.* Huius virtutis fides ſit apud nugacem Hermetem ſuum, a quo illam hauſit.

TABVLA CXXI.

HERCVLES INTER DEOS RELATVS

TAndem intuemur HERCVLEM omnium aerumnarum victorem, receptum inter Deos. Indicia divinitatis

ſunt praecipue corona radiata, et ſtellae eius capiti circumfuſae, iuxta illud Lucani alibi adductum:

Fulminibus Manes, radiis ornabis, et aſtris.

Nec otioſus eſt quinarius ſtellarum numerus; quum enim hae Gemmae, ut plurimum Aegyptium ingenium redoleant, quum ipſi Deum deſignare vellent, quinas ſtellas exprimebant: quod quinque ex iis praecipue Orbem moderari putarent, ut eſt apud Horum Hieroglyphic. Lib. I. Cap. 13. Nec modo ſtellas Herculi tribuerunt in ſignum divinitatis, verum etiam et Auroram, et Noctem, ut eſt apud Orpheum in Hymno:

Qui robore fers Auroram, et Noctem nigram.

Horatius quoque non Caelum, ſed arces igneas Herculi iam in Deorum conſortio conſtituto adſignat Lib. III. Ode 3.

Hac arte Pollux, et vagus Hercules
Innixus arces adtigit igneas.

Iuvenis praeterea effingitur Hercules; quod omnem eius humanitatis formam Oëtae rogus illi abſumpſit:

——— nec cognoſcenda remanſit
Herculis effigies, nec quicquam ab imagine ductum
Matris habet tantum, Iovis veſtigia ſervat.

Potiſſimum vero Iuvenis fingitur; quia coetui Deorum adſcriptus *Heben*, hoc eſt *Iuventam*, illi uxorem coniunxerunt; unde Martialis Lib. IX. Epigr. 49.

Nunc tibi Iuno favet, nunc te tua diligit Hebe.

At vereor ne et hic typus ad aliquam ſuperſtitioſam ob-

fer-

ſervationem pertinuerit: ſic enim habet Hermes apud non ſemel citatum Leonardum: *Hominis figura ſublimati, aut coronati, ſi in topatio figurata erit, geſtantem efficit bonum, morigeratum, ac dilectum coram Deo, et hominibus; honores quoque, ac dignitates praebet.*

TABVLA CXXII.

GENIVS ANIMARVM DEDVCTOR

FREQVENS eſt in Antiquitate Gemmaria typus CVPIDINIS, et PSYCHES, quam aliquando in effigiem puellae alis papilionis ornatae; quandoque ſimplicius, ſub eiuſdem volatilis imagine, figurarunt. Perdifficile vero eſſet omnes ſignificationes, et morales et phyſicas, quas ſub hoc ſymbolo Veteres occultarunt, edifferere. Praecipuas tamen ex Mythologis delibatas indicabimus. CVPIDO aliquando ipſum Amorem, ſeu voluptatum cupiditatem; quandoque etiam Genium animarum ducem, ſignificat: PSYCHE vero ipſam animam, quam ſub ſpecie papilionis effinxerunt, grammaticam ſignificationem ſecuti, quia ΨΥΧΗ *Pſyche* Graecis, ut auctor Heſychius, animam ſimul, et idem inſectum ſignificat. Ipſa quoque huius animalculi natura animam quodammodo Antiquis deſignabat; nam ex verme reſolutum involucrem, et terrena vita excuſſa, volucrem, et quidem caeleſtem exorditur. Quum igitur Amorem inſculptum cernimus, Pſychen huiuſmodi papilionis forma vinculo coërcentem, ſubiugantem, aut cruciantem, nil mihi ſignificat, quam ipſam animam terrenis cupiditatibus addictam ab illarum tyrannide divexari. Quum vero volucres illas admota face exurit, Genium ipſum in-

indicat, qui per quaſdam purgationes veſtigia humanitatis in illa abſumit ; ut inde abſolutam, vel ad vitam meliorem in alia corpora deducat (quae Pythagoreorum ſententia fuit) vel in ſedes debitas tranſvehat. Vidi aliquando in veteri anaglypho Cupidinem, qui clavo papilionis alas trunco ſuffigebat, ut illam moraretur, ne in ſuam univerſalitatem reſolveretur, ſed in alia corpora demigraret. Vbi vero Genius, ut in hac Gemma, papiliones curriculo ſubiugat, animarum tranſitum exprimit ad Inſulas fortunatas, quas miris modis Veteres expreſſerunt, et, pro varietate doctrinae, illas marinis conchis, animalibus, piſcibus, et curriculis imponentes, eorum guberniu n Genio commendarunt ; ſecuti Platonis ſententiam, qui in Phoedone ita ſcribit : *Ferunt enim quemlibet hac illuc emigrantem, ab eo Genio, quem vivens ſortitus fuerat, in locum quemdam duci, ubi oporteat omnes una collectos iudicari.* Et paullo infra : *Qui vero puram, moderatamque tranſegerit vitam, Deos ſocios, duceſque nactus, ibi habitat, ubi unicuique convenit.* Solem, et Lunam alibi diximus vitae arbitros reputari ; praeterea, et ipſum Caelum deſignare, quo ſe animae ſolutae corpore impetu quodam, veluti in propriam ſedem, deferuntur.

TABVLA CXXIII.

GENII SYMBOLA

DVPLEX argumentum nobis contemplandum exhibet ſymbolica haec Gemma ; alatam Mercurii virgam, et geminos ſerpentes, qui ore hianti ovum in altum adtollunt. Poſtremum hoc ſchema perſaepe viſitur in Aegyptiorum

ptiorum ſculpturis, praeſertim vero in thorace Dei Canobi. Obſervatur iterum in marmore apud Fabrettum Inſcription. domeſt. Cap. IV. num. 17. quod monumentum ita illuſtravit idem Vir longe doctiſſimus: *Suſpicor, poſt quam ſibi, et uxori adhuc in humanis agenti, Hermes hanc memoriam conſtituit, vel longaevitatem hac expreſſione in votis habitam: ſerpens quippe, ut ait Sanchoniaton apud Euſebium de praeparat. Evangel. Lib. I. Cap. VII. longaevum animal eſt: nec ſolum, ſenectam cum pelle deponens, reiuveneſcit; ſed creſcit etiam in adoleſcentiam redactum, velut ex concordia illa quaſi maritali ſerpentum, coniuges inproles adhuc ſobolem ſibi augurarentur ex ovo prodeuntem, tanquam principio, et originario fonte generationis, ut illud vocat Plutarchus Quaeſtion. Conviv. Lib. VII. Cap. 3.* Erat praeterea apud Aegyptios ſerpens ſymbolum, et imago ſpiritus univerſalis: et, ut verba proferam Hori Lib. I. Cap. 60. *Anguis ſpiritus eſt, qui per univerſum orbem permeat.* Ovum vero pro ipſius Mundi imagine uſurpatum teſtatur. Macrobius Saturnal. Lib. VII. Cap. *16. Conſule initiatos ſacris Liberi Patris, in quibus hac veneratione ovum colitur, ut ex forma tereti, ac paene ſphaerali, atque undique verſum clauſa, et includente intra ſe vitam, Mundi ſimulacrum vocetur.* Hinc in Aegyptiorum hieroglyphicis, immo fere in omnium Obeliſcorum apice, obſervavi ovum hoc, unde ſerpens exſilit; cui ſimulacro illud Virgilii Aeneid. Lib. VI. aptari poteſt verſ. 726.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, et magno ſe corpore miſcet:

cui conſentit Manilius Lib. II. verſ. 60. ſupracitatus. Si vero ab Aegyptiacis traditionibus recedendum eſt, li-

ceatque

ceatque nobis ſculpturam hanc Romanae indoli aptare, crediderim geminos ſerpentes totidem Genios denotare; nam Veteres ubi locum aliquem, veluti ei Deo ſacrum, ab iniuria, et violatione vindicare volebant, geminos ſignabant angues. Perſius Satyr. I. verſ. 113.

Pinge duos angues: pueri, ſacer eſt locus, extra
Mejite. diſcedo. ——————————

Aeſculapii virga, quam intortus ſerpens ambit, Salutis imago eſt. Alae ex Mercurii caduceo adſcitae ſunt: quo ſymbolo commonemur, prudentiae ſerpentis velocitatem in agendo eſſe iungendam. Luna, et geminae ſtellae Planetas ſignificant ſoli Artifici perſpectos, ac exploratos. Vox ΤΓΙΑ, vel nihili eſt, vel nihil cum typo commune habet. Puto ex initialibus conflatam eſſe: vel potius, ut monet Gorius, in ea ſcriptum ΤΓΙΑ *Hygia*, hoc eſt SALVS.

TABVLA. CXXIV.

DEVS PANTHEVS

PLVRA Deorum ſymbola in unum coacervata imaginem PANTHEAM abſolvunt. Obſervatur ea inter Iovis aquila palmam roſtro continens, Martis lorica, Mercurii aries, et caduceus, demum Veneris teſtudo. Quid dextera conſtringat ſedens Deus, mihi non liquet: ni forte ſpeculum Veneris, aut potius parvum tropaeum, e quo clypeoli hinc inde pendent, repraeſentari aliquis cenſeat. Singulorum Deorum hieroglyphicis reſpondent totidem numero ſtellae. De Deo Pantheo multa praemiſimus in Notis ad Lucernas Tom. I. Exſtant quoque apud Veteres

VOTA

VOTA PANTHEA, de quibus plura apud Laurentium Pignorium, et Gorium in Tomo III. Inſcription. ant. Etruriae Vrbium Tabula IV. ubi PANTHEAM MANVM, Mercurio potiſſimum, ceteriſque Diis ſalutaribus ſacram, adfert, atque erudite inluſtrat. DEI PANTHEI frequens eſt in vetuſtis aris, et marmoribus mentio.

TABVLA CXXV.

DEA PANTHEA

MVltiplicia Deorum adtributa DEAM PANTHEAM componunt in hac Gemma; nam ſub utroque ſexu ſingulorum Deorum naturam Antiqui repraeſentarunt. Pantheorum inventum Romanis novitium fuit: nec prius excogitatum, quam a Chriſtianorum Apologeticis exagitati Ethnici, et penitus devicti, Dei unitatem cognoverunt; ſed veterem errorem novo commento corrigentes, omnium Deorum fabulas, et adtributa in unum Idolum coagmentarunt. Vides heic Victoriam, Palladem, Cererem, Fortunam, demum et delphinem expreſſum Neptuno ſacrum, adiectumque praeterea Solis ſimulacrum.

TABVLA CXXVI.

DEA PANTHEA

IN hiſce PANTHEIS imaginibus quandoque ſymbola primariae imagini adhaerent, ut in aereis Sigillis: aliquando vero diſiuncta adparent, et in area conlocata, ut in Gemmis. Huius iconiſmi ornamenta Serapidem, Fortu-

nam , Cererem , Lunam , Solem , Mercurium , et Martem indigitant . Haec Gemma inter horoſcopas poterit etiam conlocari ; nam *a Sole defluens Luna , ſi ad Martem feratur , actus publicos , militiamque decernit , aut Athletas facit glorioſos :* ut auctor eſt Firmicus Lib. IV. Cap. 5.

TABVLA CXXVII.

DEA PANTHEA

HIC typus fere coincidit cum praecedenti ; nam ex ſymbolis Cereris , Fortunae , Solis , et Lunae coaleſcit . Silens Luna Deae capiti inminet .

TABVLA CXXVIII.

DEA PANTHEA

FERE reſpondet ſuperiori huius DEAE PANTHEAE imago , niſi quod capiti modium , Serapidis peculiare ornamentum , impoſitum oſtentat .

TABVLA CXXIX.

DEA PANTHEA

NIHIL differt a praecedenti praeſens emblema , praeterquam quod Sol , et Luna ſimul coniuncti in eo ſpectantur .

TA-

TABVLA CXXX.

DEA PANTHEA

PANTHEAM ne, an MAGICAM adpellem hanc Gemmam, penitus ignoro; nam in averſa parte griphis quibuſdam, atque aenigmatibus potius quam charaćteribus Aegyptiam impoſturam ſpirantibus, tota referta eſt. Iam vero liquido conſtat, hoc genus circulatorum non adeo ex ingenio nugas illas excogitaſſe, quin aliqua ex parte communem religionem arceſſerent, ut hiſce ſomniis ſuis fidem, et auctoritatem conciliarent. PANTHEA iſthaec Dea conſtat ex ſymbolis Palladis, Securitaris, Herculis, Fortunae, Solis, Lunae, Martis, Mercurii, Cereris, et Iunonis, quorum ſymbola praeſefert: galeam, columnam, clavam, cornu copiae, aſteriſmum, Lunam falcatam, lanceam, caduceum, ſpicam, et malum granatum, ſeu potius papaver, Numinum multorum adtributa.

TABVLA CXXXI.

DEA PANTHEA

HAVD longe a ceteris ſimilibus abit hoc ipſum DEAE PANTHEAE ſimulacrum, in quo Serapidis modius, Fortunae cornu, Solis aſtrum, et lepus Veneris multiformem eius Numinis poteſtatem oſtendunt. At prae ceteris, quod eſt ſpectatu dignum, praefert Dea pueruli imaginem, per quam Lucinae quoque virtutem oſtentat. Huius poſtremi Numinis iconem inter Donianas publicavit V. C. Gorius, taedam ſiniſtra, dextra infantem ad-

adtollentem, addita epigraphe : IVNONI LVCINAE. Non tamen in hoc uno ſigno PANTHEA Dea hoc ſymbolo exornatur ; nam in altera ei adſimili, ut videre eſt apud Celeber. Muratorium Inſcript. ant. Theſ. pag. LXXXIII. num. 1. omnigenis plane inſignibus pantheis puerulus ille adcenſetur . Quod tamen in hoc typo obſervandum maxime eſt, infantulus ille, quem in ulnis gerit, victoriae coronam ſuſtinet : quo indicatur, huiuſmodi ſculpturas ad principum Feminarum puerperium facile adludere ; nam ſaepe in nummis videre eſt copiae cornua decuſſata, ex quibus interpoſita infantum capita prominent : Familiae auguſtae fecunditatem, et quodammodo perennitatem indicantes ; nunquam plane proniore in adulationem Opificum ingenio, quam quum aera, et Gemmas figuravit.

TABVLA CXXXII.

FORTVNA

FORTVNA, quam dicunt MANENTEM, ita ferme repraeſentatur in nummis Commodi, additurque ei equus ; ſed quia Solis, et Lunae, et alterius ignoti aſtri ſymbolis heic cumulatur, Pantheam potius, quam Fortunam adpellaverim.

TABVLA CXXXIII.

FORTVNAE SYMBOLA

COpiae cornua ſimul decuſſata, quae FORTVNAE ſymbolum habentur, Solis, et Lunae aſtro deſuper praefixo, exornantur ; quod, tanquam benefico eorum in-

influxu, quum in opportunis geniturae locis conlocati habentur, bonorum copiam hominibus largiatur.

TABVLA CXXXIV.

SIREN

ID monſtrum nautis infeſtum, citharam pulſat: cuius modulatione, et concentu cum ſororibus ita peregrinos detinebat, ut nemo illorum, qui cantui aures intendiſſet, domum reverteretur. Homerus Odyſs. XII. verſ. 39.

Ad Sirenes quidem primum pervenies, quae ſane omnes
Homines demulcent, quicumque apud eas pervenerint.
Quicumque imprudentia adpulerit, et vocem audierit
Sirenum, huic ſane neutiquam uxor, et infantes liberi
Domum reverſo adſtant, neque laetantur:
Sed eum Sirenes ſtridula demulcent cantilena,
Deſidentes in prato: ingens vero circum ex oſſibus acervus
Virorum putrefactorum: circumquaque cutes tabeſcunt.

Haec carmina mihi in mentem revocarunt, quae in Libro Proverbiorum Cap. II. verſ. 16. et 19. habentur: *Vt eruaris a muliere aliena, et ab extranea, quae mollit ſermones ſuos ..... omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec adprehendent ſemitas vitae.* Ferunt denique Sirenes in cantus certamine ab Argonautis devictas, ſe ſe in mare praecipites egiſſe, ut canit Orpheus Argonautic.

Obſtupuere novo cantu de colle nivoſo
Sirenes, victaeque tacent, et carmine noſtro

Et

Et chelin, et citharam, ſuſpiria pectore ab imo
Ducentes, iecere manu: ſupremaque lethi
Tempora fatalis veniunt, et ab apice ſaxi
Praecipites ſe ſe in pelagus iecere profundum.

Sub huius tamen fabulae involucro, peculiarem hiſtoriam meretricum Tyrrheni littoris pernoſcit Servius in v. Aeneid. verſ. 864. quae illecebris ſuis navigantes a propoſito itinere avertebant, et detinebant. Credibile tamen eſt ſymbolicam hanc ſculpturam denotare Solis praeſidio, qui eo aſtro indicatur, calamitatem hanc averti poſſe, ne quod malum fabuloſa monſtra nautis adtulerunt, mortalibus deinde, et praeſertim adoleſcentibus, quibus id amuletum conveniebat, vera mundi peſtis mulierum illecebrae importarent.

TABVLA CXXXV.

HARPYA

HARPYA, quae in hoc ſchemate vetuſtiſſimae Gemmae ex Scarabaeo nobis exponitur, a ceteris eius monſtri imaginibus aliquantulum recedit; nam plerumque tota avis eſt, ſi femineum caput excipias. Heic non modo caput, ſed thoracem ex homine oſtentat, et recta conſiſtit: praeterea et galeata eſt. Geminae ſtellae globoſae ei coniunguntur; non alia quidem ratione, quam ſuperius indicata.

TA-

TABVLA CXXXVI.

HARPYA

HARPYAM ne, ſeu alterum ex antiquorum terriculamentis, quae hominum ingenia confinxerunt, in hac Gemma vetuſtiſſimi operis, pariter ex Scarabaeo exſciſa, exprimi penitus neſcio; nam

Deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne:

nec modo in piſcem; ſed etiam in voraciſſimum illum, quem carchariam, ſeu canem vocant: cuius ſaeviſſimi dentes longa aetate in petram verſi, nuper ex Melite inſula ad me delati ſunt. Chimaericum potius animal nuncuparem ex Harpya, et marino cane conflatum, ad Scyllae ſimilitudinem, quam ita deſcribit Virgilius Aeneid. III. verſ. 424.

At Scyllam caecis cohibet ſpelunca latebris
Ora exſertantem, et naves in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus: poſtrema immani corpore piſtris,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

At in aliquibus monumentis ita confiƈta eſt, ut inter lupos medii marini canes exſiliant. Nil vero magis accommodatum excogitari poterat ad impudicos amores exprimendos, quum id monſtrum ſuperne blanditias ſpiret; quod vero inferne latet, exitium homini minitetur. Opportune ad rem faciunt divina Proverbiorum verba Cap. V. verſ. 2. *Ne attendas fallaciae mulieris; favus enim diſtillans labia maeretricis, et nitidius oleo guttur eius; noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, et acuta quaſi gla-*

gladius biceps. Pedes eius descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant.

TABVLA CXXXVII.

HARPYA

HARPYA, quae in hac imagine, ex meis Cimeliis depromta, se prodit, plane respondet Virgilianae descriptioni in Lib. III. Aeneid. vers. 216.

Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Proluvies, uncaeque manus, et pallida semper
Ora fame. ———————————

Symbola, quae circumstant, ad Bacchum clamant: thyrsus in primis vittatus, cuius geminae extremitates in conum desinunt: licet enim plerumque unicum praeferant; non desunt tamen exempla, quae hanc thyrsi speciem reddunt. Cantharus praeterea Baccho sacer est, et craticula, forte vannus, quae in sacris Bacchi, ut supra diximus, deferri solebat; quanquam frequentius rotunda forma constiterint. Serpens quoque, quem uncis prehensum tenet HARPYA, eidem Deo adtribuitur: in cuius mystica cista *Serpens Orgius Dionysii Baßarei* celabatur, ut declarat Clemens Alexandrinus *in admonitione ad Gentes*; quod etiam monumentis fere omnibus confirmatur: immo tam obvii erant inter adsectas Bacchi dracones, ut illis insanae Bassarides vittarum loco uterentur. Horatius Lib. II. Ode 19.

Nodo coërcens viperino
Bistonidum sine fraude crines.

Subie-

Subiecta ſtella ad Bacchum pertinet, quem cum Sole facile Veteres confundebant, ut probat Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 21. et Diodorus Lib. I. qui cuncta eius adtributa ad Solem trahit; praecipue vero quod, *nebride Bacchum amictum eſſe dicunt, ut aſtrorum varietas ſignificetur*. Illum etiam auctoritate antiquiſſimi Scriptoris vocat *Sidereum Dionyſium, igne radiante coruſcum*. Quid vero commune habeat cum Bacchi myſteriis HARPYA, haud equidem intelligo; nam dira illa monſtra eadem habebantur, ac Furiae. Servius in loco citato Virgilii: *Item has Furias eſſe paullo poſtea ipſe teſtatur, vobis Furiarum ego maxima pando*. Sed ne intentatam mittamus coniecturam, opinari lubet, id ſpectrum, ceteraque furialia, ad Bacchi myſteria pertinere, eo quod cum his illa maxime celata eſſe vellent, et ſi quis initiatorum ea revelaſſet, diris devovebatur.

TABVLA CXXXVIII.

SPHINX

AENIGMA potius, quam ſymbolum continet in hac Gemma SPHINX, nunquam magis ambigua, et vel ipſi Oedipo inſuperabilis, cuius nodum nemo ſane, niſi qui ligavit, diſſolvet. Sphinx hominis calvariam pede comprimit. Si fabulam reſpiciamus, cladem illam, quam de peregrinis in Phyceo colle reſidens peragebat, ſignificare poteſt; nam eos, qui eius aenigmata non diſſolviſſent, non necabat modo, ſed et laniabat; quippe quae leoninis unguibus eſſet praedita. Non immerito autem caduceus illi coniungitur, quippe ea non vi ſola homines ſuperabat, ſed et ingenio, et acutis quaeſtionibus,

quas diſſolvendas, capitis mulcta indicta, proponebat: hinc ſapiens vocatur in Euripidis Phoeniſſis:

Quiſquis poſſet exponere aenigma ſapientis Virginis.

Si allegoriam ſpectemus, ipſa Echidnae, et Typhonis filia, atque in hominum perniciem a Iunone irata in terras inmiſſa, inter Tartarea monſtra, quae fontibus puniendis addicta erant, in Inferni veſtibulo conlocatur a Silio Italico Lib. XIII. verſ. 589.

ſed et oſtia Ditis
Centenis ſuetus Briareus recludere palmis,
Et Sphinx virgineos rictus infecta cruore,
Scyllaque, Centaurique truces, umbraeque Gigantum.

Haec enim monſtra, quum divinae originis eſſent, propterea immortali ſpiritu praedita haberentur, ubi ab hominibus interfecta fuere, apud Inferos congruum ſibi locum nacta ſunt, ut alibi de Nemeo Leone oſtendimus. Nil igitur mirum ſi Sphingi calvaria mortis ſymbolum cuſtodienda adtribuitur.

Quia vero haec ipſa Gemma in poſtica parte, conſueto Magorum ſymbolo, dracone, et litteris inſtructa eſt; puto inter amuleta cenſendam eſſe: quod ubi admittamus, huius griphi ſolutio a ſcientia antiquaria minime expectanda eſt; ſed eius intelligentia cum illis periit, qui ex ingenio inanem hanc, et impiam artem confinxerunt.

Stella vel Planetam aliquem, vel planetariam horam, ſive ſtatum aliquem diem ſignificat, iuxta ea, quae in Prolegomenis indicavimus.

TA-

TABVLA CXXXIX.

MONSTRVM CHIMAERICVM

VETERVM Gemmae non raro exhibent nobis quaedam figmenta ex variarum animalium formis configurata, quae gryllos, griphos, et aenigmata adpellarunt, quibus mirifice Horatianum illud aptatur:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere ſi velit, et varias inducere plumas,
Vndique conlatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

In his vero nihil prorſus ſpeculandum eſt, niſi mirum Artificum ingenium, cuius ductu diſcrepantes illos adſpectus, facili quodam nexu copularunt, atque ex iiſdem ſimul iunctis, corpus aliquod imaginarium venuſte conflarunt. Neque illis adſentior, qui Baſilidianis haec opera tribuerunt; quum nihil ferme redoleant, quod ad illorum ſectam referatur. Ioci ſunt veterum Gemmariorum, qui lucri gratia novas rerum formas excogitarunt. Si vero quid myſterii habuerunt, aenigmata magis cenſenda ſunt, quam rerum imagines. Sapiunt vero plerumque Aegyptium ingenium propter ſymbola eidem populo familiaria. Ibis larvata, quae roſtro lacertam prehenſat, apud Aegyptios Genii boni indicium erat, quo opitulante mala depelli putabant. Rationem adfert in Euterpe Herodotus: *Fertur ex Arabia ſerpentes alatos ineunte ſtatim vere in Aegyptum volare; ſed eis ad ingreſſum illius planitiei occurrentes aves Ibides, non permittere, atque ipſos interimere; et ob id opus Ibidem magno in honore ab Aegyptiis*

haberi. Id etiam Cicero teſtatur, et Divus Auguſtinus de Civitate Dei. Solis aſteriſmus cum hac ſignificatione convenit; ſiquidem ſignificatio aliqua in hoc ſigno ſubeſt; nam et ipſe ſerpentem Pythona interemit, ut narrat Ovidius Metamorph. et Hyginus Fab. CXL. quae allegoria, nihil praeſefert, quam quod pravi halitus, qui ab immodica humiditate generantur, radiis Solis expurgantur, et perimuntur, ut animadvertit Natalis Comes Mythol. Lib. IV. Cap. 10. Lepus Aegyptiis vigilantiae ſymbolum eſt: *quod ſemper apertos habeat oculos;* ut tradit Horus Hieroglyph. Lib. I. Cap. 26. quae virtus bono Daemoni recte convenit. Ceterum aliquid certi de hiſce nexibus adfirmare non auſim, quum ſolis Artificibus, et aliquando nec ipſis, innoteſcerent.

TABVLA CXL.

MONSTRVM CHIMAERICVM

COMMENTVM huius Gemmae componit Aquila, lacertam unguibus adſtringens, et cervix equina, atque arietina humanae ſuperpoſita. Equus ornatur palma, quam in ſtadio adipiſcitur: Aries quaeſtui natus, ſpicam ex ore profert. Stellam Veneri adſignarem ob ſuppoſitam concham, quae illi ſacra eſt.

TABVLA CXLI.

MONSTRVM CHIMAERICVM

INTER chimaerica portenta enumeranda eſt haec Gemma, in qua Aquila, et Ibis ſupra naturae poteſtatem galeam haſtae ſubfixam, et gladium ſtringunt. Lemma ipſum

ipſum ANTHPOΣ adſcriptum, duo facile ſignificare poteſt, nomen nempe Artificis Gemmarii, quod in aliis Inſcriptionibus ſaepe etiam occurrit : vel Numen illud *Anterotis*, cui conciliando haec Gemma concinnata eſt ; quae etiam commode referri poteſt inter amuleta amatoria. Quod vero Numen ſub hoc nomine agnoverint Veteres, facile liquet ex Pauſania in Atticis, ubi aram *Anteroti*, ac ſi dixeris Amori reciprocanti, erectam narrat ad ſaevitiam adoleſcentis expiandam, cuius iuſſu amator inſanus ſe ſe e turri praecipitavit : quam quidem hiſtoriam tangit etiam Suidas ; quamquam Servius in IV. Aeneid. verſ. 520. Anterotem putet idem fuiſſe, ac Genium Amori contrarium. Mire vero favet priori opinioni Porphyrius in Libro de abſtinentia, fabellam narrans de Cupidine recens nato, qui, quum minime creſceret, monita eſt Venus, ipſum, ſi ſolus eſſet, nunquam adoleſcere poſſe ; unde illi Anterotem, quaſi *readamatorem* genuit, in cuius ſocietate confeſtim Amor crevit : ſubindicans Amorem abſque mutua benevolentia nunquam creſcere. Huic fabulae adluſit Ovidius, qui Venerem ita adloquitur Faſt. Lib. IV.

Alma fave, dixi, geminorum mater Amorum ;

et Seneca in Hippolyto :

Quam vocat matrem geminus Cupido.

Parerga Gemmae non inepte trahi poſſunt ad arcana illa ſacra, per quae a Sagis philtra amatoria conficiebantur, inter quae ara, cui Ibis inſidet. Hanc in hiſce diris ſacris adhibitam indicat Virgilius in Pharmaceutria verſ. 64.

Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta.

Adeſt

Adeſt praeterea anclabris menſa, ſive columella, cui lagena impoſita eſt, in qua ſacer liquor, quo utebantur, continebatur. Hinc Horatius ſimilem diram caeremoniam deſcribens Epodo v. Canidiam inducit aqua domum luſtrantem, ſeu potius polluentem:

———— *per totam domum*
Spargens Avernales aquas.

Quod etiam ex Virgilio ſupra laudato conſtat. Poſt altare lauri ramus adſurgit, cuius in philtris maximus uſus fuit. Theocritus in Pharmaceutica:

———— *Ego autem in Delphidem laurum*
Vro, ut ſicut illa crepat valde inflammata,
Ita et Delphidos in flammam carnes conſumentur:

et Virgilius loco citato verſ. 65. et 83.

Verbenaſque adole pingues, et maſcula thura.
Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros.

Adhibebantur etiam in hiſce incantationibus plumae quaedam avium, praeſertim vero Strigis. Horatius loco citato:

Et unctа turpis ova ranae ſanguine,
Plumamque nocturnae ſtrigis.

An autem et aliarum avium, praeſertim quae heic pictae ſunt, pennae in uſu forent, mihi liquido non conſtat: nec ſcio qua ratione, aut ſignificatione heic expreſſae ſint: una nempe altari inſidens cum gladio, quae ſagam agit; altera vero, quae facile fugientem, et profugum amatorem, galea baculo infixa, procul depellere videtur. Stella vero facile nocturnum tempus deſignat, quo haec polluta-

ſa-

ſacra, et lucem refugientia habebantur. Hinc Lunam, et Sidera ſalutat ſaga apud Theocritum:

Vale, Luna, nitido corpore, valete, et alia
Sidera, quae placide currum Noctis comitamini.

At hae merae divinationes ſunt, quas non magis tenendas, quam expendendas proponimus; res enim agitur cum caelaturis, quae, dum a communibus Mythologiae principiis recedunt, niſi cum multis his ſimilibus comparare, atque ordinare datum ſit, quid verum ſibi velint, perdifficile eſt cognoſcere. Aliquando hae ſculpturae apologos referunt ex Aeſopo, atque ex Phaedro expetitos, quorum fabulae magna parte Gemmis exſculptis adornari poſſent. Latent etiam quandoque in hiſce ſcalpturis meri Artificum luſus, atque ioci, ſeu etiam ſcommata, quae olim nota, nunc penitus ignorantur: quod adnotaſſe non pigebit, ne in hiſce operibus adeo a communi Veterum mente, atque ſtilo recedentibus, operam proteramus.

TABVLA CXLII.

TAVRVS CAELESTIS

ADgredimur ZODIACI SIGNA, quorum icones ſaepiſſime in Gemmis horoſcopis inſculpta ſunt; valde enim intereſſe putabant, intelligere ſub quo quiſque ſigno natus eſſet; nam ſtudia, et fortunas natorum ab indole illius ſigni communicari autumabant: minime intelligentes hos adtrorum complexus arbitrarios eſſe; ut niſi veneratio Antiquitatis, et inveteratus artis uſus, cui multum deferendum eſt, nobis obſtaret, nova ſignis nomina, no-

novoſque fines citra ullam naturae iniuriam tribuere poſſemus : quod etiam feciſſe dicuntur Hebraei , qui totidem conſtellationes cognoverunt , quot illis litterae ſunt, earumque nominibus , et figuris circumſcripſerunt : quorum planisferia videre eſt apud Kircherium . Iulius quoque Schilerius , atque Schickardus veteres formas inducere tentarunt ; quanquam nullos fere habuerint ſectatores. Aegyptii quoque undecim Signa tantum in Zodiaco cognoverunt ; nam Scorpium , et Libram unius domicilii eſſe tradiderunt ; quod etiam colligitur ex Hygino , cui adluſit Ovidius Lib. II. Metamorph. verſ. 197.

Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum .

Nos vero , qui hiſtoriam potius , quam ſcientiam proſequimur Aſtrologorum , quae de hiſce Signis tradiderint, proferre non dubitabimus , ut Veterum mentem pro viribus adſequamur . Haec de TAVRO tradit Manilius Lib. IV. verſ. 140.

Taurus ſimplicibus donabit rura colonis ,
Pacatiſque labor veniet : nec praemia laudis ,
Sed terrae tribuet partus . ———————

Stella TAVRO coniuncta fortaſſis Venus eſt , quae in Tauro indigena habetur , ut ſupra diximus . Hinc ipſe Manilius Veneri obnoxios facit , qui huic ſigno ſubiiciuntur :

——————— *habitatque puer ſub fronte Cupido .*

Luna vero Tauri cornibus inſtans , homines facit , *Nobiles , ac Principes , ampli nominis , multaeque famae : venuſtos adſpectu , morumque compoſitorum , et qui negocia ſua modeſto ſemper conſilio ad finem uſque perducant tranquilli .*

Ge-

Geſtabatur praeterea Tauri imago Gemmis inciſa, quod in multis prodeſſe (heu quam ridicule!) putaretur. Sic Hermes apud Leonardum: *Tauri, ſeu Vituli imago, ſi in magnete reperiatur, ſecum portans, ſecure pergere poterit in omnia loca ſine moleſtia. Valet etiam contra omnes incantationes, et fictitia, atque ad commovendas res de loco uno ad alium locum.*

TABVLA CXLIII.

SIGNVM TAVRI

CAput TAVRI ad Zodiaci ſignum pertinere nullus dubito, quum antica tantum ſui parte conſpiciatur, quemadmodum ab Ovidio deſcribitur Faſtor. Lib. IV. veſ. 717.

Vacca ſit an Taurus, non eſt cognoſcere promptum:
Pars prior adparet, poſteriora latent.
Seu tamen eſt Taurus, ſive eſt hoc femina ſignum,
Iunone invita munus amoris habet.

Putarunt enim eſſe Io Inachi filiam, quae Iunonis ira ob amores Iovis in vaccam verſa eſt. Ad horoſcopum pertinet ſtella, quaecumque illa fuerit, quae Tauri domicilium tempore natalis contigerit. Piſcis Tauro adpoſitus, quanquam inter Zodiaci ſigna non cenſeatur; quia tamen aliqua ſui parte in eclipticam intruditur, et capite ſuo veluti poſticam Tauri contegit, ſcitiſſime heic diſpoſitus eſt, et quodammodo Caeli ſtatum repraeſentat.

TABVLA CXLIV.

TAVRVS CVM SEPTEM PLANETIS

QVi TAVRVM horoſcopi dominum cum SEPTEM PLANETARVM STELLIS inſculpſit, non illos una coniunctos in ea ſtatione commentus eſt; ſed opportunis in locis ita diſpoſitos, ut omnes Gratias, quae Tauri cornibus inſiſtunt, ominaretur ſibi obſequentes, et quodammodo de fronte Tauri in natum excuſſas. Eſt in promptu et alia explicatio huius Gemmae. Habuerunt Beſtiarii Tauros ita manſuefactos, ut educti in Theatrum, nudas puellas cervice circumferrent; ut tradit Aelianus de Animalibns Lib. VII. Cap. 4. *Propria eſt Tauri docilitas, et obedientia, ſi manſuetus, et cicur fuerit. Manent autem ad ferendum, ſive eos ſupinos velis quieſcere, ſive in anteriores pedes procumbere, et in cervice ferentes aut puerum, aut puellam videas; alium mulierem ferentem, et Europen Iovi, et erectum ſtantem imis cruribus.* Forte etiam myſterium aliquod Magorum ſubeſt in hac Gemma, cuius intelligentia omnem operam ludit. Iuvat tamen heic referre ex Hermete apud Leonardum in Speculo Lapidum, quae de hoc typo iactari ſolerent: *Galli imago, vel trium puellarum, ſi in achate reperiatur, hominem gratioſum apud Deum, et homines efficit, et in aëreis ſpiritibus dat potentiam, et in magica arte valet.* Puderet iſta referre, niſi crederem Chriſtianum hominem hiſtorice magis iſta retuliſſe, quam quod ille quidquam hiſce deliramentis deferret.

TA-

TABVLA CXLV.

CANCER. PISCES. SCORPIVS

DIVIDVNT Aſtrologi duodecim Signa in quatuor Trigonos, ſeu naturas totidem Elementis reſpondentes; nam Arietem, Leonem, et Sagittarium adtribuunt Igni, et iracundae naturae: at Terrae Taurum, Virginem, et Capricornum, omnes melancolicos: Geminos, Libram et Aquarium naturae ſanguineae, illaque ſigna aërea eſſe perhibentur. Cancrum demum, Scorpium, et Piſces deputant phlegmaticis, et elemento Aquae: quod quidem poſtremum ternarium tribus ſtellis adiunctis heic expreſſum cernimus. Haec ſigna faciunt Nautas, Piſcatores, et Vrinatores, quorum ſtudium, et votum circa res aquaticas fere verſatur. Forte hae etiam adludunt ſtellae ad Planetas, qui in eiſdem ſignis tempore natalis verſabantur.

TABVLA CXLVI.

CANCER. RANA. LACERTAE

CANCRVM heic expreſſum tres ſtellae exornant, quarum ratio a caeleſtis thematis poſitione dependet. RANA, et LACERTAE ad humidam Cancri naturam pertinent, et veluti parerga illum ornant. Fuerunt aliquando Lacertae, et Ranae ad nomen Sculptoris ſignificandum adhibitae, denegato honore inſcriptionis, quo ſubſidio memoriam ſui perennarunt Romae Batrachus, et Sauros, quorum mentio eſt apud Plinium Lib. XXXVI. Cap. V. *Nec Sauron, atque Batrachum obliterari convenit,*

qui fecere Templa Octaviae porticibus incluſa : natione et ipſi Lacones : quidam et opibus praepotentes fuiſſe eos putant, ac ſua impenſa conſtruxiſſe, inſcriptionem ſperantes : quae negata, hoc tamen alio loco, et modo uſurpaſſe. Sunt certe etiamnum in columnarum ſpiris inſcalpta nominum eorum argumenta, Rana, atque Lacerta.

TABVLA CXLVII.

LEO

DVABVS ſtellis ornatur LEO, quarum una facile ad ipſum pertinet, quae clariſſima habetur, et *regia* adpellatur, ob regales virtutes, et fortunas, quas ferre dicitur ; altera vero ad Planetam, et fortaſſe ad Solem, cuius Leo domicilium eſſe perhibetur, ut multis probare nititur Macrobius Saturnal. Lib. 1. Cap. 21. *Leonis ſignum domicilium Solis adpellant ; quod id animal videtur ex natura Solis ſubſtantiam deducere :* quanquam recentiores Aſtronomi non omnes huius ſigni ſtellas eiuſdem naturae eſſe cognoverint ; praeſertim vero in corde lucidiſſimam *Baſilicam*, ſeu *Regulam* nuncupatam, quam alii Marti, alii Iovi adtribuunt.

TABVLA CXLVIII.

LEO

HIC typus priori omnino reſpondet. In marmoreis Sarcophagis adſimili emblemate Leones puſilla animalia ſibi ſubiicientes, et laniantes, ſpectantur ; quo Mortis, ac Fati vim, et imperium Veteres ſignificare voluerunt ; ut videre eſt in ſequenti Schemate.

TA-

TABVLA CXLIX.

LEO CERVVM LANIANS

IMago LEONIS CERVVM LANIANTIS ad ſpectacula amphitheatralia, in quibus haec animalia committebantur, commode referri poteſt; nam et multa ſimilia occurrunt in marmoribus, et in Veterum Lucernis, in quibus praecipue Leonis, et Cervi pugna conſpicitur, quarum unam producemus in noſtrae collectionis Tom. III. neque haec ſchemata aliam apud omnes interpretationem recipiunt. Sed in hac Gemma, in qua Sol, et Luna inſculpti ſunt, tanquam praecipuae hominis alicuius tutelae, alia adluſio inquirenda eſt; nam Leo Solis ſymbolum eſt, et Cervus Lunae, ut ſaepe indicavimus: nec fortaſſe longe a vero aberraverim, ſi dixero, aliquam caeleſtium corporum adfectionem utrumque ſubindicare; praeſertim quum Luna Soli oppoſita ab intermedia Terra obſcuratur.

TABVLA CL.

SOLIS SYMBOLA

HAEC Gemma ex illarum numero eſt, quas *Abraxeas* vocari diximus, et *Magicas* rectius nuncuparemus; antecum enim typum huic ſimilem produxit magnus Baronius ad annum Chriſti CXX. num. XII. Gemmam nempe hinc inde ſculptam, in cuius antica parte humana imago cernitur, cuius membra multis literis inſcripta ſunt, inter quas nomen ABPACAΞ expreſſum legitur: de quo aliqua in Prolegomenis dicta ſunt, et plura dicenda reſtant ad po-

poſtremas huiuſce Operis Tabulas. Sed in adverſa parte LEO conſpicitur, qui anterioribus pedibus taurinum caput perſtringit. Triplex explicatio huic, et ſimilibus iconiſmis, alioquin captu difficillimis, convenire poteſt; *Mythologica*, *Aſtronomica*, et *Medica*; et, ſi velimus, etiam et quarta, *Praeſtigioſa* nempe, atque *Magica*. Iuxta primam Leo Herculis ſymbolum eſt, ad alterum facinus edomiti Tauri Cretenſis adludens. Sic in nummis aliquando clavam ore defert, iam non Herculi infenſus, ſed obſequens. Facilius eſt explicare Leonem Solis imaginem, ut ſaepe diximus, qui Tauri domum ingreſſus, oppoſita radiatione Scorpium reſpicit; nam haec ſigna oppoſita ſunt: quapropter ad genethliacam aliquam poſitionem pertinere poſſunt; quanquam haud facile explicarim ſeptenarium ſtellarum numerum, inter quas Luna octava eſt. Etiam ad Medicinam ſpectare poſſunt haec ſymbola; nam hiſce amuletis coniungebant Veteres naturalia quaedam medicamenta, quae maiorem admirationem arcanis hiſce nugis conciliarent. Sic enim Sammonicus Serenus hemitritaeo morbo occurrendum ſuadet, ſi conus Abraxeis literis concinnatus, ut dicemus ad Tabulam CLIII. chartulae inſcriptus, collo adligetur; cui tamen amuleto haec iungenda ſubiicit:

Nonnulli memorant adipem prodeſſe Leonis.
Coralium, atque crocum, corio connectito felis.
Coralium vero ſi collo nectere velles,
Ne dubites illi virides miſcere ſmaragdos.
Talia languenti conducent vincula collo,
Lethaleſque abigent, miranda potentia! morbos.

Proptereaque Leo, Scorpius, et Taurus Medicinam aliquam

quam reſpicere poſſunt, quam ex eorum animalium partibus compararent, ſub praecipuo aliquo ſtellarum adſpectu, quae conſueta fuit ſuperſtitioſorum hominum nequitia, auctoritatem ſibi de caelo conciliantium. Virtutem vero horum lapidum magicam opportune explicat auctor Anonymus, olim in Bibliotheca Chriſtinae Auguſtae adſervatus, quem citat Chifletius in Gemmas Abraxeas Cap. v. in fine: *Si lapis inventus fuerit habens in ſculptura Leonem, et ſuper eum Lunam, et Stellas, et fiat anulus, non quaeras, opifice non loquente, dum praedictus lapis recluditur in ipſo; qui enim hunc anulum geſtaverit, petram in renibus, vel veſſica non habebit, et nec dolorem lateris, vel renis nullatenus ſentiet.* Hinc facile cauſam intelligimus cur haec ſculptura adeo frequens inter Cimelia habeatur; quamquam pro vario hominum ſenſu, atque arbitrio omnia pro lubito conmiſcentis, huic typo parerga quaedam copulentur, quaeque, ut videtur, ab Aſtrologiae deliramentis petita ſunt.

TABVLA CLI.

SOLIS SYMBOLA

RESPONDET ſuperiori Gemmae haec altera, in qua eaedem Leonis, Lunae, et ſiderum imagines obſervantur. Nihil vero praeter ea, quae in ſuperiore adnotata ſunt, peculiare habet, niſi quod, inani myſterio ex Aſtrologiae aditis petito, ſignificetur, quod vis Leonis magis magiſque tunc roboratur, ſitque eius virtus validior, dum Canicula, quae ad eius tergum efficta eſt, illum inſequitur, et quodammodo excitat, atque acuit. Non diſ-

dissimili consilio in Mithriacis toreumatis canis sculptus inspicitur, iacentem bovem, quem Mithra cultro proscindis, morsu provocat, atque impetit; quo forte significare voluerunt Caniculari aestu Terram divexari, donec fervore malignis humoribus, et inutilibus stirpibus exsiccatis, laetior, atque fecundior redeat.

Haec Gemma in postica sui parte insculpta Mercurialem religionem spirat; nam ipse Mercurius stat cum caduceo, et petaso, qui manu caput arietis praefefert. Deo tamen Graeco occurrit Anubis Aegyptius, ut videatur ex duabus imaginibus, sive potius dixerimus ex duplici gentium superstitione, unam tantum Romanam emersisse.

TABVLA CLII.

SOLIS SYMBOLA

LEGIMVS apud Pausaniam in Corinthiacis imaginem Leaenae in quodam Sepulcro sculptam fuisse, forsitan huic nostro typo conformem. Sic enim ille: *Laidis etiam sepulcrum, cui Leaena insculpta est, prioribus pedibus arietem tenens.* Huius sculpturae exempla secuti videntur medii aevi Opifices, qui in vestibulis Templorum veterum Christianorum, atque epistyliis sustinendis huiusmodi Leonum imagines sclupsere, qui anterioribus pedibus aliquando arietes, quandoque hinnulos, saepe saepius etiam vitulos, sive alia mitioris naturae animalia captiva detinent iam iam lanianda. Causa tamen aenigmatis huiusce, seu symbolici emblematis non una fuit pro diverso Sculptorum ingenio, aut opportunitatibus semper varia. De his multa a Cl. Ciampinio in Par. I. veter. Monum. Cap. III.

Ta-

Tabula XVII. adnotantur, qui etiam eorum icones, et exempla adfert ex Aegyptiacis fontibus: quae, ſi cui lubet, obſervari poſſunt.

In hiſce vero Aſtrologicis Gemmis Leo caput arietis adtollens, Soli, et Lunae adiunctus, facile ſignificare poteſt beneficum aliquem Planetam apte in Leone conlocatum, maligni alterius vim in Ariete poſiti retundere ac ſuperare. Facile quoque hic typus pertinet ad obſcuram illam Decanorum doctrinam, qui terni in ſingulis Signis maximam virtutem obtinebant. In aliis Gemmis idem Leo, qui heic caput arietis ſibi ſubiectum unguibus tenet, tauri caput pedibus comprimit, et diſcerpit. Si aenigmaticam hanc ſculpturam inter horoſcopas recenſeamus, haec ſculptura Solem indicat domum Tauri occupantem: cuius decreta videre eſt apud Iulium Firmicum toties citato Lib. v.

TABVLA CLIII.

SOLIS SYMBOLA

Leo, qui in hac Gemma delineatus eſt, Haruſpice magis, quam Mythologo indiget; nam et typus Leonis muſcam, ſive apem devorantis, ſatis obſcurus eſt; obſcuriſſimae vero illae litterarum ambages, quae ſeptem ſtellas circumeunt. Non ambigo tamen Magorum opus hoc eſſe, qui obſcuriſſimis hiſce notis credulos decipiebant. Ne tamen hanc Gemmam omnino miſſam faciamus, credimus eos litterarum nodos occulta quaedam Planetarum nomina continere, quibus virtutes aliquas adſtruebant: quas quum ſedulo meditarer, occurrit mihi ſimilis Gemmae ectypum

pum ſulphure exceptum inter ea, quae multiplicia adſervo: quo, cum ſchemate hoc conlato, comperi utriuſque inſcriptionem aliquantulum differre: a qua ſi barbaram illam, atque ſuburbanam dialectum expungamus, quae forte ad Aegyptiacam linguam pertinet; ſub Ptolemaeis inductam primum, dein ſub Romanorum Imperio corruptam: facile intelligemus meras Graecas voces eſſe, quae ſingulas Planetarum vires reſpiciunt, quas heic veluti in ſpeculo lubet exponere.

	Ex Tab. CLIII.	*Ex meo Ectypo*	*Interpretatio*
Iupiter	ΞVΛKVN	EVΛKVN	ETOΛKH *Bona inclinatio*
Mars	ΔVPVNKE	VVPVKE	ΔHPIΣ a δηριάω *Pugna*
Venus	PIΛEΛKE	ΦIΛEΛKE	ΦIΛEΛXH *Amoris vis, ſeu attractio*
Luna	PEVKON	TEVKON	POIKOΣ a ῥέω *Adfluens*
Merc.	TEΛKON	TEVKON	TTKH *Fortuna*
Satur.	TEΔKVN	TEΛKAN	TEΛXIN *Veneficus*
Sol	MEACV	NEACH	NEOKMOΣ *Renovatus*

Haec tamen inter coniecturas reiicienda ſunt; nam nemo ſanae mentis hos vaniſſimorum hominum iocos, ſe adſecutum unquam eſſe putabit.

TA-

TABVLA CLIV.

MERCVRII SYMBOLA

A Prioris ſculpturae opificio non longe recedit haec Gemma, in qua Aries MERCVRIO ſacer, eiuſque alatus caduceus conſpicitur geminis ſtellis adornatus, cum Cancri, et caeleſtis Arietis ſchematiſmo. Si vero Aſtrologos conſulamus, indicabunt nobis Mercurium in Arietis domo Horoſcopi dominum heic ſignificari, qui hominem facit *litigioſum*, *rixatorem*, *contentioſum*, et *inſidioſum*: quae decreta minuunt benevolarum ſtellarum proſperas radiationes, quas fortaſſe adiunctae ſtellae videntur indicare. Haec tamen figura Leonis arietino capite deformati facile prodiit ex iis amuletis, quae ſuperſtitioſe ſimul, atque inaniter, inter amuleta venditabantur. Audiamus Leonardum noſtrum in Speculo Lapidum Lib. III. circa finem: *Arietis, et ſemileonis figuram, ſi in aliquo precioſo lapide ſculptam invenies, et in argenteo anulo ligaveris, ſi cum eo diſcordes tetigeris, ſtatim in concordiam venient.*

TABVLA CLV.

SOLIS SYMBOLA

HAEC Gemma mitiore ingenio, quam praecedentes, expreſſa eſt; nam Solem deſignat ſignum Virginis adtingentem, atque ad Horoſcopum pertinentem. Virgini ſubſunt Libra, Aries, et Capricornus, qui Planetas propriis in domibus exceperunt.

TABVLA CLVI.

ZODIACI SIGNA

In hac Gemma ingeniosissime excogitata thema alicuius nativitatis depictum est ; nam principem CENTAVRI figuram circa caput Sol inlustrat : quo significatur natalem horam fausta radiatione a Sole prospectam. Sed quia CENTAVRVS manu constringit Virginis spicam , et signum Librae ; hinc significatur , alios ex Planetis in hisce signis percurrentes , sapientiam nato portendisse , atque ex sapientia opes, et divitias : quod, ut ab Artifice indicaretur , Palladem armata quidem , sed copiae cornu munitam, nobis expressit Sagittario insidentem

TABVLA CLVII.

MERCVRII SCORPIVS CVM ALIIS SIGNIS

Emicat in hac Gemma, ut opinor, genethliaca, prope Mercurii signum , solitis , atque ubique notis eius symbolis adornatum , CAELESTIS SCORPIVS: quo illius Planetae in hoc signo beneficus decursus significatur ; cuius decreta recenset Firmicus Lib. v. Cap. 8. *In Scorpio Mercurius si fuerit inventus , quicunque sic eum habuerint homines , erunt satis pulcri , ac venusti , bene compositi , bonae adparentiae , et qui ornatis vestibus delectentur , bene morati , honesti , liberales etc.*

TA-

TABVLA CLVIII.

SCORPIVS

Hoc animal frequentiſſimum eſt in Antiquorum Lucernis, ex quibus plurimae eius imagine conſignatae, in mea Collectione adſervantur. Quum autem nulla eidem inſit nobilitas, ob quam tanto honore dignatum ſit, niſi quod ipſum Zodiaci ſignum obtinuerit, huc univerſas illius icones referendas cenſeo, praecipue quando ſtellis, ut in hiſce Gemmis, exornatur. Siquidem maxima ratio ab Antiquis habebatur, ſub quo ſigno quis natus eſſet, ut ſaepe diximus, et quale nam ex ſignis illud fuerit, quod primam Caeli partem contineret, ut cum ceteris conſentit Manilius Lib. II. verſ. 938. et 945.

Nunc age, ſurgentem primo de cardine Mundum
Reſpice, qua ſolito naſcentia ſigna recurſu
Incipiunt: udus gelidis et Phoebus in undis
Enatat, et fulvo paulatim adcenditur igne.
In qua fortunam natorum condidit omnem
Natura, eque illâ ſuſpendit vota parentum.

Qui vero id ſignum in horoſcopo habuerint; ſi quam fidem Aſtrologis praeſtamus, *bellicam indolem ſortiuntur*, atque ut ipſe Manilius ſubdidit Lib. IV. verſ. 220.

In bellum ardentes animos, et Martia caſtra
Efficit, et multo gaudentem ſanguine civem:

quanquam haec decreta non ex hoc uno loco ſtatuant veteres Aſtrologi; ſed ex toto Caeli ſtatu, et Planetarum di-

diſpoſitione, et adſpectu; quum unus alterius indolem moderetur, pro vario Caeli loco, ut declaravimus in Prolegomenis: nempe haec omnia in his Gemmis adparent, in quibus ſtellae diſpoſitae ſunt ad Sculptoris arbitrium magis, quam ad praecepta Aſtrologorum.

TABVLA CLIX.

SCORPII SIGNVM

DIFFERT haec Gemma a praecedenti in ſola ſtellarum diſpoſitione, quae diverſimode ordinatae ſunt.

TABVLA CLX.

SCORPII SIGNVM

GEminata SCORPII imago ad duplicem genituram pertinet; fortaſſe amborum coniugum, qui idem ſignum, diverſis tamen Planetis coniùgatum, in Horoſcopo ſortiti ſunt; nam dextrorſum Columba Veneris, ſiniſtrorſum Sol, et Luna copulantur. Sculpturae nuptiales, quotquot adhuc in lucem prodiere, dexterum locum ſponſae adſignant, ſiniſtrum viro; ideoque non immerito primum Horoſcopi ſchema mulieri, alterum viro adſignamus. Primum ſane eſt ominoſum; nam Venus in Scorpio iuxta Firmicum Lib. v. Cap. 7. facit *colericos*, *litigioſos*, *ſuperbos*, *cupientes*, *quacumque ratione*, *voluntatum ſuarum deſideria conſequi; atque ea de cauſa non curabunt aliquando ad interfectiones hominum deſcendere*. Hinc apud Horatium infra citandum, Scorpius *formidoloſus* dicitur; illumque ſic deſcribit Manilius loco citato:

Scor-

Scorpius armata violenta cuſpide cauda :

et Aratus :

Scorpius infeſtus praeportans flebile acumen .

At meliora promittunt veteres Aſtrologi de Sole in domo Scorpii commorante ; quae ita complectitur Firmicus loco citato Cap. VI. *Erunt formoſi , ornati , magni nominis , et qui honorem a Regibus conſequantur , et hereditates plurimas acquirant .* In ſignum vero maritalis concordiae , et mutui amoris communis Horoſcopus in hac Gemma expreſſus eſt ; nam de hac caeleſti communione magna ſemper inter amicos ratio habita fuit , ut teſtimonio Perſii Satyr. V. verſ. 45. manifeſte evincitur :

Non equidem hoc dubites , amborum foedere certo
Conſentire dies , et ab uno ſidere duci .

Et Horatius Carm. Lib. II. Ode 17.

Seu Libra , ſeu me Scorpius adſpicit
Formidoloſus , pars violentior
Natalis horae , ſeu Tyrannus
Heſperiae Capricornus undae :
Vtrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum . ———————

Caput Vrſi , quod in medio expreſſum eſt , ad communis Familiae emblema , ſeu nomen viri adludit ; nec enim in promptu habeo aliam interpretationem , quae huic typo conveniat , vel cum ratione aptari poſſit .

TA-

TABVLA CLXI.

CAPRICORNVS

HVIVS ſigni dignitatem paucis complectitur Macrobius in Somnium Scipionis Lib. I. Cap. 12. *Capricornus Deorum porta eſt; quia per illum animae in propriam immortalitatis ſedem, et in Deorum numerum revertuntur.* Conveniebat itaque hic typus feralibus anulis, quos vel ſibi viventes praeparabant, vel amici ſeligebant, ut cineribus mortuorum infererent. Congruebat vero huic ſigno tridens, quia ad eius exortum tempeſtates ſuſcitari conſtat. Hinc Virgilius:

Semivir arcipotens ſubit, et Capricornus aquoſus.

Et Horatius loco ſupra memorato:

——— ſeu Tyrannus
Heſperiae Capricornus undae.

Forte etiam hae Gemmae in Auguſti honorem expreſſae ſunt: qui quum idem ſignum in Horoſcopo habuiſſet, in nummis ſuis ubique obviis illud publicavit; vel alii eius exemplo, boni ominis cauſſa, adſciverunt, et ſibi quoque aptarunt. Suetonius Cap. 94. *Tantam fiduciam ſui Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit.* In nummis vero non tridentem, ſed navis temonem, quo ſe totius Orbis moderatorem iactaret, ſubiecit. Additus vero tridens, ad victoriam Actiacam videtur adludere. Stella vel ad Venerem ſpectat, unde Caeſar originem ducebat, vel ad Solem. Quod vero tam obviae ſint Gemmae Capricorno

pricorno ſignatae, et ſtellulis diſtinctae, minime miror, quum ex Leonardo intelligam, plurimas huic typo virtutes adtributas: *Capricorni ſignum ſculptum in carneola, aut in aliquo alio lapide, in annulo argenteo pone, ac tecum porta. Nec in perſona, nec in aere ab inimicis laeſus eris: nec Iudex contra te ſententiam iniuſtam feret* (o lapidem omnibus Cauſidicis efficaciorem!) *in negociatione, ac honore abundabis, et amicitiam multorum acquires, ac omnes faſcinationes, quae contra te factae erunt, deſtruentur: et in proelio nullus inimicus, quantumcumque fortis fuerit, tibi reſiſtere poterit.*

TABVLA CLXII.

CAPRICORNVS

DIFFERT hoc ipſum Gemmae exemplar a ſuperiore; nam Capricornus globum ſtella inſignitum pedibus continet. Idem quoque inſigne ſpectatur in nummo Auguſti aereo, atque argenteo.

TABVLA CLXIII.

CAPRICORNVS ET DELPHIN

VTRVMQVE ſignum ad Auguſti laudes adludit, ex quo praecipue poſt victoriam Actiacam orbis imperio potitus eſt: ferunt enim ipſum DELPHINI inſigne adhibere conſueviſſe in Veneris memoriam.

TABVLA CLXIV.

AQVARII SYMBOLVM

VRNA in hac Gemma anulari, auro incluſa, antiquo opificio expreſſa inter gemina ſidera, facile referri poteſt ad ſignum AQVARII; ſed Baccho quoque convenienter adſcribitur: nam cantharo, quo utebatur, adſimilatur. Literae initiales P L I. forſitan nomen Artificis, vel Poſſeſſoris ſubindicant.

TABVLA CLXV.

NAVIS ARGO

NAVEM ARGO nobis oblatam in hac perrara Gemma conſpicimus, quam deſuper inluſtrant

Fratres Helenae, lucida ſidera;

ut dixit Horatius Ode III. Lib. I. atque, ut ſubdidit Ode XII.

——— *quorum ſimul alba nautis*
Stella refulſit.
Defluit ſaxis agitatus humor
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax, quod ſic voluere, ponto
Vnda recumbit.

Adludunt praeterea eaedem ſtellae ad Phaenomena, quae Arnobius *ignes*, ſeu *fulgores marinos* vocat, qui nautis per noctem adparent, et fauſtiſſimi, ſi bini ſint, reputantur.

tantur. Plinius Lib. II. Cap. 37. *Vidi nocturnis militum vigiliis, inhaerere pilis pro vallo fulgorem effigie ea: et antennis navigantium, aliisque navium partibus, ceu vocali quodam ſono inſiſtunt, ut volucres ſedem ex ſede mutantes: graves, quum ſolitariae venere, mergenteſque navigia . . . . geminae autem ſalutares, et proſperi curſus praenunciae: quarum adventu fugari diram illam, ac minacem, adpellatamque Helenam, ferunt: et ob id Polluci, et Caſtori id numen adſignant, eoſque in mari Deos invocant.* Inde eſt, quod *hominum ſervatores* ab Homero adpellantur in Hymno:

Servatores peperit pueros (Leda) *terreſtrium hominum,*
Velociumque navium, quando feſtinant procellae:
——————— *hi autem repente adparuerunt*
Flavis alis per aethera vibrantes.

Huius ignis mentionem facit quoque Seneca Quaeſtion. Natural. Lib. I. Cap. I. *In magna tempeſtate adparent quaſi ſtellae velo inſidentes, adiuvarique ſe tunc periclitantes exiſtimant, Pollucis, et Caſtoris numine.* Hanc vero ſui fiduciam ingeſſerunt, ex quo et ipſi aliquando maris pericula, immo omnium primi, experti ſunt in Colchica expeditione, quum Navem Argo cum ceteris Argonautis conſcenderunt, ut legimus apud Apollonium, et Valerium Flaccum in Argonautica: in cuius expeditionis memoriam quum Navis Argo inter ſidera relata eſſet, eius inſignes nautis familiariſſimum fuit; illudque in hac Gemma expreſſum cenſeo. Nec a veritate longe aberit, qui id navigium victoriae Actiacae tribuere voluerit, quum geminas has flammas Auguſto adſtitiſſe referat Virgilius Aeneid. Lib. VIII. verſ. 678.

Hinc Auguſtus agens Italos in proelia Caeſar
Cum Patribus Populoque, Penatibus, et magnis Dîs,
Stans celſa in puppi: geminas, cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice ſidus.

TABVLA CLXVI.

CAPVT ROMAE

GEMMAE, quae ſequuntur, Romanam maieſtatem illuſtrant, eiuſque mores exprimunt; ideoque praecipuam ex illis Claſſem conſtituendam cenſuimus. Agmen ducit CAPVT ROMAE galeatum, ea forma adamuſſim expreſſum, qua nobis occurrit in nummis, quos Conſulares adpellamus: galea etiam ipſiſſima eſt, quam in nummis Samniticis deprehendit Vir eximia doctrina, et morum ſuavitate ornatiſſimus, Oliverius noſter, qui duplici Diſſertatione novam hanc provinciam Eruditis patefecit, et illuſtravit. In Romae clypeo Auguſti horoſcopon ſaepe expreſſum videas. Quis vero ſub hoc typo aevum Auguſteum non agnoſcit, et Romam Octaviano obtemperantem? Nempe haec natalis horae adſcendentia ſigna in clypeis pingi ſolebant, ut de Alexandro memoratur, qui inde Leonem in clypeo adſumpſit. Horoſcopum vero ſuum Auguſtus etiam in nummis publicavit, ut ſupra vidimus, cui propterea ita adſentatur Manilius Lib. IV. verſ. 789.

Tu, Capricorne, regis quidquid ſub Sole cadente
Eſt poſitum: ——————————

et Lib. II. verſ. 508.

—— *quid*

——————— quid enim mirabitur ille
Maius, in Auguſti felix quum fulſerit ortum?

Sol, et Luna praecipuam indicant Romanae Vrbis in ea Numina religionem : potiſſimum vero ex quo, devicto M. Antonio, Ludos ſaeculares in eorum honorem celebravit, ut ſuo loco dictum eſt.

TABVLA CLXVII.

AQVILAE LEGIONARIAE

HVNC typum facile quis ad inferiora conlabentis Imperii tempora adtribueret, non levi indicio fultus nummi aerei ſub Theodorico cuſi, in quo arbor conſpicitur geminis hinc inde aquilis diſpoſitis : ſub quarum imagine utramque Vrbem Regni caput Romam, atque Ravennam ſubintelligi cenſeo ; quidquid alii ſenſerint, utramque Imperii principem ſub eo emblemate cognoſcentes, Romam, atque Conſtantinopolim, cum qua nullum Gothis commercium exſtitit. At valde dubito, num illa aetas Scalptores Gemmarios tantae indolis et elegantiae numeraverit, quum in ipſis nummis publica auctoritate tunc cuſis, ſumma Monetariorum Artificum imperitia deprehendatur : potius crediderim geminas iſtas Aquilas, quae ſub palma otiantur, lauream roſtro continentes, ad *Legionem* aliquam *Geminam* pertinere, quae ſub Veſpaſiano Principe in Oriente militaverit, in cuius nummis ea ipſa arbor occurrit : vel potius laureatae Aquilae ad geminos Principis filios adludunt, in cuius nummis amborum natorum capita e copiae cornibus prodeuntia inter mul-

multiplices pomorum ſpecies obſervantur. Nec improbabile mihi videtur ad expeditionem quoque Orientalem ſub Aureliano factam, pertinere poſſe; quum in eius nummis Sol expeditionis auſpex, qui in hac ipſa Gemma cum Luna coniunctus eſt, ſignatus videatur.

TABVLA CLXVIII.

AQVILAE LEGIONARIAE

PLACET ſuperiori Gemmae ſubdere antiquum Muſei mei vitrum, in quo ſimillimum omnino ſchema obſervatur; nam ſub palma geminae Aquilae boni ominis, ut auguror, cauſa, ciſtis inſiſtunt, fructus arboris depaſcentes.

TABVLA CLXIX.

AQVILA LEGIONARIA

SIGNA Legionaria, quae ornant hanc Gemmam, peculiarem tutelam alicuius militis deſignant, adcedentibus Luna, et geminis aſtris, quae facile Caſtorem, et Pollucem reſpiciunt, qui ſaepe ſaepius exprimuntur in Gemmis, ipſis militaribus ſignis inſidentes, de quibus ſuis in locis iam pluribus dictum eſt.

TABVLA CLXX.

IVLII CAESARIS SYMBOLA

AQVILA fulmini inſiſtens, adiecto aſtro IVLII CAESARIS inter Divos relati, inſignia ſunt huius perrarae Gem-

Gemmae ; praeſertim vero Aquila : quae quum e ſummo rogo demitteretur , animam defuncti in caelum efferre, credebatur ; adeo ut in nummis , et marmoribus ſepulcralibus nihil plane ſignificet , quam apotheoſin. Fulmen, ut ſupra diximus, et ipſum divinitatis inſigne habebatur, ut probavimus auctoritate Lucani , qui Iulio Caeſari ornamenta divinitatis adſignat , fulmen , coronam radiatam, et ſtellam : de qua haec habentur apud Suetonium in eius Vita Cap. 88. *In Deorum numerum relatus eſt , non ore modo decernentium , ſed et perſuaſione vulgi . Siquidem ludis , quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat , ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit , exoriens circa undecimam horam ; creditumque eſt animam eſſe Caeſaris in caelum recepti : et hac de cauſa ſimulacro eius in vertice additur ſtella .* Et Servius in Eclog. IX. verſ. 47. *Auguſtus animam patris ſui eſſe voluit , eique in Capitolio ſtatuam , ſuper caput auream ſtellam habentem , poſuit . Inſcriptum baſi fuit* CAESARI EMITHEO : quod etiam ſuperius confirmat , praeſertim Aeneid. I. verſ. 29. VI. verſ. 791. VIII. verſ. 685. Haec tamen opinio traditionibus Aegyptiorum innixa erat , apud quos ſtella vel *Deum ſignificabat* , vel *maſculi hominis animam* , ut conſtat ex Horo Apolline Hieroglyph. Lib. I. Cap. 1. Auctoritatem vero Suetonii , et Servii mirifice comprobat eximium Marmor , quod Ravennae ad Divi Vitalis conſpicitur , in quo prope Iovis imaginem Iulius Caeſar conſpicitur , cuius capiti ſtella praefixa adparet : ipſum vero comitatur tota Auguſti familia , ſub Deorum ſpecie figurata : quod quidem Marmor ad Auguſti Templum facile pertinuit : et nil repugnat quin credamus, ex ipſo Romae, et Auguſti Templo , quod contra Capitolium magnificentiſſime erectum eſt , detractum

fuiſ-

se, et Ravennam sub Theodorico conmigrasse. Hoc ipsum eximium Toreuma in altera huius Operis parte proferimus, et inlustramus. Inscriptio IVLIVS, minime dubitare nos sinit, cui hanc elegantem Gemmam, aureo anulo antiqui operis insertam, referamus.

TABVLA CLXXI.

IVLII CAESARIS SYMBOLA

CONTINET haec Gemma prioris argumentum; nam et inscriptio IVLIVS CAESAR. cui tribuenda sit, facile ostendit. Aquila columnae insistens non obscurum divinitatis indicium est: ipsaque columna inter praecipuos honores Heroibus adhiberi solitos, censebatur; ut enim, verbis Plinii utar: *Columnarum mos fuit adtolli supra ceteros mortales:* illarumque usum in maximorum Virorum sepulcris multiplici auctoritate demonstravi in Acherontico meo, edito in Vol. III. Musei Etrusci. Geminae stellae, hinc atque inde delineatae, ad ipsum Iulium pertinent, et ad eius filium Augustum, qui pari honore in nummis exornatus est; seu potius altera stella ad Caesarem spectat, quem eius praeclare gesta,

In sidus vertêre novum, stellamque comantem:

ut canit Ovidius Metamorph. XV. vers. 745. altera vero est Veneris, unde ortum duxerat Caesar. Manilius Lib. I. vers. 796.

Venerisque ab origine proles
Iulia descendit caelo, caelumque replevit,
Quod regit Augustus socio per signa Tonante.

TA-

TABVLA CLXXII.

M. ANTONIVS ET CLEOPATRA

Si nummum in honorem Marci Antonii, et Cleopatrae ſub L. Pinario Scarpo Quaeſtore cuſum intueamur, de huius Gemmae ſignificatione vel minimum dubitabimus. Aſtrum, et cithara ad Apollinem adludunt; minime quidem quod M. Antonio faverit; nam contra ipſum in pugna ſtetit, et

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo;

ut ait Virgilius Aeneid. Lib. VIII. et Propertius Lib. IV. verſ. 67.

Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Vna decem vicit miſſa ſagitta rates.

Putandum potius eſt haec ſymbola ex privata religione fuiſſe addita. Imperatorum capita non ſine vana obſervatione deferebantur in Gemmis, ex quo tam ingens earum copia irrepſit. Sic enim de illis Leonardus noſter: *Imperatoris imaginem habentis caput erectum, in lapide ſculptam, ſi quis ſecum portaverit, diligetur ab omni creatura, et, ſi quid ab aliquo petierit, obtinebit.*

TABVLA CLXXIII.

INSIGNE AVGVSTI

Delphini inſigne Auguſtum ſibi adſciviſſe indicavimus alio in loco; huic vero noſtro patrium ſidus adiectum eſt, ſeu ſtella Veneris, unde gens Iulia originem

traxerat, eique facile adludit subiecta testudo. Augusto vero libenter id symbolum adtribuo, quod copiae cornu superne ornatum adpareat; nam ita prorsus in eius nummo Capricornus expressus est.

TABVLA CLXXIV.

AVRIGA VICTOR SACRIFICANS

HIERONICAM agnosco in pereleganti hac Gemma, qui exantlato certamine, et iam donatus palma, curriculi temonem emeritus ad metam reclinat, et ad aram pro recepta victoria sacrificaturus adcedit. Illum interim videmus coronam e capite detractam, veluti votivam, Diis offerre; quemadmodum triumphantes in usu habuerunt, uti in Notis ad Lucernas Tom. I. num. XXVIII. observatum a me est. Sol super aram resplendens, facile ostendit vota eius Numini persolvi; nam spatia Circi eidem Soli sacra erant: siquidem a carceribus ad primum flexum *Sol Oriens* invocabatur; inde vero ad alterum *Occidens*; quod verba Cedreni in descriptione Circi manifeste probant: *Per metam, quae est ad ostia, Ortum: per ea, quae est infunda, Occasum designant*. Immo totus Circus sacer erat Soli; nam Caelum significabat, per quem Sol decurrit: et quatuor Circensium factiones quatuor anni tempora designabant, quo respicit vetus Poëta Anonymus:

Circus imago Poli, formam cui docta vetustas
Condidit, et numeros limitis aetherei;
Namque duodenos ostendunt ostia menses,
Quaque meat cursim aureus astra inbar.

TA-

TABVLA CLXXV.

EQVES IN BELLVM PROFICISCENS

VTEBANTVR Romani Equites etiam parmula ad hoſtium ictus propulſandos, quae fere rotunda fuit; atque, ut colligitur ex anaglyptis ſculpturis, et imaginibus, bipedali diametro: ne ſi amplior fuiſſet, impediret magis, quam defenderet militem. In his vero inſignia quaedam pingebantur: quod omnium primi fecerunt Cares, ut narrat Herodotus Lib. I. Sed primis militiae temporibus oſtentationi virtutis dabatur, ut in clypeo propria, et maiorum facta pingerentur; ut paene ignobilitati tribueretur, ſi quis album clypeum deferret, iuxta illud Virgilianum Aeneid. Lib. IX. verſ. 548.

Enſe levis nudo, parmaque inglorius alba.

Sed uſus, et militiae ordo invexit, ut ſingularum Legionum Equites, conſtitutis quibuſdam ſignis, adſimili modo, uterentur. Vegetius Lib. II. Cap. 17. *Sed ne milites aliunde in proeliis tumultu a ſuis contubernalibus aberrarent, diverſis Cohortibus, diverſa in ſcutis ſigna pingebant, quae ipſi denominant* ΔΕΙΓΜΑΤΑ; *ſicut etiam nunc moris eſt fieri*. Inter haec inſignia aſtrum locum praecipuum obtinuit, et antiquiſſimum, ut colligitur ex Etruſcorum ſculpturis, in quibus clypei eodem aſtro ornantur. Inter ſculpturas etiam Templi Martis Tudertium clypei obſervantur, plurimis, ac variis emblematibus ornati, inter quae ſtella quoque numeratur. Quid memorem veteres Lucernas Muſei noſtri, in quibus ſcutorum, quae in ipſis exhibentur, aſteriſmus obvius eſt? Adeamus demum Noti-

tiam Imperii, in qua pro ſingularum Legionum varietate haec digmata diſponuntur, inter quae radiata ſtella ſaepiſſime occurrit: cuius ſignificatio, quum arbitraria eſſet, non eſt cur illam alterutri ex Planetis adtribuamus. At haec, et ſequentes Gemmae, ad ſuperſtitionem potius, quam ad Aſtrologiam pertinebant. Sic enim habemus apud Hermetem, quem refert toties citatus Leonardus: *Hominis armati cum enſe in manu imago ſi in ſardio, ſive amethyſto ſculpta reperiatur, gerenti acquirere facit bonam, ac perfectam memoriam, et ſapientem reddit ..... Hominis cum enſe in manu imago, geſtantem victorioſum in bellis reddit ..... Hominis armati in equo cum lancea, ſi in ſmaragdo ſculpta erit, geſtantem victorioſum in campeſtri bello reddet.*

TABVLA CLXXVI.

MILITES SOCIVM EFFERENTES

GEMINI Milites Commilitonem faucium in clypeo eſferunt: quo ſpectat Auſonii Epigramma XXIV.

Mater Lacaena clypeo obarmans filium,
Cum hoc inquit, aut in hoc, redi.

Eundem morem adtigit Virgilius Aeneid. Lib. X. verſ. 841.

At Lauſum ſocii exanimem ſuper arma ferebant:

et Statius Thebaid. VIII. verſ. 637.

——— multo ſudore receptus
Fertur Atys, ſervans animam iam ſanguine nullo,
Cui manus in plaga dependet, languida cervix
Exterior clypeo. ———

TA-

TABVLA CLXXVII.

MILES EXCVBITOR

VALLVM videtur cuſtodire Miles, qui genu humi poſito, et defenſus ſtella, clypeo excubias agit.

TABVLA CLXXVIII.

MILES

IN nihilo fere a priori differt haec MILITIS imago, niſi quod recto ſtatu conſiſtit, adſimili ſcuto protectus.

TABVLA CLXXIX.

SYMBOLVM VIGILANTIAE MILITARIS

PVLCHERRIMVM ſpecimen militaris vigilantiae nobis exponit ſymbolica haec Gemma, ex Gorianis Cimeliis depromta, in qua anſer liticinis vicem gerit, et intortam tubam tranſverſae haſtae obfirmatam, ut Romanis in uſu erat, altero pede conſtringit, illamque ori admovet, veluti clangorem emiſſurus. Memini me aliquando in altera Gemma inciſum gallum vidiſſe, qui idem officium praeſtabat. Hic vero typus eo magis altero praeſtat, quo anſer ad Gallos Capitolio depulſos ingenioſiſſime adludit: *Eſt et Anſeri vigil cura, Capitolio teſtata defenſo, per id tempus canum ſilentio proditis rebus; quam ob cauſam cibaria Anſerum Cenſores in primis locant;* ut habetur apud Plinium Lib. x. Cap. 22. Stella ſubiecta, ut auguror, Legionis inſigne eſt. TA-

TABVLA CLXXX.

TROPAEVM

RESPONDET haec Gemma, in qua TROPAEVM incisum est, alteri, quam inter huius Operis Parerga inluſtravimus. Tres ſtellae inſcriptionis, ſeu dedicationis vicem obtinent; et facile ſignificant cui manubiae dicatae ſint. Nam ſtella galeae ſuperpoſita Iovem reſpicit, qui etiam ſubiecto fulmine declaratur. Altera ex lateralibus ad Martem facile pertinet, cui haec ſpolia conſecrari ſolebant. Tertia, ſi placet, eſt Veneris Romani Numinis, unde Aeneadum genus deducebatur; etſi nullo certo indicio adducar, ut coniecturam hanc meam confirmem.

TABVLA CLXXXI.

CAPRARIVS

SENSVS huius Gemmae mihi oppido non liquet, niſi forte CAPRARII officium deſignetur, qui rudi contectus ſago, adſtante cane, capram cuſtodit. Sidus praefixum, fortaſſe ad Caprae caeleſte ſignum adludit, de quo haec Pauſanias in Corinthiacis: *In ipſo Foro Capra ex aere, magna ſui parte inaurata, quam plane ob cauſam bonos eſt a Phliaſiis habitus, quod ſidus; quam Capram vocant, ortu ſuo vitibus perniciem adferre conſuevit: ne itaque caeleſtis Capra vinetis noceat, forenſem illam ex aere cum aliis adficiunt honoribus, tum vero auro eam exornant.*

TA-

TABVLA CLXXXII.

BVBVLCVS

PASTOR geminos iuvencos prae labore quiescentes nudus custodit ; hanc enim legem bubulcis praescribit Virgilius Georg. I.

Nudus ara , sere nudus :

quo significatur , serena tempora in hisce ruris officiis esse expetenda. Si altiora placeat in hoc typo perquirere, Triptolemum aratri repertorem heic exprimi, si quis putet, minime repugnabo : de quo plura superius in Cerere . Sol , et Luna ruris tutelam , de qua saepius dictum est , haud obscuro indicio significant ; nam illorum ordinato, et constanti motu anni tempora moderantur , atque illa tempestatum alterna temperies , qua Terra fecundatur, coalescit . Vereor tamen ne haec Gemma inter illas numeranda sit , quae vel superstitiose excalptae sunt , vel quibus deinde ab insulsis circulatoribus virtutes quaedam adscribi solebant . Sic enim lego apud Leonardum : *Viri barbati habentis longum vultum , et curvata supercilia , sedentis super aratrum , inter duos tauros , baiulantem culturam in manu , et in caput eius sit collum hominis , et caput vulpis , figuram si sculptam in aliquo lapide inveneris , ad plantationes , ac ad omnes culturas valet , ad inveniendum thesauros , et ad bellandum convertit inimicos in caritatem , ac in multis infirmitatibus valet ; et , si quis eum portaverit , fugient serpentes a facie eius* . Sed piget has nenias referre, in quibus plus aequo doctus Auctor nimius fuit .

TA-

TABVLA CLXXXIII.

VIRTVS

CLASSEM Gemmarum Romanarum claudit typus VIRTVTIS, quae ei Populo orbis terrarum domino familiariſſima fuit, et veluti operum omnium moderatrix. Sub hac ſpecie nobis videndam ſe offert in nummis Imperialibus, praeſertim vero Vitellii, Galbae, Traiani, atque Hadriani. Putant eo ſchemate ipſos Principes praefigurari; praeſertim quia in nummis Probi circa caput Imperatoris inſcriptio adiecta legitur: VIRTVS. PROBI. AVG. quaſi iam tum homo eſſe deſiiſſet, et nil in ipſo conſtaret niſi una Virtus. Sol, et Luna hinc inde adiecti, facile ad aliquem Imperatorem adludunt iam relatum inter Deos. Nam in aliquibus Antiquorum ſculpturis, ubi Apotheoſes expreſſae ſunt, Solis, et Lunae quadrigae cernuntur, quae animam Imperatoris circumſtant, ac veluti virtutis teſtes in coetum Deorum inferunt.

TABVLA CLXXXIV. ET CLXXXV.

MITHRA

QVum SACRA MITHRIACA, ad quae pertinet perinſignis haec Gemma, profundo premerentur ſilentio apud eorum cultores, perpauca profecto ſunt, quae circa illa nobis innotuerunt. Quod liquido conſtat, origo ſacri e Perſide eſt, ubi inter Oromaſdem, atque Arimanium, quos boni, ac mali principia credebant,

MI-

MITHRAM mediatorem ſibi confinxerunt, ut refert Plutarchus in Libro de Iſide, et Oſiride. Eundem vero nil niſi Solem eſſe reputabant; unde Claudianus Lib. I. de Laudibus Stiliconis:

Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithram.

Eius vero ſuperſtitio ubique terrarum, potiſſimum vero Romae, poſt Chriſtum natum adeo propagari coepit; ut plane Sanctis Patribus viſum ſit, voluiſſe Diabolum Chriſtianae Fidei myſteriis Mithriacam opponere impietatem, in cuius caeremoniis multa ad Chriſtianorum ſimilitudinem peragebantur; quod diſerte notavit Tertullianus Libro de praeſcriptionibus Haeret. *Diabolus ipſas quoque res Sacramentorum divinorum in Idolorum myſteriis aemulatur. Tingit et ipſe quoſdam utique credentes, et fideles ſuos: expiationes delictorum de lavacro repromittit, et ſic initiat Mithrae. Signat illic in frontibus milites ſuos, celebrat et panis oblationem, et imaginem reſurrectionis inducit.* Hoc etiam teſtatum reliquit Iuſtinus Martyr in II. pro Chriſtianis Apologia: *Quod quidem in myſteriis, atque initiis Mithrae fieri docuerunt pravi Daemones; quod namque panis, et poculum aquae in ſacrificiis, ſive re divina eius, qui initiatur, ponatur, verbis quibuſdam additis.* Fuit praeterea in his myſteriis quaedam martyrii imago; quod indicavit idem Tertullianus Libro citato per ea verba: *Et ſub gladio redimit coronam.* Suidas quoque in ΜΙΘΡΟΥ, ait, non potuiſſe homines huic initiari niſi per quoſdam gradus cruciatuum.

Inter cetera vero myſteria praecipuum habebatur Taurobolium, quo nempe tauri mactati ſanguine expiandi turpiter adſpergebantur; quod deſcripſit Prudentius in Martyrio Romani verſ. 1046.

Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis ſordidum piaculi,
Omnes ſalutant, atque adorant eminus:
Vilis quod illum ſanguis, et bos mortuus
Foedis latentem ſub cavernis laverint.

Hinc inſtitutum eſt apud Romanos Mithram effingi ſub imagine Iuvenis Perſico habitu ornati, qui ſtratum taurum premens, cultro in guttur adacto, illum confodit: quod etiam in hac Gemma expreſſum videtur, cui plerumque marmora Romae praeſertim obvia conſentiunt.

At praeter myſticam ſacri rationem, phyſica quoque argumenta excogitata ſunt, quibus ea ſculpturae forma confirmaretur; nam ſub imagine tauri Lunam intelligebant, quam veluti fugientem Sol perpetuo curſu inſequitur, iuxta Statium Thebaid. 1. in fine:

Indignata ſequi torquentem cornua Mithram;

quem locum ita explicat Lactantius: *Quae interpretatio ad Lunam pertinere dicitur; nam indignata ſequi fratrem, occurrit illi, et lumen ſubtexit. Sol enim Lunam minorem potentia ſua, et humiliorem docens, Taurum inſidens cornibus torquet: quibus dictis Statius Lunam bicornem inteligi voluit.* Hanc opinionem mirifice comprobat Muſei noſtri Lucerna Tom. I. num. *99.* ad ſimilitudinem Taurini capitis efformata, cum inſcriptione: ΑΡΘΕΜ. ΙΕΡΟC. *Dianae ſacrum.* In alio vero ſenſu, quum Luna eadem ac Terra haberetur, per hunc typum ſignificatur, Solem vi radiorum ipſam Terram pervadere, atque quodammodo ferire, ut ipſa fecundior fructus emittat; quod non obſcure indicat tauri cauda, plerumque in Marmoribus in ſpicas deſinens. Ca-

Canis, qui tauro adlatrat, facile ſignificat acriorem Solis vim fieri, quum Canis aſtrum, quod Caniculam vocant, percurrit, de quo Manilius Lib. V. verſ. 206.

Cum vero in vaſtos ſurgit Nemeaeus hiatus,
Exoriturque canis, latratque Canicula flammans,
Et rabit igne ſuo, geminatque incendia Solis,
Qua ſubdente facem terris, radioſque movente,
Dimicat in cineres Orbis, fatumque ſupremum
Sortitur, languetque ſuis Neptunus in undis.

Occurrit etiam facilior, et promptior ratio, cur fere ſemper Tauro Canis iungatur; nam Canis conſtellatio Tauro proxima eſt; adeo, ut Sole Taurum percurrente, ob radiorum proximitatem, aſtrum Canis iam non adpareat, et quaſi occidere videatur: quod manifeſte declaravit Macrobius in Somnium Scipionis Lib. I. Cap. 18. „ Signum, „ quod cum Sole oritur, et cum Sole occidit, ſemper „ occulitur; adeo ut vicina aſtra Solis propinquitate „ celentur. Nam et Canis tunc, quia vicinus Tauro eſt, „ non videtur, tectus lucis propinquitate; et hoc eſt, quod „ Virgilius ait:

„ *Candidus auratis aperit cum cornibus annum*
„ *Taurus, et adverſo cedens Canis occidit aſtro.*

Non enim vult intelligi, Tauro oriente cum Sole, mox in occaſum ferri Canem, qui proximus Tauro eſt; ſed occidere eum dixit, Tauro geſtante Solem; quia tunc incipit non videri, Sole vicino.

Adſtant hinc inde, ut in ceteris Mithriacis Marmoribus, gemini Adoleſcentes pari Perſico habitu induti. Horum

prior facem adtollit; posterior humi defigit: quibus Dies, et Nox, ut nemo non videt, significatur. Corvi ratio non minus perspicua est; nam, ut ait Aelianus Lib. 1. Cap. 48. *Soli sacer est, et famulus; ideoque divinandi vim habet*. Quam quidem virtutem ita deridet Clemens Alexandrinus apud Eusebium de Praepar. Evang. Lib. 1. Cap. 3. *Corvi illi, quos ad responsa reddenda homines erudiere*. Hinc inter symbola Mithriaca a Graccho eversa, a B. Hieronymo etiam Corvus enumeratur: *Specum Mithrae, et omnia portentosa simulacra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helius, Bromius pater initiantur, subvertit, fregit, exussit*. Quamquam haec non tam symbola, quam gradus initiationis habebantur; quod constat ex Porphyrio de abstinentia: *In mysteriis Mithrae communionem, quam habemus cum animalibus, subindicare volentes, per animalium nomina consueverunt nos interstinguere; adeo ut eos, qui iam initiati participes sunt eorumdem sacrorum, Leones vocent, ipsasque feminas Hyaenas, famulantes autem Corvos. Itidem in Patribus, Aquilae enim, et Accipitres hi adpellantur: et qui Leonina sumit, circumponit sibi omnigenas animalium formas*.

Scorpius, qui Chelis genitalia tauri adprehendit, ad physicam rationem referendus est; nam post aequinotium autumnale ad Scorpium declinat: Solis vi refrigescente, terrae vis seminalis reprimitur, et coarctatur: quapropter, ut refert Plutarchus de Iside, et Osiride, festum ab Aegyptiis celebrabatur, quo Solis baculos natos esse dicebant: *Significantes Solem veluti fulcro, et baculo indigere, et caloris, et luminis aliquam passum esse diminutionem*.

Postremum huius nostrae Mithriacae Gemmae emblema, quod et in ceteris fere semper recurrit, draco est,

cuius

cuius maxima cum Sole relatio habetur apud Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. 20. *Propterea et ad ipſum Solem ſpecies draconis refertur ; quia Sol ſemper, velut a quadam imae depreſſionis ſenecta, in altitudinem ſuam, ut in robur, revertitur iuventutis.*

IN ALTERA GEMMAE PARTE
ANIMARVM TRANSVECTIO

In perrara hac Gemma defuncti anima repraeſentatur ad Elyſios contendens : quod argumentum, quum peculiari Diſſertatione DE TRANSVECTIONE ANIMARVM infra pertractatum ſit, hinc ſupervacaneum eſt, ut pluribus de eo hoc loci diſſeramus.

TABVLA CLXXXVI.
GEMMA MAGICA

Mercvrivm in hoc typo facile agnoſco, cui calceamenta viatoria, et alas tergo inhaerentes Etruſci tribuerunt : quod propoſita eorum Vaſcularia ſupellectile, ex eorum picturis perſpicue adparebit. Geminis vero ſtellis hic Deus inſiſtens, ac veluti inambulans, quodammodo proprium officium, quo Deorum nuncius inferna, atque ſuperna penetrare credebatur, videtur indicare. Inſcriptio tamen, ut ceterae omnes, quae in hiſce amuletis occurrunt, nemini adhuc perſpicua, utpote quae nec ſenſum, nec ſonum reddit, facile evincit hanc etiam Gemmam in illarum cenſum eſſe reponendam, quas proprio nomine *Magicas* adpellandas eſſe in Prolegomenis, et alibi monuimus.

mus. Ars illa ſine arte, et inane hominum propoſitum; quod nunquam certo conſtabat, ex omnibus Deorum imaginibus accipiebat, ex quibus conflaret haſce fallacias, quibus credulis imponeret. Hinc nulla unquam in hoc genere Antiquitatis conſtans forma occurrit: parerga vero ita importune, atque inepte conſarcinantur, ut obruant potius mentem, atque confundant, quam typum vel minimum inluſtrent.

TABVLA CLXXXVII. ET CLXXXVIII.

PASTOR OVIFER

INVOLVTVM pretioſi huius lapilli ſenſum integra Diſſertatione, in altera huius Operis Parte proponenda, inquirendum cenſuimus; nam eius ſymbola ita aequivoca ſunt, ut aeque ad Chriſtianos, et ad Ethnicos, demum et ad Gnoſticos, commode trahi poſſint.

TABVLA CLXXXIX.

GEMMA MAGICA

SOLEMNIS eſt in hac Gemmarum Claſſe IMAGO MILITIS GALLINACEO CAPITE inſtructi, qui ferula, et clypeo, et thorace inſignitus, ſerpentinis pedibus inſiſtit. Numen hoc equidem triforme, eiuſque ſymbola facile ad Solem referri poſſent, ſi hi, qui hoſce iocos, atque ludibria credulorum confinxerunt, ad communem Mythologiam reſpexiſſent. Conſtant vero fere ſemper ex

iaſpi-

iaſpide viridi, ſanguineis maculis diſtincto, quem Heliotropium vocant: quod genus lapidis maxime in magicis ſculpturis probatum eſt. Inſcriptio huic quoque iconi fere communis eſt, IAω, ut plurimum corrupta, et foede inverſa; ut nec in una vocula exprimenda harum ineptiarum Artifices conſtantes fuerint. At de his fuſius agendum erit in Diſſertatione DE GEMMIS BASILIDIANIS, in altera huius Operis Parte proferenda.

TABVLA CXC.

GEMMA MAGICA

TYPVS idem fere eſt, qui in priore ſcalptura cernitur. Vnum tantum ſingulare habet hoc praeſens ſpectrum, quod quum ceteri omnes gallinacei Milites parmula muniti ſint, hic eius loco coronam ex geminis ſtolonibus compactam exhibet.

TABVLA CXCI.

GEMMA MAGICA

HAEC etiam imago aliquantulum a communibus recedit; nam in ceteris Milites galli ſpeciem gerentes ſerpentinis pedibus innituntur; hic vero ſedere videtur. In clypeo ignotum caput inter ſtellas conlocatum oſtentat; quae facile ad Aſtrologica deliramenta referenda ſunt. Faſciam undantem, et veluti vento inflatam, ipſum Caelum ſignificare (quemadmodum in Lunae peplo Deae Noctis, ceterarumque caeleſtium Dearum imagines ſaepe ob-

obſervavimus) putaremus, ſi qui iſta ſculpſerunt, vel minimum communibus Mythologicis inſtitutis paruiſſent.

TABVLA CXCII.

GEMMA MAGICA

ITERVM ſe nobis conſpiciendum offert idem ſpectrum in hoc Heliotropio Muſei noſtri, qui hinc inde inſcriptus eſt. Praeter clypeum, in quo Sol expreſſus eſt, etiam fuſcina, Neptuni inſigne, Miles gallinaceus armatur, praeter ceterorum conſuetudinem.

TABVLA CXCIII.

GEMMA MAGICA

IN hac teſſera, decuſſi ſignata, praeter communia ornamenta, Luna, et hoc amplius ſtellae continentur. Gemma iſta ſingulari artificio ſupra modum ceterarum inſculpta eſt, et utrinque figurata: ipſa quoque ſui mole ſpectabilis eſt.

TABVLA CXCIV.

EIVSDEM GEMMAE PARS AVERSA

TYPVS Solis, qui Leoni inſiſtit, eius aſtri in illo ſigno decurſum ſignificat. Crocodilus vero inferne conſtitutus ad phyſicam aliquam rationem pertinet. Nam grande aliquid ſibi videbantur cogitaſſe harum rerum Ar-

Artifices, ſi pugnantium elementorum ſymbola contra poſuiſſent, ut utriuſque excreſcentem vim contraria virtute temperarent. Harpocrates Soli adſtat; ſic enim placuit Artifici. Hac epigraphe: IAH. ΚΑΚω. Nomen Dei peſſimo adtributo malignitatis conrumpitur; cuius ratio non niſi ab Artifice, deliramentis paſcente imperitum vulgus, expectanda eſt.

TABVLA CXCV.

GEMMA MAGICA

GEMMAM hanc mihi dono oblatam ab Ornatiſſimo Viro Dominico Iordanio, S. Stephani Equite, et Patricio Piſaurenſi, Diatriba XI. ad Ornatiſſimos eius Filios data, explicare placuit, mox in altera huius Operis parte proferenda.

TABVLA CXCVI.

GEMMA MAGICA

DOLENDVM profecto eſt, Gemmam hanc et mole, et opificio conſpicuam, qua lectiſſimum Iani Planci Ariminenſis Muſeum non mediocriter ornatur, inferiore ſui parte perdita corruptam ſupereſſe; nam figuram OPHIVCHI ſeu Serpentarii exhibet, cuius geſtatione adverſus venena hominem praeſervari tradiderunt. Membra omnia inſcripta ſunt; quemadmodum obſervatur in altera Gemma, quam Hiſtoriae ſacrae parens Baronius publicavit ad annum Chriſti CXX. num. X. Rurſus vero alteram huic ſimilem ſequenti numero producimus: at ſcriptura in omnibus non modo differt; ſed adeo horrida eſt, atque bar-

bara, ut nec ſonum reddat, aut pronunciari patiatur. De his tamen fuſius a nobis actum eſt in ſequenti Diatriba DE GEMMIS BASILIDIANIS.

TABVLA CXCVII.

GEMMA MAGICA

AMETHYSTVS iſte ingentis magnitudinis nuper mihi dono datus eſt ab egregio Iuvene Thoma Stramigiolio Piſaurenſi, harum rerum ſtudioſiſſimo, cui propterea pro accepto beneficio gratiam cenſui fore rependendam: quod mihi certe gratius contigit, ex quo opportuna mihi obvenit ad hanc ſeriem inluſtrandam; quippe imago OPHIVCHI, qua ornatur, globoſo aſtro ſupra caput inſignitur, ea prorſus forma, qua ſaepe diximus tardiores ſtellas, frigidioreſque fuiſſe figuratas. Ceterum, qui in priore Gemma Planciana ſupra caput loto ita ornatur, ut quodammodo Horum referat; heic alis Mercurialibus inſignitur: quod a peculiari hominum religione, qui haec ſibi amuleta fieri conmittebant, prout quiſque vel alteri Numini obſtrictus eſſet, vel Planetas ſuos vellet exprimere, pendebat. Hanc vero Serpentarii imaginem praeſidio eſſe adverſus venena, diximus in Obſervationibus ad Tabulam CXCV. ubi Camilli noſtri Leonardi auctoritatem adduximus. Nunc ex eiuſdem penu duo alia notanda ſunt, quae huic typo noſtro egregie conveniunt. Sic ille circa finem Operis: *Figura hominis tenentis laurum, ſeu palmam in manu dextra portantis, efficit cauſarum, et praeliorum victorem, amabilem, ac potentem in regione ſua conſtituit. — Hominis alati figura habentis ſub ſuis pedibus ſerpentem,*

tem, ac teuentis caput eius in manibus, diuitem, prudentem, et amabilem ab omnibus geſtautem efficit. Quid hac auctoritate aptius reperiri poterat ad hoc amuletum explicandum? Nam haec imago, et ipſa alata eſt, quum Mercurii more pinnulis caput ornatum habeat. Lemmata vero per ſingula membra diſpoſita, ſi vocem IAΩ excipias, quae in omnibus fere magicis caelaturis recurrit, haud perſpecta mihi omnino ſunt. Fortaſſe litterae omnes initiales totidem verborum exſtiterunt, ſive potius numeros ſignificarunt; aut ſi quid aliud ineptius excogitatum eſt.

Duplex, quae in ſerpentis dorſo dictio notatur. ΑCHIVω aliquam cum Graecorum ΑΚΙΟΣ adfinitatem habet, qua incorruptum, atque intactum vermibus ſignificatur: adverſus quorum morſus, ceterorumque ſerpentum animalium haec, ut diximus, amuleta adparabantur.

TABVLA CXCVIII. ET CXCIX.

GEMMA MAGICA

IASPIS ſanguinei coloris ſummo artificio hinc inde exſculptus, mihi ab eodem amantiſſimo Stramigiolio ad pulcherrimum hoc GEMMARVM ASTRIFERARVM Syntagma integrandum opportune dono datus; quippe qui inter Gemmas averruncatorias, et prophylacticas locum iure ac merito obtinebat: nam Veteres putabant Gorgones haſce in clypeis, in anulis, vel e collo geſtatas, terribilem hominem, et cunctis formidabilem efficere; quod etiam adiecta a tergo precatio praeſtare putabatur. Eam tamen ad priorum Gemmarum Scholam pertinere docet nos poſtrema dictio CANXNOVEI, quae aliis KNOYBIΣ, et XOΛKNOYBIΣ adpel-

adpellatur, quibus geminos ex triginta sex Decanis, ut dictum est, adpellabant.

TABVLA CC.

SACRVM CHRISTI MONOGRAMMA

DOLEBAM sane meum hunc qualemcumque laborem, qui in GEMMIS ASTRIFERIS explicandis hactenus impensus est, in quo tot Gentium deliramenta, fabulas, atque superstitiones scrutari debuimus, sine aliquo Christianae pietatis vestigio in publicum proferri; quod summo, et vero, divino Numini obsequium aliquod reddendum esse testaretur, ex quo depulsa vetustatis caligine, nos in admirabile lumen suum vocavit. Ego etsi minime dubito haec gentilitatis vestigia tropaea esse Christianorum, et Veritatis triumphantis; adtamen mihi placuit ex ectypis Musei nostri, e quorum copia multa in hanc Collectionem fideliter translata sunt, Gemmulas Christianas evolvere; inter quas unam tantum ASTRIFERAM venerabili ac sacrosancto CHRISTI Monogrammate consignatam, quam heic exprimendam curavimus, invenire datum fuit. Hanc vero quia peculiari Dissertatione explicavimus in altera huius Operis Parte exhibenda, hoc loci luculentiorem explanationem mittendam esse duximus.

Ex pictura ant. vitrei Calicis Christiani.

DE

DE GEMMIS
BASILIDIANIS
DIATRIBA

IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS

DIATRIBAE ARGVMENTA

I. *Praestat* Gemmas Basilidianas *a ceteris, praesertim Magicis, discernere, praecipue in usum Historiae Ecclesiasticae confirmandae.*

II. *Gemmae, quae communiter Basilidi tribuuntur, et sensu, ac nomine haudquaquam proprio* ABRAXEAE *nuncupantur, ad Magos pertinent.*

III. *Inscriptiones illarum nihil cum Basilide, ceteriseque Haereticis commune habent.*

IV. *Id ut ostendatur, quae fuerit doctrina Basilidis expenditur.*

V. *Gnosticorum quoque, quae nam fuerit disquiritur.*

VI. *Quae demum Ophitarum.*

VII. *Omnium vero doctrina cum hisce Gemmis insculptis confertur, et nec minimum quidem convenire deprehenditur.*

VIII. *Deus Galliceps ad Basilidianos non pertinet, sed ad Solem.*

IX. *Nec Serpens radiatus ad Ophitas spectat.*

X. *Voces Basilidianis adfines in his Gemmis expressae ad eorum Scholam non adtinent.*

XI. *Nec vox* ABRAXAS.

XII. *Ingens copia earumdem Gemmarum; prodigiosa varietas, et artificii operositas evincit ab una Haereticorum Schola proficisci non potuisse.*

XIII. *Magi, Astrologi, Medici etc. Gemmas vulgo Basilidi adtributas confinxerunt.*

XIV. *Decanorum nomina ex Gemmis eruuntur, cumque vulgatis comparantur.*

XV. *Subiiciuntur pleraeque earum Gemmarum inscriptiones usitatis notis expressae, earumque sensus tentatur.*

XVI. *Sequitur earumdem Vocum Indiculus, alphabetico ordine digestus.*

J.V.Sc. *Jasp. utrinq. Scal. ex Museo Cappello.*

DE GEMMIS BASILIDIANIS

DIATRIBA

AD EMINENTISSIMVM PRINCIPEM
S. R. E. CARDINALEM BIBLIOTHECARIVM
ANGELVM MARIAM QVIRINIVM
PONTIFICEM BRIXIENSEM

NVPER in ordinanda ſerie GEMMARVM ASTRIFERARVM, quum multae ad manus veniſſent, quarum emblemata a communi veterum Sculptorum forma, et mente penitus recedunt; quippe quae monſtroſis quibuſdam imaginibus, et barbaris inſcriptionibus refertae ſunt, quae communi vocabulo ABRAXEAE, ſeu BASILIDIANAE apud Eruditos audiunt: atque ex his quum perpaucas, quia

ASTRI-

ASTRIFERAE sunt, vel ex meo, vel ex alieno penu, ad hanc Syllogen integrandam selegissem; dubitare coepi, PRINCEPS EMINENTISSIME, iure ne veritatem, an potius vulgi imperitiam sequuti, BASILIDIANAS illas adpellemus; et an revera Sectatoribus Basilidis, Gnosticis, atque Ophitis id operis tribuendum sit; seu potius alteri hominum Sectae, quae nihil cum hisce desertoribus commune haberet. Maxime vero refert Veteres horum operum auctores deprehendere; quippe quia quum viderim aliquando Ecclesiasticae Historiae Scriptores haec signacula exhibuisse ad earumdem Haeresum narrationem confirmandam; e Christiana re publica fore duxi, ut si quis error in hac re obrepisset, patefieret, et tanti momenti studium nonnisi certissimis argumentis fulciretur.

II. In hac vero haesitatione, ut aliquid certi statuerem, Gemmas omnes, quae ad hanc Classem pertinere videbantur, qua in ipsis prototypis, qua in ectypis constanti cera diligenter exceptis, quos copiosissime in meis Cimeliis servo, qua in iconibus aeri incisis, et a Scriptoribus publicatis, lustrare coepi. In primis vero Macarii, et Chiflezii conlectionem nimis sero ad me delatam putavi adeundam, ut mihi imaginem aliquam universalem, integrae huiusce Classis in mente mea delinearem, atque animo conciperem: quod ubi factum est, summam scientiae Basilidianae, atque Gnosticae ab ipsis Sanctorum Patruum fontibus hauriendam duxi. Dein contuli haec cum Haereticorum doctrina; quod sollicito admodum studio praestiti: scrutatus in singulis, si quid barbarorum nominum, quae illi invexerant, scriptum in Gemmis legeretur; et ille divinitatis adspectus, quem impie invexerant, in eisdem scalpturis deprehendi potuisset. At tantum abfuit,

ut

ut nullus Haereticorum error inter eas deprehenderetur ; adeout mihi credendum ſtatuerim, in hac Antiquitatum conluvie vix aliquid reperiri, quod Haereticorum manu exaratum ſit; quin potius illam totam Sagis, Hariolis, Maleficis, Circulatoribus, atque eiuſdem farinae Sycophantis, quos communi vocabulo, non ſcientiae, ſed impoſturae, MAGOS adpellamus, referendam eſſe deprehendi: nec proinde, quum haec genera lapillorum ad manus venerint, (ſunt enim omnium obvii) alio nomine, quam MAGICORVM adpellari oportere ; quippe quia a maleferiatis hominibus, rudi plerumque Minerva inſcalpti ſunt ad ſimpliciorum credulitatem inludendam ; nam in multis prodeſſe callidiſſime dictitabant. Hinc tanta in illis ſymbolorum inconſtantia deprehenditur, ut in mentem quidquid fortuito veniret ex prodigioſis rerum nexibus compacta, ad terrorem vulgi captandum, arcanamque ſcientiam, quae nulla penitus erat, in ipſa obſcuritate adfectandam, confarcinarent.

III. Fateor tamen nonnulla veſtigia Baſilidiani erroris aliquando in his me deprehendiſſe, praecipue in lemmatibus, quae Gemmis addita ſunt. At ſymbola penitus repugnant, et a Schola Baſilidis adeo diſtant, ut ea nominum portenta ſine ullo delectu, nulloque adhibito conſilio intruſa videantur ; nihilque in illis probatum ſit, quam ſola deformitas, unde Romano homini rerum inſcio oriretur admiratio. Quapropter ex hiſce Gemmulis, quotquot perluſtrare potui, inſcriptiunculas ſeligendas duxi, et veluti in album referendas, ut ex omnibus una conlatis, et veluti conmiſſis adpareret, qua mente, quove ingenio in hiſce naeniis confingendis Artifices uterentur. In quo quidem negocio non parum laborandum fuit, ut a litteris quibuſdam magicis, atque huic Sectae propriis,

dictiones expurgarem, ut illas magna ex parte Graecis notis redderem ad faciliorem usum adcommodatis. Praeterea in dictionibus ipsis seiungendis summopere haesi; quippe quae nulla interpunctione distinguuntur. Quae vero aliquam cum Graecis adfinitatem servare videbantur, facilius distinctae sunt; nec abs re factum esse credidi, si quibusdam interpretatio e regione iungeretur, quod in fine huius Diatribae in adlato laterculo exhibetur. Continent enim, ut plurimum, precatiunculas, sive potius auguria sanitatis, divitiarum, victoriae, et his similia, quibus consequendis summopere conferre putabantur, si quis haec periapta, stato tempore, et superstitiosis quibusdam observationibus elaborata, seu digito inserta, seu collo suspensa detulisset.

IV. Vt autem ad argumentum propius adcedamus, referre opus est, qui nam fuerint eorumdem Haereticorum errores. De Basilidianis quidem haec habet D. Irenaeus Cap. XXIII. *Basilides autem, ut altius aliquod, et verisimilius adinvenisse videatur, in immensum ostendit sententiam doctrinae suae; ostendens Nun primo ab innato Patre (hunc barbaro vocabulo* Abraxas *adpellasse inferius demonstrabimus.) Ab hoc autem natum* Logon; *deinde a* Logo Phronesim; *a* Phronesi Sophiam, *et* Dynamin; *a* Dynami *autem, et* Sophia Virtutes, *et* Principatus, *et* Angelos, *quos et primos vocat, et ab his primum Caelum factum; dehinc ab horum derivatione alios item factos: aliud Caelum simile priori fecisse; et simili modo ex eorum derivatione alii facti essent Antotypi eis, qui super eos essent: aliud tertium deformasse Caelum, et a tertio deorsum descendentium quartum, et deinceps iuxta eum modum alteros, et alteros Principes, et Angelos factos esse dicunt, et Caelos trecentos sexaginta quinque: quapropter et*

tot

tot dies habere annum ſecundum numerum Caelorum. — *Eſſe autem Principem ipſorum eum, qui Iudaeorum putatur eſſe Deus: et quoniam hic ſuis hominibus, ideſt Iudaeis, voluit ſubiicere reliquas gentes, et reliquos omnes Principatus contraſtetiſſe ei, et contra egiſſe; quapropter et reliquae reſtiterunt gentes eius genti. Innatum autem, et innominatum Patrem videntem perditionem ipſorum, miſiſſe primogenitum* Nun *ſuum; et hunc eſſe, qui dicitur* Chriſtus *in libertatem credentium ei.* Summum vero Baſilidis Deum, quem *innatum Patrem* nuncupat Irenaeus, et a quo *Nun* genitus eſt, proprio nomine adpellavit Tertullianus de praeſcription. Cap. XLVI. *Poſtea Baſilides Haereticus erupit; hic eſſe dicit ſummum Deum nomine Abraxam.* Idem etiam tradidit D. Epiphanius Haereſi XXIV. et Auguſtinus loco citato. Eius vero nominis duplex, ut opinor, poteſtas fuit; nam primo ab Hebraica lingua detortum videtur, nempe a voce אב *Ab*, *Pater*, et a ברא *barà*, *creare*, unde fit בורא *Creator:* unde per particulam A negativam, *Patrem increatum* ex ingenio confinxit. Altera vero paene Caballiſtica eſt, quam nobis exponit Tertullianus loco citato: *Ab iſtis Angelis, CCCLXV Caelos inſtitutos, et mundum in honorem* ABRAXE, *cuius nomen hunc in ſe habebat numerum computatum:* quem locum ita explicat Baronius ad annum CXX. A, *et* B *unum et duo.* P, *et* A *centum, et unum.* C, *et* A *ducenta, et unum.* Ξ *ſexaginta ſunt, quae ſimul iuncta efficiunt CCCLXV.* Nam non ABPAΞAΣ; ſed ABPACAΞ legendum eſſe, idem Baronius contendit, et probat. Hanc etiam numerorum ſupputationem tradidit D. Irenaeus, et Auguſtinus loco citato. Qui vero apud Baſilidianos Iudaeorum Deus habitus ſit, proſequitur Tertullianus: *In ultimis quidem Angelis, et qui hunc fecerunt mundum, no-*

viſſimum ponit Iudaeorum Deum, ideſt Deum Legis, et Prophetarum, quem Deum negat, ſed Angelum dicit. Huic ſortito obtigiſſe ſemen Abrahae; atque ideo nunc de terra Aegypti filios Iſraël in terram Canaan tranſtuliſſe. Hunc turbulentiorem prae ceteris Angelis, atque ideo et ſeditiones frequenter, et bella concutere; ſed et humanum ſanguinem fundere. Chriſtum autem non ab hoc, qui fecerit mundum, ſed ab illo Abraxa miſſum veniſſe in phantaſmate, ſine ſubſtantia carnis.

V. Vidimus, quae nam ſententia de Deo fteterit Baſilidianis; nunc aliqua de Gnoſticis adtingamus, ut ea etiam cum hiſce ſignaculis conferamus. Et haec quidem de illis Irenaeus Lib. I. Cap. 34. *Loquuntur eſſe quoddam primum lumen in virtute Bythi beatum, incorruptibile, et interminatum. Eunoëam autem eius progredientem filium. Sub his autem Spiritum Sanctum eſſe; dein et tertium maſculum, quem Chriſtum vocant. — Hic quoque tertius quartum generavit, et quartus ipſe generavit filium: de quinto ſextum filium generatum dicunt, et ſextus ſeptimum generavit; ſic quoque hebdomada profecta eſt apud eos, octavum matre habente locum.* Sanctus vero Epiphanius Haereſi XXVI. Gnoſticorum protoparentem *Barbellonem* adpellat; reliquorum vero nomina complectitur Irenaeus, quae ſunt, *Ialdabot*, *Iao*, *Sabaoth*, *Adoneus*, *Eloëus*, *Oreus*, *Aſtaphaeus*. Non negaverim tamen ſub Gnoſticorum communi nomine etiam Baſilidianos cenſitos, ut eſt apud Hieronymum Epiſt. XIX. et Euſebium in Chronico Lib. IV. Cap. 7. qui omnes fere huius temporis Haereticos ita nuncupari conſueviſſe tradunt. Adtamen, ſicut a diverſis Auctoribus ſingulae Sectae procedebant, ita et peculiaria dogmata profitebantur.

VI. At nihilo meliora ſunt, quae eorum adfines Ophitae tradiderunt; quorum ſtudium eo conlimaſſe viſum

eſt,

eſt, ut inimicitiam omnem, quam Deus Optimus Maximus inter homines, et ſerpentem conſtituerat, penitus abolerent; et excogitatis quibuſdam myſticis in ſerpente virtutibus, ex peſſimo illo animantium Deum conſtituerent. De his haec Epiphanius Haereſi XXXVII. perſpicue memorat: *A Nicolao, et Gnoſticis, ac prioribus aliis Sectis hi efloruerunt, quos* Ophitas, *hoc eſt* Anguineos, *ab* ANGVE *illo, quem celebrant, adpellare ſolent. Sed horrenda ſane ſunt, quae homines iſti, ut ita dicam, eructant ab illo eſu, velut tetro quodam odore referti. Serpentem quippe novi cuiuſdam inſtar Numinis venerantur. Chriſtum ſe illorum eſſe Serpentem praedicant.* — *Huic vero ſcientiam omnem tribuunt. Itaque profitentur, Serpentem hominibus ſcientiae omnis auctorem exſtitiſſe, indeque fabulas meras, quas pro myſteriis habent, commenti ſunt; quum nihil aliud praeter mimorum ludicra, ridicula prorſus, et inania ſint.* Rurſus de illis haec legimus apud Tertullianum: *Qui Ophitae nuncupantur, Serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipſi Chriſto praeferant. Ipſe enim, inquiunt, ſcientiae nobis boni, et mali originem dedit. Huius animadvertens potentiam, et maieſtatem Moyſes, inquiunt, aereum poſuit Serpentem, et quicunque ipſum adſpexerunt, ſanitatem conſecuti ſunt. Ipſe, aiunt praeterea, Chriſtus in Evangelio ſuo imitatur Serpentis ipſius ſacram poteſtatem, dicendo „ Et ſicut Moyſes exaltavit Ser-„ pentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium Hominis.* Hanc vero dignitatem Serpenti deferebant, quod id animal et copia ſpirituum abundet, et igneae naturae ſit, inſuper et celerrimum; et quod ſine exteriorum membrorum adminiculo curſum expediat, et ſuper omnia, quod diuturnae admodum vitae ſit; exutoque ſubinde ſpolio, identidem iuveneſcat, et, ipſa ſui indole ſuccurrente, iacturam

aeta-

aetatis novis veluti natalibus reficere videatur : quae fuit ſententia veteris illius Tauti apud Euſebium Lib. I. de Praepar. Evangel. Cap. 9. Haec in ſumma fuit eorumdem nebulonum opinio ; cui communi calculo uſque adhuc Gemmae Magicae, tanquam ſi illorum myſteria continerent , adtributae ſunt . Conſtat ſiquidem Baſilidianos amuleta quaedam venditaſſe , de quibus ſic Irenaeus Lib. I. Cap. 23. *Vtuntur autem et imaginibus , et incantationibus , et invocationibus ; et reliqua univerſa parerga , nomina quoque quaedam effingentes , quaſi Angelorum , adnunciant* . Divus quoque Auguſtinus in Libello ad *Quod vult Deus* ſcripto , haec de illis tradit : *Amatoria Carmina ſtudioſe diſcunt* . De Gnoſticis demum eadem teſtatur Nicephorus Hiſtor. Eccleſ. Lib. IV. Cap. 3. *Non puduit propalam artem magicam exercere , Gloriam aucupabantur , et ſe ſe efferebant artibus curioſis per eos , quos ſibi conficiebant , Genios , per ſomniorum viſiones , et per adſeſſores Daemones* . Quibus teſtimoniis adducti Eruditi credere non dubitarunt , huius Sectae homines prophylactica ſignacula facere conſueviſſe , illaque longe , lateque effudiſſe ; cui ſententiae , et nos quoque ſubſcribimus , et neque illi vel minimum repugnamus .

VII. At difficultas in eo manet , an faex illa inculcatorum lapillorum , qui nihil Hiſtoriam profanam iuvant , nihil Mythologiam , nullas Picturae ſuppetias ferunt , nullius denique auxilii ſunt bonis artibus (vere ingenii tormenta , atque oculorum cruciatus dicendi) ad iſtos Baſilidianos , eorumque ſobolem referenda ſit ; quod ego minime admitto : nam nullum Baſilidianae ſcientiae teſtimonium in illa deprehendo ; quin potius e contra non Haereſim , ſed puram putam Idololatriam continere mihi ſemper viſa eſt . Quod ut per partes , et veluti perſpicua demonſtratione

ſtratione adſequamur, adeamus quaeſo illarum ſeriem ab egregio Chifletio inluſtratam. Tabula quidem I. habet typum Solis, qualem in nummis obſervamus. Tabula IX. et X. Harpocratem: Bacchum in XI. Anubim in XII. et XIII. Dianam triformem in XIV. Hermas in XIX. Rurſus in XXI. Iovem, Mercurium, Dianam, et Charites: in XXII. Herculem Leonicidam: in XXV. Veſtam, quae quidem differentia in pauculis illis etiam, quas inter ASTRIFERAS expoſuimus, occurrit. In aliis monſtroſae quaedam imagines obſervantur, hominum, qui quatuor alis muniti inter lanceas incedunt: quae, vel Saturnum, vel Aeternitatem demonſtrant; nec magis Baſilidianae ſunt, quam quod ſint Mexicanae. Rurſus Crocodili, Sphynges, Harpyae, Accipitres, Muſcae, Locuſtae, Formicae, aliaque id genus inſecta, ſive animalium portenta, verborum nodis involuta, nihil cum Baſilidianis commune habent. Redundant praeterea Gemmae iſtae Mithriacis myſteriis, Eleuſiniis, Orgiis, Iſiacis, atque omnium paene initiorum veſtigia, omnium purgationum, aut expiationum ſymbola praeſeferunt: quae Baſilidianis adtribuere, idem prorſus foret, ac dicere ipſos fuiſſe omnibus omnia. Multa quoque ex his eruuntur, quae ad animarum metempſycoſim, et fabulam Pſyches pertinent, quae Philoſophum magis, quam Haereticum ſapiunt. Quid dicam de Gemmis Aſtrologicis, in quibus vel Decanorum fabulae, vel Stellarum ioci, aut ineptiae Planetarum, per quaſdam ambages, et notas huic impoſturae conſuetas, tam ſaepe luduntur? Nexus litterarum, et verborum glomi, qui per inuſitatas quaſdam ſignificationes ad Planetarum vim referuntur, communi errore adſignantur Baſilidianis; in quibus tamen ipſi ſemetipſos non adgnoſcerent. Multae demum Medicorum vanitatem

tatem referunt ; ſi tamen divinae illius artis nomine dignandi ſint, qui, omni ſcientia deſtituti, haec ſphragiſmata confinxerunt. Huc referendae illae humanarum imaginum ſpecies, quarum membra tota inſcripta adparent ; nempe quae nomina continebant poteſtatum, quae membrorum ſingulorum vim, et ſanitatem tuerentur ; ut paene videatur inlitteratiſſimos homines invexiſſe in Gemmis ſpeciem quamdam *hominum litteratorum*. Harum unam vulgatat olim ad annum Chriſti CXX. Eminentiſſimus Eccleſiaſticae Hiſtoriae Parens Baronius, iterumque recuſa eſt in Praefatione apud Macarium : geminas autem non imparis dignitatis, alteram ex Dactyliotheca noſtra produximus ; tertiam demum ex Muſeo Iani Planci, quas editas in Tab. CXCVI. et CXCVII. vide in altero Aſtriferarum Volumine. Has vero Gemmas ſi Baſilidianis explicandas exhibeamus, ſe ipſos a nobis derideri putabunt.

VIII. Praeterea obvius eſt in hiſce Gemmis Deus ille GALLICEPS (ſed blandiamur Artificibus obſcuritati ſtudentibus, atque illum adpellemus Deum ΑΛΕΚΤΟΜΟΡΦΟΝ) qui praeter thoracem, et manus, nihil hominis habet : cuius pedes ex ſerpentibus conſtant ; caput vero ex gallo habet : criſtatus ut plurimum, quandoque *cervicorniger*, ut apud eruditiſſimum Chifletium Gemma VIII. quandoque ΛΕΟΝΤΟΜΟΡΦΟΣ, ut in Gemma XXXIV. denique et ΚΥΝΟΜΟΡΦΟΣ, ut in mea Gemma. Deum hunc, ex quo fere ΙΑΩ, vel ΑΒΡΑΣΑΞ utroque nomine audit apud Eruditos : quamquam mihi non videatur nomen imaginis, ſed invocatio in his Gemmis, ipſa licet ſculptura diſcrepantibus, fere communis. Ego vero Deum hunc, qui tantas admittebat formas, Magorum *Pantheum* fuiſſe adfirmarim. Nonne hoc evincit ex ceteris Diis tam

fre-

frequenter mutuatus adſpectus? Scrutemur praeterea ſymbola, quae utraque manu praefert: nempe Minervae galeam, coronam victoriae, fulmen Iovis, tridentem Neptuni, gladium, et lanceam Martis; et iam minime dubitabimus omnium Deorum adtributa in hoc unum commentum confluxiſſe. Quod ſi placeat ipſum proprio nomine IAVM adpellare, praeſto eſt nobis auctoritas Oraculi Clarii apud Macrobium, ipſum veluti *Pantheum* celebrantis.

Dic omnium ſupremum Deum eſſe IAO:
Hieme quidem Plutonem, at Iovem vere incipiente,
Et Solem aeſtate; autumno autem mollem IAO.

Solemnia vero huius ſpectri ornamenta ſunt parmula, atque aurigarum flagellum, quae ad Solem potius, quam ad ceteros Deos pertinent; praecipue ubi gallinaceo capite munitum eſt: *Gallinaceum certe Soli ſacram avem celebrant, quod cantu Solis reditum nunciet;* ut teſtatum facit Pauſanias Eliacor. prior. Clypeum quoque Soli adtribuit Martianus Capella de Nupt. Phil. in eius eleganti deſcriptione, ſiniſtra habere adfirmans lucidiſſimum ſcutum; dextera vero micantem facem: quod quidem adtributum adludit ad Caeli rotunditatem; ob quam Tragicorum Princeps concivis noſter Accius dixit in Agamemnone:

In altiſſimo Caeli clypeo temo ſuperat ſtellas.

Flagellum quoque illi adtribuit Orpheus in eius Hymno:

Flagello ſtridulo quadriiugum currum perſequenti:

Solem praeterea ita deſcribit Prudentius contra Symmachum:

Hoc ſidus currum, rapidaſque habere quadrigus
Commenti, et radios capitis, et verbera dextrae
Inſſerunt nitido fulgere polita metallo.

Macrobius quoque Saturnal. Lib. 1. Cap. 23. hoc argumento utitur, ut Iovem Aſſyriorum eumdem ac Solem eſſe adſtruat: *Quia ſimulacrum eius aureum ſpecie imberbi inſtat, dextera elevata, cum flagro in aurigae modum.*

IX. Aliud praeterea monſtrum in hiſce Gemmis videre eſt, Draconem nempe, qui ex circumvoluta cauda tumidum collum adtollens, caput arduum in ſimilitudinem iubati Leonis oſtentat, aliquando et humanum, ut apud Chifletium; ſemper vero ſex, aut duodenis radiis ornatum: quem facile Ophitarum Serpentem eſſe dixeris. At ex Galeno in Libro de *ſimplicium Medicamentorum poteſtate* Lib. IX. clare conligitur id inventum longe antiquius Ophitis exſtitiſſe, tamquam illud, quod a vetuſtiſſimo Aegypti Rege Necepſo vel repertum, vel traditum iam fuiſſet. Sic enim ille: *Proprietatem vero aliqui quibuſdam lapidibus ineſſe teſtantur eiuſmodi, qualem revera habet viridis iaſpis iuvans et ſtomachum, et os ventriculi, ſi adligetur. Inſerunt et anulo ipſum aliqui, et ſculpunt in eo radios habentem Draconem; quemadmodum et Rex Necepſos in XIII. Libro. Huius quidem lapidis experientiam idoneam habeo, qui torquem ex eiuſmodi lapillis confeci, et adpendi ex collo ita demiſſum, ut lapides tangerent os ventriculi: videbanturque autem non minus in voce, quam ſi ſculpturam haberent, quam Necepſos ſcripſit.*

Minus vero ad Ophitas pertinere dignoſcitur altera Serpentis imago caudam ſibi depaſcentis, in hiſce lapillis obvia. Hic enim typus longe ante Haereticos ſerpenticolas ab Aegyptiis introductus, atque excogitatus fuerat ad Aeter-

ternitatem ſignificandam, ſive univerſum Orbem, ſeu denique Naturam elementarem, aliaſque aniles naenias, quae ipſi iuxta inditum ſibi Genium per haſce ſimilitudines, inter quas analogias aliquas reperiebant, ſignificare conſueverunt: vere ventoſa, et inſolens natio, cuius votum perenne fuit ſcientias non aperire, ſed ſtudioſiſſimis ambagibus inretire.

X. At minime ſubvertit modo ſententiam noſtram; verum illam mirifice confirmat, quod in hiſce caelaturis verba quandoque et vocabula Baſilidiana reperiantur; nam ſi quae illa ſunt, adeo corrupta videntur, ut tranſlata magis adpareant, atque uſurpata ab hominibus longe imperitis ad admirationem adfectandam, quam ab adſeclis rerum conſciis, atque inſtituti ſectatoribus pronunciata. Adeas, precor, PRINCEPS DOCTISSIME, Indiculum vocum magicarum; nunquam enim invenies *Nun*, *Phroneſim*, *Dynamin*, aut *Sophiam*. Quod ſi Tibi occurrat illarum loco *Nur*, *Liou*, *Sophi*; nunquam certe Baſilidiano ſtylo nomina illa ipſis ſolemnia dixeris exarata. Rurſus ſi Gnoſticorum *Barbelonem*, *Iadalboth*, *Sabaoth*, *Aloëum*, *Oreum* inquiramus, minime difficultatem ſolviſſe reputabimur, ubi oſtendamus ea monſtra verborum *Balbois*, *Idili*, *Sabao*, *Eulamo*, *Alonai*, *Oeoi*. Nec minime turbet, ſi quandoque in hiſce lemmatibus inveniamus *Adonai*, *Baraba*, *Gabriel*, *Michaël*, *Raphaël*, et his ſimilia vocabula, quae non ſine divinarum Scripturarum notitia ſimul atque contemtu haberi potuerunt. Sed quid inde? Soli ergo Baſilidiani depoſitum ſacrorum Librorum cuſtodierunt? Scimus equidem diffuſo iam ubique Chriſtianae veritatis ſplendore, ſacros Libros etiam per manus Ethnicorum volitaſſe, praeſertim, urgentibus Imperatorum edictis, quum Libros ipſos tradere Chriſtiani compulſi ſunt. Fuere praeterea ſemper (utinam

non fuiſſent!) pietatis deſertores, qui myſteriis noſtris imbuti ad debiles ſul vertendos vaferrime abuſi ſunt ; quae omnia non ſine luctu in Eccleſiaſtica Hiſtoria paſſim memorantur. Nec magni negocii erat paucula vocabula a Chriſtianis tranſcribere ad Magiam adfectandam : quod opportunum Sycophantis viſum eſt ; quippe quia communiter ferebatur, hiſce artibus Chriſtianos uti ad miracula perpetranda, et vim tormentorum eludendam. Si vero omnia ſimul conferentes, maturius ſcrutemur, quibus nam imaginibus haec verba coniuncta ſint, Iovi, Mercurio, Lunae; manifeſta erit Sculptorum fraus, haec pro lubito ſibi adrogantium, atque ipſi Idololatriae aptare cupientium ; quod utique Haeretici non fecerunt. Ea quoque dici poſſunt de nomine IAΩ, quod Gemmariis iſtis Opificibus ſolemne fuit ; nam Ethnicis aeque ac Chriſtianis uſurpatum fuit, ut oſtendimus in Diſſertatione DE GEMMA PASTORALI.

XI. Nec minimum turbat vox altera ABRACAX, quae in hiſce lapillis adeo obvia eſt, ut inde a plurimis Eruditorum ABRAXEAE nuncupentur : quam vocem certo ſcimus a Baſilidianis proceſſiſſe ; eam tamen non ab Haereticis modo, ſed et a Gentilibus fuiſſe adhibitam, ipſiſque verae ſignificationis imperitis, pro certo conſtat. Qui vero fuerit huius vocis valor, iam ſupra, atque in ſequentibus Diſſertationibus declaratum eſt : nihil enim importabat niſi numerum CCCLXV. qui ex certa litterarum lege derivabat. Si vero vel litterulam pervertamus, corruit arcanum numericum, et magnus Deus Abracax iam magna ſui parte truncus totus diſſolvitur, et iam nihil ultra eſt. Sed intuere, quaeſo, PVRPVRATE PRINCEPS, in noſtro Indiculo id nomen tam ſaepe corruptum, ut ſi ex litteris numerum ſupputes, nihil iam commune habebit inſculptus ABRACAX cum Deo Haereticorum. Adde quod eius ty-

rypus, cui id lemma adiunctum eſt, adeo a ſe diſcordat, ut adſerere non dubites, omnibus fere ideis fuiſſe adtributum. Anne iſta fuit mens Baſilidianorum? Sed Ethnici quoque eam vocem ſibi uſurparunt, inter quos Q. Samonicus Serenus eorum temporum Medicus, et Poëta, qui ad iocoſam quamdam medicinam confingendam vocem ABRAXAN aliquantulum productam, in uſum periapti detorquendam docuit; nam legimus ipſum de morbo Hemitriteo ita conludentem Cap. LII. de Medicina verſ. 941.

Mortiferum magis eſt, quod Graecis HEMITRITAEVM
Vulgatur verbis: hoc noſtra dicere lingua
Non potuere ulli, puto, nec volvere parentes.
Inſcribis chartae, quod dicitur ABPACAΔABPA
Saepius: et ſubter repetis; ſed detrahe ſummae,
Et magis, atque magis deſint elementa figuris
Singula, quae ſemper rapies, et cetera figes,
Donec in anguſtum redigatur littera conum:
His lino nexis collum redimire memento.
Talia languenti conducent vincula collo
Lethaleſque abigent (miranda potentia) morbos.

Huius quidem coni ſpecies haec eſt.

ABPACAΔABPA
ABPACAΔABP
ABPACAΔAB
ABPACAΔA
ABPACAΔ
ABPACA
ABPAC
ABPA
ABP
AB
A

An

An ne ideo Samonicum Basilidianum reputabimus ? Minime rerum ; nam sive ipse sub Caracalla vixerit , et caesus sit ; sive sub Alexandro Severo ; Idolorum tamen cultorem fuisse prodit eius invocatio , qua librum suum ita exorditur :

Phoebe , salutiferum , quod pangimus , adsere carmen ,
Inventumque tuum promto comitare favore :
Tuque potens artis reduces , qui tradere vitas ,
Nosti , et in Caelum Manes revocare sepultos :
Qui colis Aegeas , qui Pergama , quique Epidaurum ,
Qui quondam , placida tectus sub pelle draconis ,
Tarpeias arces , atque incluta templa petisti ,
Depellens tetros praesenti numine morbos ;
Huc ades , et quicquid cupido mihi saepe rogatus
Firmasti , cunctum teneris expone papyris .

Quid vero mysterii contineat haec Sereni cavillatio , nisi meram impostoram , minime adsequor ; nam ex hisce notis simul supputatis eruitur numerus DIII. qui nihili est. Verosimile tamen est harum nugarum Artifices, quamquam ab omni prorsus Haereticorum commercio alieniissimos, vocabula ista semel exaudita , nec tamen intellecta , quod aliquid mysterii praeseferrent , lubenter excepisse , atque hisce scalpturis inseruisse .

XII. Nec minimi ponderis habenda est ipsa paene immensa eorumdem lapillorum copia ubique terrarum disperssa ; quae omnia paene Eruditorum Musea adeo infecit, ut paene tertiam partem inter veteres Gemmas occupet . At tantus , et tam grandis , et tam operosus labor superat certe industriam paucorum Haereticorum , quorum error deformitate magis , quam Sectatorum numero famosus fuit.

In-

Inviſi Chriſtianis, contempti a Gentilibus, omnibus exoſi; nec tamdiu duravere, quo tantam amuletorum copiam exarare, atque effundere in vulgus potuerint, et totum inde terrarum orbem inficere. Quanto autem odio ab Ethnicis vexati ſint, explicat praelaudatus Epiphanius Haereſi XXVII. ubi de Gnoſticis loquitur: *Atque ea demum cauſa eſt, cur plerique Gentiles ubicumque iſtius Sectae homines deprehenderint, nullam nobiſcum velint neque dati acceptique, neque conſilii, neque audiendi divini verbi ſocietatem coniungere, ac ne aures quidem praebere ſuſtineant; uſque adeo nefariis illorum flagitiis conſternati, et deterriti ſunt.* Quum ergo earumdem Haereſum Sectatores adeo omnibus inviſi eſſent, impoſſibile erat, ut tantam amuletorum copiam multiplicare poſſent; illamque adeo avide Romam excepere, ut paene tota hac lue inficeretur. Ipſa quoque tam effraenis libertas omnium paene Numinum corrumpendorum late comprobat, non ab una eademque Schola proceſſiſſe, ſed ab innumeris paene Artificibus, quibus nulla conſtans erat regula, niſi quam repentina inventio ſuggeſſiſſet. Vrgere quoque videtur inexplicabilis labor in quibuſdam ex hiſce Gemmis exſculpendis adhibitus; in his praeſertim in quibus hominum membra minutiſſimis litteris ſculpta ſunt, iiſque diligentiſſime, et cum ſuis apicibus delineatis, qualis eſt noſter amethyſtus, et ſarda, quas ex Muſeo noſtro, et Iani Planci inter GEMMAS ASTRIFERAS memoratis Tabulis inſeruimus. At hic labor, qui ingenioſiſſimos Scalptores fatigaſſet, tanti non erat, cui Haereticorum induſtria reſponderet: quae omnia apud me tanti ſunt, ut vix credam in tota hac claſſe Gemmarum aliquam reperiri, quae iure Baſilidianis tribuatur. Quamquam credibile ſit eorum aliquas ab Ethnicis Artificibus in-

inſpectas fuiſſe, indeque, quod magis aſtruſum videretur, in ſuas fuiſſe tranſlatum. Quae vero diximus de monſtroſa corruptione nominis ABRACAX, ex cuius imperita pronunciatione fraus Artificum deprehenditur, alteri quoque nomini IAΩ opportune aptari poſſunt: quod in hac ſubiecta Inſcriptionum ſerie miſerum in modum ſaepe corrumpitur; ut manifeſtum fiat Sculptores, qui illo uſi ſunt, eius ſignificationem ignoraſſe.

XIII. Hucuſque expoſuimus quid non credamus. Reſtat modo ut ſententiam noſtram, quam de hiſce amuletis concepimus, in medium proferamus. Et quidem pro certo conſtat, maximum nebulonum numerum fuiſſe olim, qui haec periapta, ſive amuleta conficerent ad mala omnia averruncanda; bona vero omnia, ut ſibi ſuadebant, adſequenda, Aſtrologos, Divinos, Hariolos, Maleficos, Circulatores, Praeſtigiatores; in primis vero abortivae Medicinae profeſſores, qui quod virtute non poſſent, impoſturis adfectabant: quos ita taxat Hippocrates in Libro de Morbo ſacro Cap. 11. *Ceterum, qui primi hunc morbum ſacrum eſſe praenunciaverunt, tales homines mihi fuiſſe videntur, quales etiam nunc ſunt Magi, et Expiatores, et Circulatores, et quidam arrogantes, qui ſupra alios pietatem, et ſcientiam ſimulant.* Hos damnat Vlpianus in Lege 1. ff. de extraord. cognit. *Medicos quis accipiet? —— Non tamen ſi incantavit, ſi imprecatus eſt, ſi, ut vulgari verbo impoſtorum utar, exorcizavit: non ſunt iſta Medicinae genera; tametſi ſint, qui hos ſibi profuiſſe cum praedicatione adfirment.* Frequentior vero ſpecies eorumdem maleficiorum in amuletis collo ſuſpenſis deferendis conſiſtebat, ut conligitur non modo ex Q. Sereno loco iam citato; ſed et ex Actio Lib. VIII. Cap. 5. Tralliano, et Galeno inferius referendo. Quapropter

pter legimus apud Plutarchum in Vita Periclis, ipſum quoque has phylacterias admiſiſſe; nam refert: *Periclem, quum langueret ex morbo, amico cuidam, qui eum viſendi gratia adierat, incantationes quaſdam pendentes e collo, a mulieribus adligatas, oſtendiſſe.* Invaluit maxime illius uſus apud Romanos, adeo ut idem Trallianus celebrem fuiſſe adſerat: *Ligacula igitur Phyſica, et characteres, quorum celebris uſus eſt, memorare conſentaneum videtur, ea potiſſime, quae partim a priſcis Medicis, partim a nobis quoque cognita ſunt.* Plinius vero Lib. XXXVII. Cap. 9. ait totum fere Orientem amuleti loco geſtaſſe quamdam Iaſpidis ſpeciem, quam praecipue concionantibus utilem eſſe ferebat. Enumerat etiam unam inter amethyſtos, quae praeter ceteras virtutes id mirabile haberet, quod ſi Solis, ac Lunae nomen in ea ſcriberetur, ſuſpenſa e collo reſiſteret veneficiis, averteret grandinem, locuſtas profligaret, et maxime prodeſſet Regem adituris; quod etiam in Prolegomenis ad GEMMAS ASTRIFERAS ſuperius editis iam adnotavimus. Smaragdum quoque tradit tanti fieri ſolere, ut Aquilae, aut Scarabaei ſigno impreſſus, non minora patraret. Sequenti quoque capitulo, qui totus circa lapidum virtutes verſatur, Achatis genus quoddam enumerat, quod araneorum, et ſcorpionum morſibus prodeſſet. Conſtat praeterea Galeni auctoritate in Libro de ſimpl. Medicam. cuius verba ſuperius adduximus, ex antiqui Aegyptii Regis inſtitutione iamdiu inrepſiſſe, Iaſpidem e collo pendentem deferre, cui radiatus Draco inſculptus erat. Horum vero periammatum uſus adeo inoleverat, tantamque impietatis ſpeciem redolere coeperat, etiam ſub nequiſſimis Imperatoribus, ut contra eos, qui illa adhiberent, animadverſum ſit: ſic enim legimus apud

Spartianum in Caracalla : *Damnati ſunt , et qui remedia quartanis , tertianiſque collo adnexa geſtarent* . Nec minore averſione veteres Eccleſiae Patres ſuperſtitioſum hunc uſum infectati ſunt , quum ſaepe in ſacris Conciliis damnari contigerit, ut nuper animadvertit ſuaviſſimus Amicus noſter , et de erudita Antiquitate meritiſſimus, Paullus Paciaudius in obſervationibus ſuper praeſtigioſa Alexandri Numiſmata Artic. II. Ex quibus adparet lapillorum ſuperſtitioſorum uſum antiquiorem eſſe , ac magis vulgarem, quam qui a Gnoſticis , aut Baſilidianis profectus eſt ; quum nulla fere hominum cupiditas foret , quae huiuſmodi amuletorum geſtatione ſeſe voti compotem fieri non ſperaret, cuius praeſertim potentiores ſunt, honorum , divitiarum , ac ſanitatis cupidi . Quod vero huiuſmodi praeſtigiarum , atque ligaturarum numerum in immenſum prope auxit , atque in illis quaedam Chriſtianae Religionis veſtigia intruſit, profecto fuit Ethnicorum calumnia , qui Chriſtianos ſaepe ſaepius in tormentis nullo doloris ſenſu videbant cruciari . Ignis ſaepe illis innoxius erat ; ferae manſueſcebant , in fluctibus ſervabantur , et ſaepe ad necem caeſi , iterum inlaeſi proſilibant . Hoc vero Idolorum cultores Magiae palam referebant . Facile ergo fuit , quod ex Chriſtiana profeſſione hanc virtutem ſuperandae mortis adfectaverint, et Fide reiecta Magiam tantummodo comprobaverint ; hinc ampliſſimum aditum patuiſſe Sicophantis prophylacticos hoſce lapillos venditandi , tanquam ex iis eſſent , quorum ope Chriſtiani tot tormenta perpetrarent. Vt vero facilius imponerent , operae pretium eſſe duxerunt , ſi a divinis Scripturis ſolemnia quaedam Fidelibus nomina traſcriberent , ſuiſque cavillationibus aptarent .

XIV.

XIV. Ceterum quod adtinet ad inſcriptionum ſenſum, paucula placuit delibare potius, quam adtrectare; quum veterum Scriptorum teſtimonio moneamur, voces illas imperceptibiles, atque inextricabiles eſſe; immo monſtra, atque ingenii tormenta. At nihilominus coniecturam Tibi forte non iniucundam, PRINCEPS EMINENTISSIME, circa unam ex hiſce Inſcriptionibus libenter proferam, quae aliquid luminis, multis aliis impertietur. Adeas igitur Inſcriptionem, quam infra num. LXXXII. exhibemus, in qua poſt precatiunculam quamdam ad ſanitatem pertinentem, deprehenduntur triginta ſex nomina in tribus columnis diſpoſita, quae plerumque a nomine IAO vel inverſo, vel perturbato litterarum ordine, vel paululum corrupto, ut facile primo obtutu obſervabis, efformata ſunt. Hic vero praeciſus numerus, et terna ordinum diſtributio mihi ſuſpicionem ingeſſit contineri heic nomina Decanorum, qui totidem numero ſunt, prout Magis videbatur. Nam terni illorum ſingulis ſignis adſcripti erant, et decem gradus occupabant, unde nomen ſortiti ſunt. Horum vim maxime extollit Firmicus Aſtronom. Lib. IV. *Singula igitur Signa ternos habere Decanos diximus: ſunt autem Decani magni numinis, ac poteſtatis: per ipſoſque proſpera omnia, et infortunia decernuntur. Sic et Necepſos Aegypti iuſtiſſimus Imperator, optimus quoque Aſtronomus, per ipſos Decanos omnia vitia, valetudineſque conlegit.* In ſubiecta vero Tabula eorum recenſet nomina, quae et Aegyptiaca eſſe profitetur, quae heic ſubdere non gravabor, ut utriuſque nomenclaturae adpareat differentia. Sunt autem quae ſequuntur:

Arietis	ASICCAN	SENACHER	ASENTACER
Tauri	ASICAT	VIROASO	AHARPH
Geminorum	THESOGAR	VERASVA	THEPISATOSOA
Cancri	SOTHIS	SYTH	THVIMIS
Leonis	APHRVIMIS	SITHACER	PHVONISIE
Virginis	THVMIS	THOPITVS	APHVT
Librae	SERVCVTH	ATHERECHINIS	ATHEPIEN
Scorpii	SENTACER	TEPISSEVTH	SENCINER
Sagittarii	EREGBVO	SAGEN	CHENEN
Capricorni	THEMEDO	EPIMA	HOMOTH
Aquarii	OROASOER	ASTIRO	TERISATRAS
Piſcium	ARCHATAPIAS	THOPIBVI	ATEMBVI

At in neutra Tabula occurrit nobis ille ΧΝΟΥΒΙΣ, ſive ΧΟΛΚΝΟΥΒΙΣ, quos Chifletius veterum Aſtronomorum auctoritate fretus, duos eſſe ait ex eiſdem Decanis, et quos ſub ſpecie radiati Draconis in Gemmis recognoſcit. At e contra ſaepiſſime inſcriptos in Gemmis invenio Decanos ipſos ſub iiſdem nominibus, prout in ipſa Inſcriptione LXXXII. proferuntur, et quos ex Indiculo noſtro facile deprehendes: quae obſervatio maximi momenti eſt, ut intelligamus in hiſce Notis magicis nomina potius, quam verba contineri; eoſdemque Decanos non una adpellatione, ſed multiplici pro vario ſcholae lubito nuncupatos.

Vt vero, quae praemiſimus manifeſtiora ſint, Tibique in primis, ac ceteris Doctis lemmata ipſa facilius pateſcant, quo commodius circa illa, ſi voluntas ſit, ſpeculari quiſque poſſit; placuit ea in unum congerere, et ordinare, atque oculis ſubiicere. Excipe interim, PRINCEPS LITTERATORVM MAXIME, hanc de Gemmis captu difficillimis

mis ſpeculationem meam tuo celeberrimo atque immortali Nomini inſcriptam ; et diu vale , qui vivorum felicitati , defunctorum gloriae , omnium bono natus , totius orbis iudicio praedicaris.

MONITVM
DE NOTIS ET LITTERIS MAGICIS

ANTEQVAM ad recenſionem Magicarum Inſcriptionum, quae in Gemmis ubique obviis occurrunt , gradum faciamus , paucula nobis circa characterum formam, quibus illae conſtant , praenotanda ſunt.

1. In primis vero illud mihi conſtituo , Magos , ceteroſque amuletorum Artifices , linguam quamdam arti ſuae familiarem adfectaſſe magis , quam habuiſſe. Omnia enim eiuſdem ſcientiae monumenta ſimul conlata nihil fere reddunt , niſi voces effatu valde difficiles , et fere ſemper inconſtantes ; ut vix pauculas conformes obſervare detur : quo quidem argumento coniicimus linguam illam , nec certis formis , nec regulis conſtitiſſe ; quod etiam ſaepe a nobis demonſtratum eſt . Tota vis aenigmatici idiomatis conſtabat in quorumdam nominum arbitrariorum cumulo , quae partim e Graeca , partim e Syriaca , Habraicaque lingua , forte ac etiam ex Aegyptiaca detorta , et corrupta erant : quae iterum , iterumque ab ignaris Artificibus , dum

ea

ea imitarentur, pervertebantur; quod praecipue obſervatur in Hebraicis nominibus foede ſemper perturbatis.

II. Vt vero inconſtans lingua, ita et characteres; ex quo fit, ut novae ſemper notarum formae occurrant nullo idoneo auctore proditae, nulloque ſtudio, ac ingenio explicandae. Quae tamen frequentiores ſunt, in duas claſſes redigerem. Priori adtribuerem figuras quaſdam, ſeu ſigna, quae nullam vim verborum exprimendorum ſe habere oſtendunt; ſed ideas quaſdam exprimebant, ut ſunt rhombi, cubi, lineolae, ac ſtellulae diverſimode conmiſſae, quae plerumque apicibus capitatis conſtant. Hae nullam cum litteris grammaticis ſimilitudinem habent, vel ſi habent, nullum ſonum reddunt. Harum vero ſignificationem penitus deſperatam habemus, nec ulla ope indagari poſſe adſeveramus.

III. Supereſt aliud genus litterarum, quod ex Graecis, Cophtis, et Latinis litteris tumultuarie adhibitis conſtat: quae litterae aliquem verborum ſonum barbarum, licet, atque aſperum, quandoque reddunt, et in dictiones coaleſcunt; quamquam defectus interpunctionis verba ipſa, niſi alioqui nota ſint, praeſcribere non ſinat, ut manifeſte oſtendit inſcriptio Gemmae Muſei Capelli num. 194.

ΙΑΩϹ
ΑΒΑΩΘΑ
ΒΡΑϹΑΖ

quae vocum monſtra commode reformabis, ſi ita notas diſponas:

ΙΑϠ
ϹΑΒΑΩΘ
ΑΒΡΑϹΑΖ

IV.

IV. Sunt praeterea notae quaedam vel obſcurae, vel ambiguae ſignificationis, quarum valor quodammodo deprehenditur in vocibus quibuſdam, quae alioquin cognitae ſunt, quas heic depromere iuvat, earumque vim teſtimoniis comprobare.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

1. Prima nota valet ΠΡΟ, ut ex duplici Gemma Muſei Cappelli num. 16. et 55. in quibus poſt eandem notam ſubſequitur vox CEYC, et CEYCON, hoc eſt ΠΡΟΣΕΥΧΟΝ, *à* ΠΡΟΣΕΥΧΟΜΑΙ, *precor*.

2. Quandoque importat Graecorum P, ut in Gemma 21. BAPPABAΩ, et in 88. ΕΥΗΜΕΡΟΥ; ſaepe etiam aequivalent Latinorum P.

3. Aequivalet P, ut in Gemma 101. eiuſdem Muſei in ABPΩΘΛΕ.

4. Quandoque eſt loco B, ut in BAPPABAΩ in Gemma 21. ABPACAZ in 22. et 97. et in XNOVBIS in 207. ſaepe aequivalet K, ut in APKAO in Gemma 101.

5. Id elementum plerumque tantumdem importat in Magicis ſcalpturis, ac apud Graecos; ſed aliquando notatur pro A, ut in IOVΛIANOΣ in Gemma 23. in AΔΩNAI in 47. in KAΛΛIΣTOΥ in 175.

6. Litteram C pro Σ uſurpabant Copti, a quibus Artifices Graeci inferioris aevi compendii gratia hanc litterae formam hauſerunt, et Magi imitati ſunt: nihilominus quandoque eſt pro Latinorum C, ut in ΠΡΟΣΕΥCON num. 16. et 55. ſaepe uſurpatur pro Ξ, ut paſſim in voce ABPAΞAΣ.

7. No-

7. Nota, quam hoc numero diſtinximus, aliquando valet Σ, ut in Gemma 19. ΜΙΘΡΑΣ, ſaepe importat Ξ, ut in Gemma 26. eſt CAΛΛΑΜΑΖΑ; in altera 208. legitur CAΛΛΑΜΑΞΑ: ſaepiſſime, ut in voce ΑΒΡΑΞΑΣ eſt loco Σ; nam in ſcalpturis paſſim eſt ΑΒΡΑCΑΖ.

8. 9. Tres unitates ſtant ſaepe ſaepius pro Ω, quemadmodum littera W.

10. 12. Litterae Θ ſaepiſſime Magi demunt interiorem lineolam, ut in Gemma 48. in voce ΑΘΑΝΑ idem denota 12.

11. Crucem pro decuſſi, ſeu littera X uſurpabant, ut in Gemma ſub num. 182. toties laudati Muſei Cappelli in voce XNOYBIΣ. Haec de Notis et litteris Magicis ſufficiant.

Inſcal. Magneti olim in Muſeo Andreinio nunc in Mediceo Caeſareo Florentino.

THESAVRVS

GEMMARVM ANTIQVARVM ASTRIFERARVM CVM ATLANTE FARNESIANO

VOLVMEN III.

ATLAS
FARNESIANVS

MARMOREVS

INSIGNE VETVSTATIS MONVMENTVM

COMMENTARIO

IO. BAPTISTAE PASSERI

I. C. NOBILIS EVGVBINI. VIC. PISAVR.

INLVSTRATVS

ADCEDVNT EIVSDEM

DISSERTATIONES XV.

IN SELECTAS GEMMAS ANTIQVAS ASTRIFERAS

ET IN PRAESTANTIORA INEDITA CIMELIA

FLORENTIAE. ANNO. IVBIL. CIↃ.IↃ.CC.L.

EX. OFFICINA. TYPOGR. ALBIZINIANA

PRAESIDVM. ADPROBATIONE



F.V.Jc. Sardae insc. ex Museo Victorio

ELENCHVS
DISSERTATIONVM

QVAE

IN HOC VOLVMINE III. CONTINENTVR

** ** **

DISSERTATIO I.

DE GEMMA PASTORALI. *Pag.* 81.

DISSERTATIO II.

ISIS GORIANA INLVSTRATA. *Pag.* 97.

DISSERTATIO III.

DE ANIMARVM TRANSVECTIONE. *Pag.* 113.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE ARA AVGVSTEA. *Pag.* 137.

DISSERTATIO V.

DE GEMMA GAMELIA. *Pag.* 155.

DISSERTATIO VI.

NILVS ABRAXEVS. *Pag.* 163.

DISSERTATIO VII.

IN GEMMAM MAGICAM. *Pag.* 171.

DISSERTATIO VIII.

NOX DIONYSIACA. *Pag.* 181.

DISSERTATIO IX.

DE IOVE LVCETIO. *Pag.* 191.

DISSERTATIO X.

DE GEMMA TABERNARIA. *Pag.* 201.

DIS-

DISSERTATIO XI.

DE GEMMA ENCOLPIA MONSTROSA. *Pag.* 211.

DISSERTATIO XII.

ΙΕΡΟΘΡΟΝΟΣ. SIVE DE THRONO SACRO. *Pag.* 218.

DISSERTATIO XIII.

DE GEMMIS ASTRIFERIS VETERVM CHRISTIANORVM. *Pag.* 233.

DISSERTATIO XIV.

DE SORTIBVS CHRISTIANORVM. *Pag.* 250.

DISSERTATIO XV.

DE POCVLIS ASTRIFERIS VETERVM PROFANIS ET SACRIS. *Pag.* 279.

INDEX RERVM QVAE IN HOC VOLVMINE III. OBSERVANTVR ET INLVSTANTVR. *Pag.* 293.

SYCOPHANTIA MAGICA

VSITATIS CHARACTERIBVS PRODITA ATQVE ALIQVA EX PARTE EXPLANATA

I.

In Heliotropio Musei Passer. in quo Miles capite gallinaceo, et pedibus serpentinis instructus, inscalptus est.

1 2 3
ΙΩΕΡ . ΒΗΒΙΩ . ΑΙΔΕ.
4 5
ΠΑΒVΚΤΩ.ΠΗΚΩΝ.ΙΑΤ.Ε

1 Forte nomen Dei.
2 a Βιω, *vivo*.
3 Αιδης, *Orcus*.
4 Πεκος, *corium*.
5 Ιατρος, *medicus*.

In aversa parte

6 7 8
ΑΙΑΩ . ΙΑΩ . ΙΑΗΩ
ΗΗΕ . ΛΛΠ . V . R.

6. 7. 8. Dei nomina, sive adtributa.

2.

Sarda Mus. Iani Planci, in qua Horus totus litteris signatus.

In capite 1 ΛΥΛΛ

In pectore IFDN
2 ΙΛΗ
ΙΛΥ

1 Nomina potestatum membris singulis adsignata; sed hae rursus in aliis similibus diversae sunt.
2 Forte *ilia* imi ventris pars.

In ventre ANNVI
ΥΑλλλΙλ
3 ΓΙΧΙλΙ

3 a Πηγος, *pinguis*.

In coxis HI XV

In brach. dext. AIITVIDLΥINI

In sinistro VΡϘIVINTIA

In serpente 4 EAITI IVXII

4 Aliarum Gemmarum Serpentes aliter inscripti sunt.

3.

Imago hominis tota inſcripta apud Baron. Ann. 125.

In thorace, et ventre

ΑΑΟΥΕΙ
ΑΕΝΟΥΙ
ΕΥΟΥΙΑ
ΩΟΥΙΑΕΙ
ΟΥΙΑΕΜ
ΥΙΑΕΥΟ
ΗΑΕΝΟΥ
ΑΕΥΩΟΥ
ΙΕΩΟΥ
ΙΑΕΥΙ
ΙΑΕΜΟΥ

Nomina itidem potestatum, quae singulis membris adsignantur.

In coxis

ΝΟΙ ΟΙΝΕ
ΥΟΑ ΑΥΜ
ΕΑΥ ΝΙΕ

1 2

Sub pedibus ΑΒΛΑ . ΝΑΘΑΝΑΕΛ

In brachiis ΑΙΗ ΙΑΕ
ΥΟΥ ΘΝΟ
ΑΙ ΝΙΕ

In baculo

3 4

ΦΡΗΟ . ΑΡΑΞΑ . ΓΑΜΟΥΛΑΧ

5

ΑΒΡΑCΑΞ ΘΥΟ

1 Αβλιτος, *invulneratus*.
2 Hebr. *Donum Dei*.
3 *Emitto*.
4 *Frango*.
5 ΘΥΟ, *Sacrifico Deo Abracax*.

4.

Sarda, in qua Aquila. Ex Eclyp. Muſei Paſter.

ΑΕΥΚΑΔ ΒΑΛCΟ

5.

Ex Scarabeo ex iiſd. Ectyp.

I
IAIΩ . AHEΩA . ΩETI

I Qui in 3. AEΩOV.

6.

Sarda, in qua ſerpens radiatus ex Ectyp. Muſ. Paſſer.

I
ΕΣΙΕ . ΜΑΑΙ . ΑΡΑΧΝΟΥΡ
2
ΧΟΝΑ . CCV . ΙΑΩ.

I Αραασω, *abſcindo*.
2 Forte ΧΝΟΥΒΙΣ unus ex XXXVI. Decanis.

7.

Sarda ſine imagine ex Ectyp. Muſ. Paſſer.

I 2
ΘΙΟΙΟ . ΥΡΟ

I a ΘΥΩ, *ſacrifico*.
2 ΟΥΡΑ, *extremitas*. ΟΥΡΑΝΟ., *caelum*.

8.

Sarda ſine ulla imagine ex Ectyp. Muſei Paſſer.

I A Ω

9.

In alia ſimili, ibid.

I
VI IANIENIOV PONIOΦE

I Νεοφυτος, *nuper conſitus. Initiatus*.

10.

In alia ſimili, ibid.

I
IAΩ . IENΩ . HIAENI
EYHYIΩ

I IA. *vis*. IAIN Ω *calefacto*.

11.

In alia ſimili

I
ΣΕ . ΜΕΣΕ . ΙΑΑΙ . ΑΒΡΑCΑΞ

I Μεσιτης, *mediator*, nomen Mithrae.

12.

In alia simili ΑΒΛΑΝ ΑΘΑΝΑΛΒΑ In 2. abla natanael.

13.

Vir alatus cum duabus hastis. ΣΕΣΕΝΙΕΜ ΙΒΥΙΑΙΑΙΥ.

14.

Harpocrates ap. Cuperum. ΑΒΡΑCΑΖ ΣΙΓΙΡΙΜ

1 ΣΙΓΥΝΕΣ, *iaculum*. Abracax *iaculo defende*.

15.

Typus, qui in I. ap. Baron. ann. 125. ΑΒΡΑCΑΞ ΙΑΩ

16.

Anubis, et Osiris. Fabrett. Inscript. ant. pag. 531. ΙΑΛΨΑ ΝΑΨΜ.

17.

Typus, qui in I. apud eumdem loc. cit. ΣΕΜΕ ΣΕΙΟΑΜΨ ΙΑΩ

1 ΣΗΜΑ, *nota, sigillum*.
2 ΣΕΙΟΣ Laconice *Divinus*. Nota Sigillum divini Iao.

18.

Caput bovis, ibid. ΒΑΡΟΣΣ . ΤΩΟΑΑΒ . ΑΝΑΧΟΧ
ΛΕΙΝΝC . ΦΥΡΑ

1 ΒΑΡΟΣ, *molestia*,
2 ΦΕΡΩ, *porto, tollo*.
3 ΑΝΑΞ, *Rex*.
4 Nomen Iao detortum. *Molestiam Iao Rex tollat*.

19.

Gemma sine imagine apud eund.	IAHIE	1 AINΩ	1 AINOΣ, *terribilis*. Iao terribilis.

20.

Pan, ibidem.	1 AMOPO		1 In mea legitur AMAPOMA. Forte ob Αμον, et Εραν aliquid amabile.

21.

Hercules Leonicida, ibidem.	1 2 CAΛA ΛIOV PIOIΘHΩP		1. KAΔA *oppertune*. Forte SALA ab Hebraico SCIALA, *salvum esse*. 2 ΛYΩ, *solvo*.

22.

Mercurius Serpentipes, ibidem.	1 2 3 AENIOYΣ EVΔAMΩ EIMO 4 5 ΠONAN TIOAATANAEI 6 KOMEPO		1 Alibi AEHIOVS: nexus inanis quinque vocalium, vel imitatio inepta. Nominis Tetragrāmaton *Ieovah*. 2 Ευλαυο, *bene fruor*. 3 Ειμι, *sum*. 4 Πονειν, *laboro*. 5 Deus immortalis. 6 Κομεω, *curam gero*. Bene fruar: laborum meorum Deus immortalis curam gerat.

23.

Diana Lucifera, ibid.	AHΩH	ΩAΩA . H	Nomina a Ieovah deformata.

24.

24.

Diana triformis, ibidem.

1 2
ΟΑΚΑΩ ΡΑΣΑΣ

1 ΑΧΟΣ, *dolor*.
2 ΡΑΣΣΩ, *desicio*.
Dolorem pellens.

25.

Serpens radiatus, ibidem.

ΧΝΟΥΒΙΟ

26.

Typus, qui in I. ibidem.

1
ΟΝΕΝ ΠΤΝΟΝΙΑ ΙΦΙΝΕΨΑΕ
2
ΙΨΠΙΛΙΛΙΙΕΥ . ΙΑΩ . ΑΔΟΝΑΙ
ΕΛΟΑΙ ΑΒΡΑCΑΞ

1 Ονομι, *iuvo*.
2 Quatuor Dei nomina.

27.

In eiusdem aversa parte.

1
ΙΑΙ ΓΝΕΧΙΩΝ ΝΙΛΙΙΜ
2 3
ΣΕΣΕΩΙΕΜΑΤΑ ΑΒΡΑCΑΡΕΙ

1 a Γεινομαι, *genero*.
Iao, *generator*.
2 a Νεμω, *tribuo*.
3 Nomen *Abracax* ab imperito Artifice compositum.

28.

Ex Gemma CLXXXIX. *inter Astriferas, Typus qui in I.*

ΙΑΙ

Forte ΙΑΩ inverso ordine scriptus, seu perperam exceptus.

29.

Ibidem Tab. CXC.

1
ΙΑΩ ΜΕΣ ΧΑΝΛΑΝ

1 Μεσιτης, epitheton Mithrae.

30.

Ibidem Tab. CXCIV.

1 2
ΙΑΗ ΚΑΚΩ

1 *Deus.*
2 *Malum avertat.*

31.

Ibidem Tab. CXCIII. Typus qui in I.

1
ΛΕΟΝΤΑ ΙΑΩ ΙΞΑ

1 Nomen Decani alicuius, vel epitheton Dei Iao, qui quandoque Λεοντομορφος est.

32.

Mercurius undique inscriptus, ibidem Tab. CXCVII. ex meo Museo.

In pectore	ΙΑΩ ΑΣΑ
In ventre	ΙΣΑ ΙΙΑΩ
In dext. crure	ΑΔΣΕΜΕ
In sinistro	ΧΑΕΑΔΑ
In serpente	ΑCΗΙVΩ

Voces nihili.

33.

In eiusdem Gemmae aversa parte.

1
ΑΜΑΡΩΜΑ

1 In 20. est ΑΜΟΙΡΟ.

34.

In Iaspide Musei mei, in cuius aversa parte Gorgonis caput inter Astriferas Tab. CXCIX.

ΓΟΡΓΟ ΝΑΧΙΛΑ ΕVΣΟΛΛΙΟΙ
ΟVΤΑVΡ ΟVΙΟVΑΙ ΣΒΑΝΑ
ΑΛΙΩ ΩΣΙΝΑLΤΙΩ ΜΕΤΙΣ
ΤΕVΕΣΗΩ CΑΝΧΝΟVΒΙ.

35.

Sarda, in qua Bacchus, in Mus. Iani Vlauci.

ΙΘΙΔΑ ΘΙΘΙΙΝΕΗ
ΦΙΑΤΩΛV ΗΕΙΩ

36.

Typus, qui in I. In Muſeo Iani Planci.	*In clypeo*	I A Ω I	1 Ex nomine Dei Tetragrammato.
	Sub pedibus	A E I A	

37.

Serpens radiatus, ibidem.	X N O V B I	Nomen Decani.

38.

Typus, qui in I. In Muſ. Iani Planci.	*In clypeo*	I I Δ I Λ I	Τδης, *ſapiens.*
	Sub pedibus	I H A Ω	

39.

Serpens humanis pedibus incedens, ibidem.	*Supra caput*	A Υ Σ
	Sub pedibus	P I M Φ E
	E latere dext.	Λ E P Θ M I N
	E ſiniſtro	B Σ I Δ A O E V Θ I

40.

Bruchus, ibidem.	1 B A Λ B O Υ	2 B Λ B A	3 O P Ω P I
	O Υ Θ	*In gyro* A Σ Ω . I O Υ Ω .	4

1 a Βαλλω, *iaculo.*
2 Vox inarticulata a Βαζω.
3 Ορω, *excito.*
4 Forte *Iao.*

41.

Lacerta, ibidem.	1 K A N Θ O	T K A Λ H	2 Θ Υ P O M B H Σ

1 Καντων. *Parvus Scarabaeus, Magis ſacer.* Καλος, *pulcher, bonus.*
2 Θηροβολειν, *beſtias ferire,* a Θηριον, *beſtia.* Bonus Scarabaeus, ſeu Lacerta malas beſtias depellat.

42.

In Onyche, ibidem.	1 2 CAΛΛAMAZA CAMEAZA	1 Καλαμασίαι, *metere, colligere spicas.* 2 Καμαρεω, *cumulo.* Forte *Salamazza* ab Hebr. Sciala, *salvum esse.* Sameaza a Sciamaim Caeli: *salus Caeli.*

43.

Sarda, in qua Mulier nuda, ex Eclyp. Musei Pasier.	1 2 ΔIΔ ΓAΛIMOPΨΣN.	1 Διδωμι, *dono*, vel *datrix.* 2 Καλλιμορφης, *pulchrae formae.*

44.

Typus, qui in I. apud Chiflet. pag. 16.	1 ABAPAZ IAO	1 *Abracax* Scalptori ignoratus.

45.

Sol, et Luna ibid. in Tab. I. Gem. 1.	ΛEHIOYΩ ΩYOIHEΛ	Iocus eiusdem vocis inverso ordine transcriptae.

46.

Amor alatus equo insidens, ibi. Gem. 2.	IAΩ	

47.

Miles, qui supra num. 1. ibidem Gem. 7.	PAIN XIOIO IOX. IAW	Ioci Magorum.

48.

Idem typus, qui in I. ibidem.

ΜΑΓΜΥΜ . ΥΧΑΥΜ ϹΟΙ

Neque haec priore melior.

49.

Idem typus.

1
ΙΑΙΑ

1 *Iaus* perperam pronunciatus.

50.

Idem typus ibidem num. 12.

1
Γ. ΙΙ. ΙΑΛ ΓΑΙΧΙΑΚΓΧΙ

1 Γλυκυς, *dulcis*: cetera nihili sunt.

51.

Idem typus ibidem num. 14.

1 2 3
ΤΑΛΑ ΑΡΑΙΩ ΩΑΡΑΟΡΟ
4
ΝΤΟΚΟ Ν ΒΑΙ

1 *Magnum.*
2 Αραιω, *laſſo, reſolvo.*
3 Αραυμαι, *vota fundo.*
4 Τοκευς, *Parens.* Pro magna ſolutione, ſeu expiatione vota fundo Patri Iao.

52.

Idem typus, idem Gem. 13.

ΔΚΡ ΔΣΑΖ ΔΧΒΖΞ
ΗΩΔ ΛΖΩ ΥΑΙΥΕ ΤΙΣ
ΠΙΟΥΕΩΗ ΗΕΕΙΚΟ ΥΝΙΕΙ ΠΚΥ
ΕΥΜΛΗΙΗ ΜΙ ΟΣΜ

Ineptiae circulatorum.

53.

53.

Idem typus Gem. 15.

ΜΙΧΑΗΛ ΓΑΒΡΙΗΛ
ΟΥΡΙΗΛ ΡΑΦΑΗΛ
1 2
ΑΝΑΝΑΗΛ ΠΡΟΣΟΡΑΙΗΛ
3
ΤΑΒΣΟΗ

1 2 Nomina Angelorum a nebulonibus conficta.
3 Forte Ταβσουηλ, nomen alterius Angeli ex eodem Choro.

54.

Idem typus Gem. 16.

1
ΙΟΥΙΟΥ ΙΙΙΟΥΝΥ. ΥΟΟΥ
ΩΩΝΙΟΥ ΙΑΩΑΗΗ

1 *Iao Iao.*

55

Phaenix radiata, ibid. 17.

Η Μ Λ Ο

56.

Corvus, ibid. 19.

1
ΙΑΩ ΑΒΡΑCΑΞ ΔΟΩΝΑΙ

1 *Adonai* imperite expressum.

57.

Vir alatus inter geminas hastas, ibid. 24.

ΜΙΧΑΗΛ ΓΑΒΡΙΗΛ
1
ΚΟΥΣΤΙΗΛ ΡΑΦΑΕΛ

1 En alterum Angeli monstrum veris intermixtum.

58.

Idem typus intra serpentem, qui caudam adrodit. Gem. 26.

Μ. Ν. Η. C. Τ. Η. Α. ΙΑΩ

Siglae pro nominibus positae.

59.

Leo, ibid. 28.	ΙΑΩ ΑΒΡΑCΑΖ ΗΗΙ (1)	1 Varia *Iai* inflexio.

60.

Typus, qui in I. ibid. num. 30.	ΙΑΒΑ ΕΔΔ . Ε . ΙΑΩ (1)	1. *Iaba*, *Ino*, *Iao*.

61.

Leo, ibid. 32.	ΜΑVΙ	

62.

Leo, ibid. 31.	Σ Α Μ Α	Σαμαινω, Σφραγιξω } *Sigillo*.

63.

Leo rectus cum tridente, et situla: ibid. 33.	ΘΟΥΘ (1) . ΣΟΜΒΟΥΡ (2) . ΦΡΙΜΝΥ Ε ΜΕΣΙΕ (3) ΜΕΘΙ (4)	1 Nomen Mercurii apud Aegyptios: ex Cicer. de Nat. Deor. Lib. 3. 2 Φρην, *mens*, *sapientia*. 3 4 Μητις, *prudentia*.

64.

Vis capite leonino, serpentinis pedibus, ibid. 34.	ΓΙΓΑΝΤΟΡΗΚΤΑ	Gigantum fractor.

65.

Harpocrates in flore, ibid. 35.	ΣΟΥ ΜΑΡ (1) . ΤΑΑΒΛΑΝΑΘΑΝΑ ΛΒΑΑ ΚΡΑΜΜΑ ΧΑΜΑΡΙ (2)	1 *Immortalitas*. 2 Κραμα, *temperamentum*.

66.

Ibid. in gyro ΟΕΤΕΩ ΒΕΕ ΣΑΚΑΩ ΘΜ
ΑΑΔΩ ΣΠΟΣΙΕΣ ΑΣΑΕΗΙ

67.

Harpocrates, ibid. 38. ΣΕΜΕΣΕΙΛΑΜΙ [1]

1 *Meſes*, forte qui ſupra *Meſie*, et *Meſithes*, Mithra.

68.

Idem typus 39. ΣΑΒΑΕ ΙΑΩ [1]

1 Qui Latinis *Sabus*, Hebraeis *Sabaoth*.

69.

Idem typus: ibid. 40. ΑΡΧΕΟ ΙΑΩ [1] ΜΕΡΜΕΝΝΩ [2]

In averſa parte

ABRACAZ ΣΙΣΙΡΙΜ

1 Αρχαιος, *primitivus, antiquus*. Αρχος, *princeps*.
2 Ab Ερμηνευς, *interpres*.

70.

Vas: ibid. 43. ΙΑΩ ΣΑΒΡΑΩ [1]

1 Σαββαοθ.

71.

Anubis, et Vir armatus, ibid. 36. ΙΑΩ ΦΟΡΕΝ ΦΕΡΩ [1]

1 *Prudentiam do*, a Φρονησις, et Φερω.

72.

Cynocephalus ticepes, ibid. 49. ΙΑΩ

73.

73.

Cynocephalus, *ibid.* 50. ΙΑΩ

74.

Harpocrates, *ibid.* 56. ΑΒΑΩ (1) ΙΑΩΣ — ΙΣΑΒΑΟΘ, ut in 70.

75.

Dea Triformis, *ibid.* 57. ΑΜΟΙΡΙ (1) ΜΟΙΡΡΙ ΟΜΙΡΙΟΜΑ (2)

1 Vide in 20.

2 Μυριονομα, cognomen Dianae, hoc est, infinitorum nominum.

76.

Typus, *qui in I. ibid.* 61. ΟΦΕΟΝ — Ab οφις, *Serpens*.

77.

Serpens caudam mordens. 65. ΙΛΙΗΙΕΗΙΟΥΩΗΙΗ

78.

Idem typus 66. *ibid.* ΧΑΧΙ ΝΑΛΑΒ

79.

Idem typus 67. *ibidem*. ΙΜΧΗΑΛ — ΜΙΧΑΗΑ, perturbato litterarum ordine ab inscitissimo Sycophanta.

80.

Idem typus . 68. ΙΕΟΑΜΗΙ. ΙVΗΙΕΗΙΗ.

81.

Idem typus , 69.

ΑΓΩ ΣΑ ΣΑΩ ΑΑΩΝΕΣΣ
ΜΕΣΕ ΙΑΑΜ ΑΒΡΑCΑΖ
ΖΥΡΡΑΤΗΑ ΚΡΑΜΜΑ ΚΡΑΜΜΑ
ΚΑΜΑΡΙΣ CCE ΓΡΕΜΒΑΑ
ΦΑΡΑΝΓΗΣ ΕΜΕΣΣΙΑ ΑΜΩ
ΒΑΗΜ ΑΕΝΙΑΜΒΩΝ ΑΡΟΥ
ΑΝΤΑ ΜΙΧΑΗΛ ΑΜΟΡΑ ΡΑΧΕΙ
ΦΥΛΑΖΕ ΤΕΜΑΙ ΑΝΩ

1 Σαωζω, *salvo*.
2 Cognomen Mithrae.
3 *Iao*.
4 Κρμαα, *temperamentum*.
5 Voces repetitae in 65.
6 Φαραγε, *barathrum*.
7 Nomen Angeli impie usurpatum.
8 Vide in 20.

82.

In aversa Gemmae parte.

1	2	3	4
ΟΙΓΙΕ	ΣΩΤΟΥΡ	ΙΑΩ	ΡΕΩ ΝΑΦΟΝ
ΑΙΩ	ΑΙΗ		ΤΟΣ
ΩΑΙ	ΜΑΩ		ΗΑΩ
ΙΩΑ	ΟΥΩ		ΟVΕ
ΩΑΙ	ΥΕΑ		ΗΙΟ
ΑΗΕ	ΕΕΙ		ΥΩΥ
ΗΑΩ	ΑΕΫ		ΕΩΕ
ΓΗΕ	ΕΩΙ		ΑΕΕ
ΩΗΑ	ΩΗΝ		ΙΙΦΙ
ΗΑΩ	ΥΗΑ		ΑΕΨ
ΕΜΗ	ΑΙΑ		ΟΛΨ
ΛΙΗ	ΗΩΩ		ΩΥΗ
	ΩΩ		ΙΗΗ
			ΕΙΗ

1 ΥΓΙΕΙΑ, *sanitas*.
2 Σοτηρος, *salvator*, *dator divitiarum*.
3 a ῥεω, *fluo*.
4 Αφενος, *divitiae*.

Ceterum in tribus columnis expressa vides nomina XXXVI. Potestatum, seu potius Decanorum, de quibus Firmicus, et alii mentionem fecerunt. Haec vero nomina saepius in aliis ex hisce Gemmis recurrunt, ut ex Indiculo colligitur.

83.

Serpens caudam mordens, ibid. 70.

ϯVCTEPI ΕΛΑΝΗΜΙ
ΑΝΟΜΕΝΙΟ ΟΦΗC ΗΛΗ
ΕCΕΚ ΟCΑΕ ΟΝΕΡΥΧΑCΕ
ΚΕΟ ΚΑΡΝΙ ΟΝΚΥΜΟΥ

84.

Serpens radiatus, ibidem 71.

ΧΝΟΥΒΙΣ. Nomen Decani.

85.

Idem typus, ibid. 72.

ΧΝΟΥΜΙΣ Idem corruptum.

86.

Idem typus 74.

ΑΝΟΥΒΕΙ ΧΝΟΥΜΙΣ Idem rurſus mendoſe expreſſum.

87.

Ibidem 76. *Cornucopiae, e qua caput viri.*

1
ΓΙΓΑΝΤΟΡΗΚΑ ΒΕΡΟΦΕ
2
ΒΑΡΒΑ ΦΑΙΝΓΗΣ ΑΝΟΧ
3
ΧΟΛΧΝΟΥΒΙΣ. ΙΑΩ

1 *Gigantum fractor.*
2 Alibi ΒΑΡΑΒΑ, Hebraice *filius Patris.*
3 Idem Decani nomen, ut in ſuperioribus corruptum.

88.

Figura Hermaea, quae a quatuor Angelis adoratur. Ibid. 77.

VOIVNIV NIVHIXI
INVTIO XωXVO
NVIOIV HTPIX

89.

Iovis imago. 84. SATOVIEL

Nomen Angeli, ut alibi, a Magis confictum.

90.

Mercurii imago. 85. MICHAEL

91.

Dianae imago. 87. GABRIEL

92.

Hercules Leonicida. 89. EΩ BAPPABA VAPVHCC

I *Filius Patris*: nomen ex Syriaco depromtum, ad admirationem conciliandam.

93.

Idem typus. 90. IAΩ

94.

Serpentarius. 94. AIEHΩV ωIEHAI
OEΩV AOEω

95.

Ibidem in aversa parte.

ΜΕΡΛΑΟΝΟΧ ΩΑΗΟ
ΗΠΕΡΕΛΛΩΡΓΟΛΛ
ΗΝΝΥΣΣΩΡ
ΩΖΟΛΛΛΑ ΗΛΥΧΗ
ΗΧΩ ΔΟΜΑΡΥΝ□
ΝΕΥΟΝΔΗ

96.

Typus, qui in I. 97.

ΙΑΩ ΛΒΛΙ ΩΑΛΕΡ
ΩVΙ EVI

97.

Imago Mulieris stantis cum patera. 105.

1 2 3
ΣΑΚΑΩΕ ΣΟΦΗ ΑΛΩΝΑΙ

1 Κακος, *malus.*
2 Κουφος, *levis.*
3 Forte Adonai, *Mala leves Deus.*

98.

Duae Imagines radiatae. Ibid. 120.

VNA AAIX NNVNVYVNIACCXC.

99.

Mercurius cum ariete, inter Gemmas Astriferas Tabulae LXXXVII.

ΕΙΣ ΖΕΥC CΑΡΑΠΙΣ

Vnus Iupiter Serapis.

100.

100.

Venus ſcopulo inſidens, ibid. Tab. LXXVI. ΑΓΩΡΙ ΦΡΑΣΙ *In foro mentibus.*

101.

Sphynx, ibid. Tab. CXXXVII. ΑΛΚΑΝΑ ΘΑΛΑΚΑ ΙΩΙΩ

102.

ЄΣΧΕΓ
ΑΓΓΟΝΙ
ΑΓΥ

Serpens caudam demordens in Carneola apud Mercatorem Venetum anno 1749.

ΙΑΩ		ΑΛΛΩ
ΕΤΙ	ΞΝΙ	ΓΓΑ
ΜΑΛ	ΕΧΙ	ΧΟΙ
ΛΑ	ΕΧΕ	ΑΛ
ΜΑ		ΛΟΝ
ΣΑ		ΝΙ

ΜΕΝΤΟΩ
ΧΕΡΤΩ
ΤΕ

103.

Anubis in Muſ. Cappello num. 4. ΜΑΡΩΗΝΙ

104.

Ibid. num. 2. ALCANDIE . EMELISI . ANAEL .
ACHAYTENA. ΞΞ ANAEL . SATQVIEL

105.

Geminae Fortunae manus iungentes, ibid. num. 10. AVAX

106.

Leo Cervam conficiens, ibid. 11. CIMEΛOCE

107.

Mulier flammeolum solvens, ibid. num. 16. AΘHNAI. ΔIΔωPON AΘHNAI, vide infra num. 132.

108.

Gryphus, ibid. 18. $\frac{I}{X}$ CEYC. Forte a Προσευχη, *precatio.*

109.

Idem typus, num. 55. $\frac{I}{X}$ CEYCON.

110.

Mulier stans, ibid. num. 13. ΘEONOHLI. CΘENEΛOAIC. L L.

III.

Deus Iao capite gallinaceo. 14.

ΒΟΕΜΟ . ΙΧΑΡΙΝ . ΝΙΚΗΝΟΤΙ.
ΕΙΡΗΚΑCΒ . VΤΗΕFVΟΤ . ΟΝΚΑΙΑΛΙΧ
VΦΝΟΝΟΝΟ . ΜΑΠΔΗΠΔΗ
ΤΑVΟCΙFΙ . ΟΙΦΤ . ΙΙΝΤΙΝΙΨ.
ΚΙΑΛΕΞΑΝΔΡΑ
ΙΑΕ . ΝΕΜΟVΝΟ . ΙΔΑΙ . ΡΙΚΕΑ
ΚΙΡΛΛΙΗΟΝ . ΚΟΜΕΝΕΡ
ΦΛΗΝΕΑ . ΚΙΡΙΕ . ΚΛΡΚΑΗVΙΧ
ΚΙΚΛΡΗΕ . ΚΙΚΙΟV . ΕΟVΝΙΑΩ
ΚΑVΩΗ . ΙΑΩ

II2.

Idem typus, num. 19. ΜΙΘΡΑΖ . ΑΒΡΑCΑΖ . ΙΑΩ.

II3.

Idem typus, 20. ΖΗΛΖΗΨ . ΑΒΛΑΝ . ΑΝΛΛΡΑ
ΑΚΡΑ . Αλλχ . ΧΔΛΧΑ . ΡΕΙ . ΙΑΩ

II4.

Anubis, ibid. 21. ΒΑΡΡΑΒΑΟ . ΑΒΛΑΛ

115.

Ibid. 22.

1 ΧΑΚΡΑ . ΧΦΝΕCΧ . VΦΙΧΡΟΦ 1 Alibi ΧΟΝΑ.

ΗVΡΩΦΝΧΡΟΦ . ΝΡΡΩΦΦΩΧΩΧΩ.

ΧΡΑΙΧΩ. ΩΩΧΑΚ . ΡΑCΑΖΔΟ

CΧΑΡΙΝΑ . ΛΕΒΖΑΝΔΡ. LEBZANDR, *pro Alexandr*, ut ſupra.

In poſtica.

Horus flori inſidens, et Anubis. EIC . ZEY . CCΡΛΠ CEPAΠIΣ, ut in alia Gemma inter Aſtriferas Tabula LXXXVII.

116.

Ibid. 23.

ΙΟVΛΙΑΝΟC.

1

ΑΗIC ... ΕΡ. ΜΙΕC . ΙΑΙΙΙ. 1 ΙΑΙΙΙ, pro ΙΑΩ.

2

ΑΖΡΙΗΑΟΝΙΙΙΑ . ΛΑΚΛΝΡΙΛΛΛ . 2 ΑΛΕΞΑΝΔΡΑ, ut alibi.

117.

Ibid. 24. ΦΡΗΝ . ΜΤCΙΧΜ . ΚΙΜΚ.

118.

Ibid. 26. CΑΛΛΑΜΑΖΑ . ΚΑΜΑΙΑΧΑ

ΑΜΩΡΑΧΘΙ . ΑΓΑΝΑΧΚΑ . ΑΓΑΝΑ pro ΑΤΑΝΑ; ſive ΑΘΑΝΑ, ut in 12.

119.

Ibid. 28. *Serpens radiatus.* ΑΙΠΟC . COPOOPMEPΦ . CIΓΑΡΗ
ΑΜΑΦΡΙΟ . ΟΡΙΜΖ . ΚΝΟΥΜΙC

120.

Ibid. 29. *Serpens caudam mordens.* ΑΙΑΝΑΚΑ . ΑΜΟΡΑΧΕΙ . CΑΜΜΑΖ
ΑΖΑΛΛΑΚ . ΡΡΓΑΧΚΑΕ

121.

Ibid. 30. *Serpens radiatus.* ΚΝΟΥΜΙC.

122.

Ibid. 35. *Gryphus.* ΕΥΔΟΥ

123.

Ibid. 39. *Aquila caduceo instans.* ΖΟΔΙΑCΥS

124.

Hercules Leonem conficiens, ibid. 47. ΑΔΟΝΑΙ . ΛΑΝΤΑΑΑ . Num. 21. legitur ΑΕΟΝΤΑ.

125.

Viri nudi stantes, ibid. 48. ΚΑΛΚΛΑ . ΝΑΟΛΝΛΑ Alibi ΝΑΤΑΝΑΕΛ.

126.

Quadriga Solis, ibid. 49. CEMEOT . KONTET'. KENTET. KENTET . KEPIΔET . A.. PTNTω. PHΛVKVPZKVN.

127.

Deus Iao capite canino, facem attollens, ibid. 50. I A ω

128.

Locusta, ibid. 51. I X Θ IXΘYΣ, *pisces.*

129.

Nexus trium capitum, ibid. 52. C B R I N A C A S

130.

Victoria, ibid. 53. C N I M

131.

Deus Iao capite gallinaceo, ibid. 57. IAH . IEHI . OVWI . VWO.

132.

Ibid. 70. I R C A N N E I Nomen proprium.

133.

133.

Mulier flammeum solvens, ibid. 73. ΑΘΝΝΑΙ . ΝΟΙΩΛΙΛ Vide supra n. 107.

134.

Satyrus larvam ostendens, ibid. 69. ΑΝΑΤΛ . ΑΛΕΣ . COPHC . MTQP ΩΗΡΟΟ .

135.

Mercurius. 87. ΝΙΚΗΦ . Nomen proprium.

136.

Mars. 88. ΕΤΗΜΕΡΟΤ . Nomen proprium.

137.

Venus puerum adtollens. 89. ΦΕΡΟΤCΑΝΝΙΕΙC. a Φερω, *porto*, seu *tollo*; et Σαννας, *fatuus*.

138.

Leo. 90. ΟΤΛΛΞΛ

139.

Mercurius puerum portans. 93. ΜΕΜΕΝΤΟ In aliis Gemmis eiusdem Musei 203. 204. 205. et in altera Musei Oliverii manus insculpta est annulum porrigens, cum epigr. ΜΝΗΜΕΥΕΟ transpositum a ΜΝΑΟΜΑΙ, *recordor*.

140.

Iuvenis ſedens cum modio in capite, ibid. 96. ΗΡΟΥCΕΑ.

141.

Typus Laetitiae. 95. VONLEANI Nomen proprium.

142.

Mars, et Vir nudus, ibid. 92. ANAZPYC. MAPINNI. MAV.

143.

Deus Iao, 97. BPACAZ. BPAΨII. EYM.

144.

Anubis, ibid. 98. HN. AMOPΩI.

145.

Sphynx, ibid. 101. CAZOVA. ABRΩOAΛMM. AOA Αβροτεω, *noctu occurro.* Amuletum adverſus nocturnos occurſus.

146.

Ceres puerum lactans, 102. I A Ω

147.

Serpens radiatus, ibi. 105. IAΩ. IAH. ABPAIAX. HIΩ ΦΩΞAΩ. *Abraiax*, pro *Abracax*. Interdum et *Aiax*.

148.

Venus, ibid. 110. ΑΡΡΩΡΙΦΙΑCIC

149.

Anubis, ibid. 111. ΑΚΡΑCΑΤ

150.

Horus. 112. ΛΑΘΑΝΑΚΑ

151.

Serpens caudam mordens. 113. ΚΩΧΧΩΝΙ . ΑΟΙ . ΑΡΚΑΟΑΓ
ΡΔΜΝΗΦΙΚ . ΛΟΧΝΗΜ . ΕΙΙΙ.

152.

Ibid. 124. ΗΙΟΥΩ . ΑΕ .

153.

Vir alatus haſtas tenens. 130. ΙΑΡΚΑΕΛ . ΓΡΑΜΝ . ΗΦΙΚΛ.
ΕΧΝΗ . VΕΩ .

154.

Mulier arieti inequitans. 132. ΚΡΙCΠΗ . ΑΖ ....

155.

Cancer. 141. ΒΑΡΧΑ Corruptum ab *Abraxas.*

156.

Lacerta, *ibid.* 142. C O T P I H A — *Nomen alicuius Angeli*, *forte* Vriel.

157.

Aquila draconem sustollens. 143. A K P M . M A X P I E P . C E V C .
Δ I A N . T ω . = K A K A C . P E V C .

158.

Deus Iao capite gallinaceo. 144. A B P A C A Z = I A ω .

159.

Serapis. 146. T O C . M V C T O . C E O I K T . H .

160.

Ibid. 152. N I K A K . I C I C . — Hoc est: *Vincens Isis.*

161.

Deus Iao Galliceps, *ibid.* 153. I A O . A B P A C A Z . C A B A O Θ

162.

Vir capite leonino, *ibid.* 154. M E A Π Θ M E N E

163.

Sol inter duas ſtellas. 155.

EICVYC . XPECTVZ . ΓΑΒΡΙΕ
ANÁNIA . AME .

Ieſus Chriſtus, Gabriel, Ananiæ, Amen. Deteſtamur impiiſſimum Sycophantam tam ſacris Nominibus abutentem.

164.

Serpens radiatus, ibid. 170.

XNOVMIC

165.

Spei typus. 171.

ΑΦΑΝΟΩΝ . ΑΦΡΑ

Αφαντος, *non apparens.* Αφραδια, *imprudentia.* Spes temere non apparens, et prudenter occultata.

166.

Serpentes coronati, ibid. 172.

AENI . TOVNO

167.

Caput Serapidis. 191.

ΔΙΑ . ΦΥΛΑCCE

Φυλασσω, *cuſtodio.*

168.

Serpens radiatus, ibi. 207.

KNOVBIC.

169.

169.

Ibid. 208. ΣΑΛΑΜΑΞΑ . ΚΑΜΑΙΑΧΑ
ΑΓΑΝΑΧΒΑ . ΑΜΩΡΑ . ΧΘΙ. Alibi *Amaracoi*.

170.

Harpocrates, ibid. 211. ΜΟΑΤΑΛ . ΟΓΧΧΔ.

171.

Iupiter. 213. ΡΟΔΙΡΡΥΖ

172.

Iupiter haedo insidens. 219. ΘΕΩ . ΙΩΡΙΩ

173.

Vulpes. 121. ΙΑΩ Fortaſſe ΙΑΩ.

174.

Mercurius in curriculo. ΙΡΗ . ΙΟΡΕΙ .

175.

Deus Iao. 230. ΙΑΙΙΙ . ΑΚΑ III pro Ω.

176.

176.

Serpens radiatus, ibid. 193. XNOVBIC . NABIA . BIENVΘ

177.

Ibid. 194. *Horus.* IAω . CABAωΘ . ABPACAZ .

178.

Aries, et Minerva, ibid. 210. C I A ω

179.

Caput iuvenile, serpens, Sol, et Luna. Achat. in Muſeo Paſſerio. C N O V B I S

180.

Caput Iſidis ſerpente circumvolutum ex Muſeo Ficoron. ICIC . ΦAP. *Iſis Pharia.*

Indiculus Alphabeticus Vocum, quae in descriptis Gemmis Magicis inveniuntur.

Ado. *66.*
Aaone. *62.*
Aaoness. 81.
Abao. 74.
Abla. 3. 12. *65.*
Ablal. 114.
Ablan. 12. 113.
Abaraz. 44. *Vide* Abracaz.
Abracarei. 27.
Abracax. 3. 11. 14. 15. *26. 56. 59. 69.* 112. 147. 158. 161. 177.
Abraiach. 147.
Abrooalm. 145.
Abruto. 1.
Aca. 35. 40. 175.
Achaytena. 104.
Achivo. 32.
Acra. 113.
Acrafat. *149.*
Acrm. 157.
Adonai. *76.* 124. *Vid.* Doonai.
Adfeme. 32.
Ae. 152.
Aee. 82.
Aeeoa. 5.
Aei. 82.
Aeia. *36.*
Aeni. *166.*
Aeniambon. 81.
Aenious. 22.
Aeoe. 23.
Aeoou. 3.
Aeps. 82.
Aetuidluyni. 2.
Aeuchad. 4.
Afu. 102.
Agana. 12. 118.
Aganaca. 118.
Aganachbl. *169.*
Aganachba. 118. *169.*
Aggoni. 102.
Ago. 81.
Ahe. 82.
Aia. 82.
Aianaka. 120.
Aiao. 1.
Aide. 1.
Aie. 3.
Aieeou. *94.*
Ain. 3. 82.
Aino. *19.*
Aio. 81.
Aion. 23.
Aipos. *119.*
Ais. *116.*
Aitu. 2.
Aix. *98.*
Alcana. 101.
Alcandie. 104.
Alexandra. 111. 115. 116. *Vid.* Chialexandra.
Ales. 134.
Alio. 34.
Allogga. 102.
Allch. 113.
Alonai. *97. Vide* Adonai.
Amaroma. 33.
Amarphrio. *119.*
Ame. *163.*
Amo. 81.
Amora. 81.
Amorachei. 120.
Amorachthi. 118. 120. *169.*
Amoiri. 75.
Amoro. 20.
Amoroi. 144.
Anachoch. 18.
Anael. 104.
Anail. 134.
Analrl. 113.
Ananael. 53.
Anania. *163.*
Anazir. 142.
Anazrus. 142.
Angoni. 102.
Annui. 2.
Ano. 81.
Anoch. 87.
Anomenio. 83.
Anoubei. *86.*
Anta. 81.
Aoa. 145.
Aoi. 151.
Aphanoon. *165.*
Aphra. *165.*
Arachnour. *6.*
Araio. 51.

Ar-

Arcafag . 151.
Archeo . 69.
Arrintho . 125.
Arroriphiafis . 148.
Afa . 32.
Afaeei . 66.
Afeivo . 32.
Afo . 40.
Athanalba . 12.
Athenai . 107.
Athnnai . 133.
Avach . 105.
Aus . 39.
Avu . 102.
Azaalk . 120.
Azrieaoniiia . 116.

BAba . 40.
Baem . 82.
Balbou . 40.
Balbois . 40.
Balfo . 4.
Barba . 87.
Barca . 155.
Baross . 18.
Barraba . 92.
Barrabao . 114.
Bebio . 1.
Bee . 66.
Berofe . 87.
Bienuth . 176.
Boemo . 111.
Bonacon . 81.
Bra ..... 143.
Bracaz . 142. *Vide* Abracaz .
Bfidaoe . 39.
Buli . 97.

CAcao . 67.
Cacas . 157.
Cachi . 76. 78.
Caco . 30. *Vid.* Saco.
Cala . 21.
Calimorph . 43.
Callamaza . 42. 118. 169.
Cama . 62.
Camaiaca . 118. 169.
Camaris . 65. 81.
Cameara . 42. 120.
Cancnoubi . 34. *Vid.* Chnoutis.
Cantho . 41.
Cantucale . 41.
Carni . 83.
Carova . 145.
Ceceniem . 13. 27.
Ceioamis . 17.
Ceme . 17.
Cemece . 11.
Centeu , *vel* Kenteu. 125. 125.
Ceo . 83.
Cerideu . 125.
Chachi . 78.
Chaeadl . 32.
Chakra . 115.
Chalca . 113.
Chalcla . 125.
Chamari . 65.
Chanae . 111.
Chanlao . 29.
Charcaevic . 111.
Charina . 115.
Chechoni . 151.
Chertote . 102.
Chialexandra . 111. *Vid.* Alexandra .
Chicharbe . 111.
Chichion . 111.
Chimech . 117.
Chioeo . 47.
Chirie . 111.
Chnoubi . 37.
Chnoubis , *et* Chnoumis . 25. 84. 85. 168. 176. *Vide* Cancnoubis .
Chochuo . 88.
Choial . 102.
Choialloni . 102.
Cholchnoubis . 87.
Chonafu . 6.
Chonech . 115.
Chores . 134.
Choroormerph . 119.
Chphnecch . 115.
Choumis . 35. 85. 86. 119. 121. 164.
Chraicho . 115.
Chreftuz . 163.
Chrifoe . 154.
Chuftiel . 57.
Cinaltio . 34.
Cigirim . 14. 69.
Cimeloce . 106. *vel* Simelofe .
Ciralieon . Kirllieon. 111.
Cmece . 81.
Cnim . 130.
Cnoumis . 85. 86. *Vid.* Chnoubis , Ehnoumis .
Cochchoni . 151.
Colcnoubis . 87. 179. *Vid.* Cnoubis .
Combour . 83.
Comener . 111.
Comero . 22.

Conſtiel . 57.
Cramma . 65. 81. 81.
Alia vide inferius ſub littera K, *et littera* S.

DChbzx, 52.
Dia . 167.
Dian . 157.
Did . 43.
Didoron . 107.
Dkr . 52.
Domaruno . 95.
Doonai . 56. *Vide* Adonai .
Dſaz . 52.

EAiti . 2.
Eao . 82.
Eau . 3.
Eauche . 95.
Eche . 102.
Echi . 102.
Echne . 153.
Ecie . 6.
Edde . 60.
Ece . 1.
Eeeiko . 52.
Eei . 59. 82.
Eeio . 35.
Eic . 115.
Eie . 82.
Eii . 82. 151.
Eimo 22.
Eio . 82. 147.
Eioyo . 152.
Eirecaco . 111.
Eiſuys . 163.
Elanemi . 83.
Elenu . 3.
Elichilk .... 50.
Eloai . 26.
Eme . 82.
Emeliſi . 104.
Emeſſia . 81.
Emeſie . 63.
Emlo . 55.
En . 144.
Eni . 102.
Ennuſſor . 95.
Eo . 82. 92.
Eod . 52.
Eoc . 82.
Eoi . 82.
Eoo . 82.
Eouniao . 111.
Eperellorogoll . 95.
Ephiel . 153.
Eraſaz . 143.
Erexi . 143.
Eroufel . 140.
Eſcheg . 102.
Eſech . 83.
Eſie . 6.
Eti . 102.
Etrich . 88.
Eucolli . 34.
Eudou . 122.
Evemem . 136.
Evemeru *nomen*. 136.
Evi . 96.
Eulamo . 22.
Eum . 143.
Eumleie . 52.
Evovia . 3.
Europhinchroph . 115.
Eyiyo . 10.

FAianghes . 87.
Far . 180.
Faranghez . 80.
Feruſanneis . 137.
Fidtoh . 25.
Flenea . 111.
Fococo . 115.
Forao . 147.
Fren fero . 71. 117.
Frinmi . 63.
Fritaraza . 3.

GAbriel . 53. 57. 91. 163.
Galimorpss . 43.
Gamoulach . 3.
Gee . 82.
Ghichil . 50.
Ghic . 82.
Gigantoreca . 87.
Gigantorecta . 64.
Gnechion . 27.
Gorgo . Gorgon . 34.
Gramn . 153.
Grembaa . 81.

IAa . 81. 82.
Iaai . 11.
Iaam . 81.
Iaba . 60.
Iabſoi . 53.
Iae . 3. 30. 111. 131. 147.
Iaeie . 19.
Iaeni . 10.
Iaeo . 1.
Iaevi . 3.
Iai . 27. 30.

Iae-

Iaia . 49.
Iaie . 19. 77.
Iaiii . 175.
Iaio . 5.
Iallil . 2.
Ialpſa . 16.
Iauieniou . 9.
Iao . 6. 8. 10. 15. 17. 26. 29. 31. 32. 36. 44. 46. 47. 56. 59. 60. 68. 71. 72. 82. 82. 82. 87. 93. 96. 102. 111. 112. 113. 116. 126. 146. 147. 158. 161. 173. 175. 177. 178.
Iaolii . 54.
Iaos . 74.
Iarkael . 153.
Iasschs . 98,
Iat . e . s.
Ibuililiu . 13.
Icharin . 111.
Ichth . 128.
Idili . 38.
Iea . 31. 82.
Ieao . 38.
Iee . 82.
Ieei . 131.
Ieno . 10.
Ieolmii . 80.
Ieoou . 3.
Ifdn . 2.
Ifilili . 26.
Iphinepſe . 26.
Ifon . 2.
Iia . 82.
Iiiao . 1. 38.
Iifi . 82.
Iii . 82.
Iiiao . 32.
Iintinips . 111.
Iio . 82.
Ilai . 111.
Ile . 2.
Ilemou . 3.
Ili . 2.
Iliieeioyoeie . 77.
Ill . 50.
Ilo . 82.
Ilu . 2.
Imcheal . 79. *Vide* Michael , *et* Mechael .
Imlo . 55.
Inutio . 88.
Ioa . 82.
Ioch . 47.
Ioer . 1.
Ioi . 82.
Ioio . 101.
Ioioi . 59.
Iooaab . 18.
Iorei . 174.
Iorio . 172.
Ioulianos . 116.
Ioyioy . 54.
Ioyo . 40.
Iiphi . 82.
Iphinepſae . 26.
Ipſelileeu . 26.
Ircannei . 132.
Ire . 174.
Iſa . 32.
Iſis . 160. 180.
Ithida . 35.
Iua . 32.
Iuche . *f.* Tuche .
Iuieii . 80.

KAvoe . 111.
Kaykaeuich . 111.
Kikiou . 111.
Kimk . 117.
Kirie . 111.
Kirllieon . 111.
Kirlree . 111.
Kriſoe . 154.

LAntaaa . 124.
Laovei . 3.
Lathanaca . 150.
Lbaa . 65.
Lbli . 96.
Lebzandr . 115.
Leeioyo . 45.
Leinns . 18.
Lenoni . 3.
Leonta . 31. 125.
Lerthmin . 39.
Lie . 82.
Liii . 82.
Liiounu . 54.
Liou . 21.
Lochnem . 151.
Lonni . 102.
Lull . 1.
Lum . 3.
Lzo . 52.

MAchrier . 157.
Magmum . 48.
Mali . 6.
Malla . Maſa . 102.
Mao . 82.
Mapdepde . 111.
Marinni . 142.

Maroeni . 103.
Masa . 102.
Mata . 28.
Mau . 142.
Mavi . 61.
Mechael . 32. 90. *Vid.* Michael .
Melpthmene. *f.* Melpomene . 162.
Memento . 139.
Memento . 102.
Mentoo . 102.
Merlaonoch . 95.
Mermenno . 69.
Mes . 29.
Mese . 11. 17. 81.
Mesie . 63.
Methi . 63.
Metis . 34.
Mi . 52.
Michael . 53. 57. 81. 90. *Vid.* Mechael, *et* Imcheal .
Miech , Mies . 116.
Mirioma . 75.
Misich . 117.
Mithraz . 112.
Moatal . 170.
Moirri . 75.
Moraca . 81.
Mucichm . 127.
Musto . 159.

NAbil . 176.
Naim . 16.
Naoanll . 126.
Naphon . 82.
Napsm . 16.
Nemauno . 111.
Nevonde . 95.
Nicas . 160.
Nichenoh . 111.
Nicheph . 135.
Nie . 3.
Nilum . Nilem . 27.
Niveichi . 88.
Nllab . 78.
Nnunuyun . 98.
Noi . 3.
Noiolid . 113.
Noiolin . 133.
Nrrophochocho . 115.
Nuioiu . 88.
Nur . 16.

OAcao . 24.
Oaeo . 95.
Oai . 28. 82.
Oaler . 96.
Oaoa . 23.
Oaraoro . 51.
Ochac . 115.
Ochae . 82.
Oea . 82.
Oen . 82.
Oeoi . Oeou . 94.
Oeroo . 134.
Oeteo . 66.
Oeti . 5.
Ogchchd . 170.
Oia . Oie . 82.
Oieeai . 94.
Oigie . 82.
Oin . 82.
Oine . 3.
Oipht . 111.
Ollioi . 34.
Olps . 82.
Omirioma . 75.
Onbeucase . 83.
Onchymy . 83.
Onclialich . 111.
Onen . 26.
Onoa . 116.
Oochak . 115.
Oonioy . 54.
Ooviaei . 3.
Ooviouli . 34.
Opheon . 76.
Ophes . 83.
Ophisili . 83.
Orimz . 119.
Orori . 40.
Osinaltio . 34.
Osm . 52.
Ove . 82.
Ovi . 96.
Oviaem . 3.
Oviovai . 34.
Oulael . 138.
Oulaxa . 138.
Ovoi . 131.
Ouriel . 53. 56.
Outaur . 34.
Outh . 40.
Oye . 82.
Oyi . 82.
Oyo . 82.
Oyoieel . 45.
Oyt . 40.
Ozoalla . 137.

PAbuktc . 1.
Pekon . 1.
Phainges . 87.
Pharanges . 81.

Pha-

Pharia *Iſis* . 180.
Phero . 71.
Pherouſannieis. 137.
Phiatolu . 35.
Phlenca . 111.
Phoren . 71.
Phraſi . 100.
Phren . 117.
Phreo . 3.
Phrimny . *63.*
Phulaſſe . *167.*
Phulaze . 81.
Phyra . 18.
Pichea . 111.
Pichili . 2.
Pioveoe . 52.
Pku . 52.
Ponan . 22.
Procorena . 59,
Proſeucon. 108. 109.
Proſoraiel . 53.
Punonia . *26.*

RAchazao . 115.
Rachei . 81.
Rain . 47.
Raſas . 24.
Raqhael . 53. 57.
Rdmnephik . 151.
Recta . *64.*
Rei . 113.
Relukurzkun . *226.*
Reo . 82.
Reus . 157.
Ricea . 111.
Rimphe . *39.*
Riotheor . 21.
Rodirruz . 171.
Roniophe . *9.*

SA . 81.
Sabae . *68.*
Sabao . *68.*
Sabaoth . 161. 177.
Sabrao . 70.
Sacao . *66.* 81.
Sacaoe . *97.*
Scharina . 115.
Sala . 21.
Salamaxa . *169.*
Salamaza . 42.
Sama . *62.*
Samaris . 71.
Sami . 83.
Sammaa . 120.
Sanchnoubi . 34.
Sao . 81.
Satoviel . *89.*
Satquiel . 104.
Sazova . 145.
Sbana . 34.
Sbrinacas . *129.*
Segremba . 81.
Seioamips . 17.
Seme . 17.
Semeni . *67.*
Semeou . *126.*
Semeſe . 11.
Semeſeilami . *67.*
Seo . 54.
Seoict . 159.
Serap . 115.
Seſeniem . 13.
Seſeoiemata . 27.
Seus . 157. *159.*
Seys . 108.
Seyſon . *109.*
Siao . *178.*
Siar . *176.*
Sigare . *119. Siglae*, *ſive Notae occultae . Vid. num.* 58.
Sigirim . 14.
Siſirim . *69.*
Sinalbio . 34.
Soi . 48.
Sombour . *63.*
Sophe . Sophi . *97.*
Sores . 134.
Soroormerph . *119.*
Sotovar . 82.
Soumar . *65.*
Souriel . *156.*
Spoſies . *66.*
Sſe . 81.
Stenelolis . 110.
Surratel . 81.

Alia, quae incipiunt per litteram C *Graecam ; vel per* S . *Vide ſuperius littera* C.

TAablana . *65.*
Tala . 51.
Tanaalba . *65.*
Tanaca . 150.
Tavocifi . 111.
Temai . 81.
Teo . 172.
Teveſeo . 34.
Thalaca . 101.
Thana . *65.*
Theono-eli . 110.
Thioio . 7.
Thithiinee . 35.
Thm . *66.*
Thno . 3.
Tho . 157.

Thuo .

Thuo. 3.
Thom. 66.
Thuth. 63.
Thyrombes. 41.
Tis. 52.
Tioaatanei. 22.
Toc. 82.
Tos. 159.
Touno. 159.
Tokonbai. 51.
Tufteri. 83.

VAive. 52.
Varuecc. 92.
Veo. 153.
Vehaum. 48.
Viaevo. 3.
Vianienon. 9.
Vna. 98.
Vnaaix. 99.
Vniei. 52.
Voa. 3.
Voiuniu. 88.
Vondeani. 141.
Voo. 131.
Voov. 54.
Vohephout. 111.
Vov. 3.
Vphicroph. 115.
Vphnononо. 111.
Vroh. 115.
Vro. 7.
Vrquintia. 2.
Vthi. 39.
Vt. 40.

ZAo. 147.
Zelziph. 113.
Zelzeps. 113.
Zey. 115.
Zeus 99.
Zodiacus. 123.
Zurtatel. *vel* Surratel.

YAwil. 2.
Yea. 82.
Ykale. 41.
Yoolab. 18.
Yoy. 82.



Gemma haec Magica utrinque ſculpta, humaniſſime oblata eſt aeri inciſa a Cel. P. D. Anſelmo Coſtadonio Camald. Monaſt. Veneti S. Michaelis Murani Bibliothecario, apud quem exſtat.

DE

DE GEMMA CHRISTIANA

IMPERATORIS

DRACONEM CONFODIENTIS

DIATRIBA II.

IOANNIS BAPT. PASSERI

NOBILIS EVGVBINI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS

Ex Ectyp. Musei Passeriani

DE GEMMA CHRISTIANA IMPERATORIS DRACONEM CONFODIENTIS *DIATRIBA II.*

AD ABBATEM NOBILISSIMVM ET EXCVLTISSIMVM

STEPHANVM BORGIAM

EXCELLENTISSIMI ET REVERENDISSIMI

DOMINI ALEXANDRI BORGIAE

ARCHIEP. ET PRINCIPIS FIRMANI

EX FRATRE NEPOTEM

ABsolveram, VIR ORNATISSIME, Commentarium in GEMMAS ASTRIFERAS, et paene iam dimiseram, alia moliturus; quum mihi insperato formae quaedam ectypae e caelatis Gemmis antiquis exsceptae, quae Vanetiis extare dicebantur, ab amico statim oblatae sunt. Haec enim sphragismata, ut nosti, avidissime semper conquisivi, ac valde in deliciis habui: quae plane nullo

sumtu multas Principum Virorum, ac Magnatum Gazas sub pauperculo lare adcumulant, magnumque eruditae Antiquitatis adparatum, ipsa fortuna repugnante, suppeditant. Multa inter haec astris insignita; sed eas sero nimium deprehendi, praesertim Magicas: unam vero omnino non contemnendam, quia Christianam, cuiusmodi rarissimae sunt, nullique pretio coaequandae, mihi praesertim, qui DACTYLIOTHECAE CHRISTIANAE Thesaurum intentatum adhuc, sed Ecclesiasticae Historiae perquamutile, tum congerere, tum disponere adgressus sum. Quid vero sacris hisce Cimeliis magis opportunum, atque adcommodatum studiis tuis, NOBILISSIME BORGIA? qui ingenti progressu ad hanc non adsequendam modo, sed amplificandam progrederis; domestica exempla Excelsi Patrui tui imitatus, in quo veterum Patrum disciplinam, atque sapientiam imitandam Tibi proposuisti.

II. Vides in hac sacra antiqua Gemma Equitem decurrentem, qui conto crucigero tortuosum serpentem confodit, stella superne praefulgente, ac praeeunte. Audio Venetiis id sphragisma inter Basilidianorum signacula ablegatum fuisse, indicio serpentis, qui, ut alibi perspicue ostensum est, inter huius officinae scalpturas semper primas obtinuit. At, si quid recte sentio, nihil magis ab ea schola alienum fuit: quum illi malae mentis homines nunquam tam dirum, ac immane ominati forent magni Numinis simulacro, et mysteriorum suorum coryphaeo, ut Crucis cuspide configeretur.

III. Haesi primo intuitu parumper, an Gemma haec inter theatrales adscensenda esset; nam in arena saepe saepius ingentis magnitudinis horrifici dracones exhibiti sunt, qui ab Equitibus in eos inmissis, venantum more, sauciari

ciari consueverunt ; ut indicavi in tertio veterum Lucernarum Libro: quo in loco ex domestico penu lychneolum fictilem protuli, in quo spectaculum ursi, et draconis una simul commissi, exhibetur. Nec subspicio a vero aberraret, nisi Crucem ad id ministerium adhibitam observassem, quam Ethnici Principes ablegare ; Christiani vero venerationi obiicere, et tanquam praesentissimo auxilio uti studuerunt. Hinc animo subiit coniectura, in hoc lapillo referri unum ex Christianis Imperatoribus, ea sub specie, qua in numis repraesentantur equo decurrentes, et captivum barbarum proculcantes, et lancea confodientes; quemadmodum Constantinus, ceterique post ipsum Principes; in quorum numis hic typus obvius est, cum epigraphe DEBELLATORI GENTIVM BARBARARVM : et revera perrara Gemmula haec, quantum ex ectypo eius observari licet, non satis eorum temporum artificio impolito adprime respondet: contra vero emblema istud triumphale, ac Victoriae allegoria Principem magis, quam privatum Equitem prodit. Id vero praecipuum ac peculiare habet haec Gemma, quod quum in numis virili specie debellatus hostis designetur ; heic sub draconis symbolo aptissime indicatur. A bellico eorum temporum adparatu non modo non abhorret salutiferae Crucis insigne, verum quammaxime eorum temporum pietati, triumphante Christi Fide, et Evangelio, respondet : quum illud militaribus vexillis faustissime praefixum intelligamus, auctore praesertim Prudentio contra Symmachum Lib. I.

Agnoscas, Regina, lubens mea signa necesse est ;
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longe solido ex auro praefertur in hastis :

quin et clypei, et galeae, omnisque propemodum militaris supellex Cruce Dominica configurari, ac decorari ita coepta est, ut, si monumenta deessent, quae plane non desunt, numi tamen illius aetatis luculentissime id ostendunt, et Prudentius loco citato idem perspicue ita confirmat:

Christus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum: clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis CRVX *addita cristis:*

Nec modo labarorum suppara salutifero Christianae Religionis insigni exornabant; verum etiam aliquando solidas ex auro conflatas Cruces hastis praefigebant, quas saepenumero Imperatores in numis praeseferunt; ut in illis praesertim Petronii, Maximi, Aviti, Maiorani, Libii Severi, et Glycerii; in quibus omnibus, aliisque magis obviis, hastile crucigerum, sceptri vicem obit. Nec tantum id ipsum ornamentum Imperatoribus tribuitur; verum etiam simulacro Victoriae, ceteroquin profano Numini, in numis Valentiniani, Leonis, Maiorani, ceterorumque Caesarum, qui deinceps exstiterunt, adsignatur. Vbi vero sculpturae artificium ab Officinis monetariis recessit, ablegatis penitus humanis imaginibus, hastam hanc crucigeram gradibus quibusdam honoris causa elevatam, atque exaltatam in numis insculpserunt.

IV. Princeps Eques in hoc nostro ectypo expressus infimo hastae cuspide tortuosum Draconem humi repentem confodit, nec inepte; nam isthaec hastilia, ut humi defigi possent, inferne in mucronem desinebant. Hinc apud Ethnicos captata auguria, si evellentem facile sequerentur; quod faustum habebatur: sin prodire nollent, exitiale; ut constat ex Appiano de Bello Parthico, Cicerone

rone de Divinat. I. 35. Livio XXII. 5. Valerio Maximo Lib. I. Cap. VI. 6. Nec obſtat, aut a moribus Chriſtiani Principis abhorret, quod corpore nudus, capite tantum galea tecto, inſculptus ſit Heros noſter, Chriſtianae Religionis Propugnator; cuius nomen utinam indicatum eſſet! nam tam minimo in ſpatio, quae exhibetur effigies, cum aliis quae in numis expreſſae ſunt, haud conferri probe poteſt. Ceterum apud Gemmarios Artifices frequens uſus invaluit effingendi Heroas nudo corpore; et praeſertim in parvis lapillis, ut nimium thoracis opus, et caelaturae taedia vitarent: quare nudo corpore interdum et ipſos Imperatores ſculpſerunt, et a vero uſitatoque exprimendi modo receſſerunt: vel laboris impatientes, vel etiam elegantiae cauſa, atque ut inſigniores veteres Caelatores imitarentur. Exſtant in meo Muſeo tres, vel quatuor Militum Romanorum tranſvectiones; quos ex militari inſtituto coram Cenſoribus tranſire oportebat, probe militaribus veſtibus amictos, atque ornatos; tamen, praeterquam chlamyde ex humeris defluente, nullis ornamentis eorum corpus ornatum eſt. Dum haec ſcriberem miſſum ad me eſt ectypon Gemmae, quae huiuſmodi emblema praefert; quod exceptum eſt ex Gemma antiqua, quae cum aliis multis ornat unam ex mitris Abbatialibus Ravennatis Baſilicae S. Vitalis; et hunc ipſum morem ſervat: adeoque dubitandum minime eſt Artifices praeſertim Gemmarios in exprimendis Romanis Hiſtoriis, facilioris opificii, et maioris elegantiae gratia, non raro Graecorum artificium ſecutos, apud quos, ut adnotat Plinius, nil velare Graeca res eſt.

V. Serpens, qui ab hoc religioſiſſimo Principe interficitur, Romani nominis hoſtem ſignificat. In numis illius aevi frequenter ſub equi pedibus expreſſus cernitur captivus,

vus, quem Imperator lancea impetit; ut praesertim videre est in illo Magnentii, cum epigraphe: GLORIA ROMANORVM; in quo insuper *Stella* ipsum Imperatorem praeit; adeout videatur, eximiae Gemmae nostrae Scalptorem eundem numum sibi imitandum proposuisse. Nec a stylo rei Numariae abhorret, quod hostes Imperii Romani sub serpentis typo exprimantur, ut in numis indicatorum Principum, Petronii, Maximi, Maiorani, Libii Severi, aliorumque eiusdem aevi adparet, in quibus Imperator dextro pede proculcat draconis caput, hastam crucigeram manu sustinens; cuius infimum mucronem in serpentis cervicem intorquet, seu minitatur. Est etiam Constantini Magni numus, cuius posticam partem occupat labarum, Christi Monogrammate consignatum, cuius hastile serpentem medium transfigit, cum epigraphe: SPES PVBLICA: quae quidem exempla Gemmam hanc nostram mirifice exornant, et pretiosiorem reddunt. Praeterea in ingenti numo, in quo Heraclii triumphus de Bello Persico repraesentatur, Davidicum illud lemma legitur: *super aspidem, et basiliscum ambulavit, et conculcavit Leonem, et Draconem*: quanquam numus ille maximus longe posterioris aetatis habeatur; et facile conflatus sit ac perfectus sub Palaeologis, magisterio *Pisani Pictoris*; qui adsimile numisma Ioannis huius nominis Imperatoris confecit, et alterum Valentiniani cum epigraphe: PLATEA SANCTI PETRI penes Cl. Bandurium.

VI. Non desunt tamen, qui in hoc postremo numo sub serpentis imagine Draconem illum adgnoscant, qui inter militaria signa censitus est, etiam Imperio declinante. Claudianus in Ruffinum Lib. II.

Mansuescunt varii vento crispante Dracones.

et

et de Conſulatu Honorii III.

Hi volucres tollunt Aquilas; hi picta Draconum
Colla levant, multuſque tumet per nubila Serpens
Iratus, ſtimulante Noto. ———————

et Sidonius Carm. V.

——————— *textilis Anguis*
Diſcurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgeſcit Zephyris.

At pace illorum dixerim, haec Draconum militarium ſimulacra nunquam in imo lubari ſubpoſita ſunt; ſed in ſummo, magnoque cum honore conlocata. Ammianus Marcellinus Lib. XXVI. *Quo agnito, per purpureum ſignum Draconis ſummitati haſtae longioris aptatum, ſtetit unius turmae Tribunus.*

VII. Multo minus adſentior iis, qui putant ſub hocce ſymbolo expreſſam Veteres voluiſſe Victoriam de Diabolo, atque de Idolorum ſuperſtitione a Chriſtianis Imperatoribus per Crucis Victoriam reportatam; nam in publica moneta nimis fero hae religioſae adluſiones inrepſerunt; quum interim in illis plus regiae maieſtati, quam pietatis officiis adtributum eſt. At contra in Eccleſiaſticis Monumentis, in quibus ſpiritualis tantum Victoria in votis fuit, ſub ſerpentis imagine tenebrarum Princeps adumbratus eſt; quod dudum viri docti pro comperto habuerunt. Ne vero domeſtica taceam, multa cum laude memorabo ingens marmoreum Nymphaeum, quod in veteri Eccleſia Geneſtreti in Agro Piſaurenſi adſervatur; cuius imaginem proferemus in Libro de Lucernis Chriſtianorum: in cuius

ius quidem latere Diabolus ſerpentis imagine expreſſus cernitur ; nec aliter exhibetur in vetuſtiſſimis ſacris monumentis ſub pedibus Chriſti humani Generis Reparatoris ; Silentio praetereundum minime eſt venerabile ex ebore Diptychon Vaticanum, quod Cl. Gorius deſcribit in Epiſtola de *Sacris Codicum Evangeliariorum ornamentis* ad Celeb. Ioſephum Blanchinium , Romanii Oratorii Presbyterum , quae ab eo edita nuper eſt in inſigni Opere *Evangeliarii Quadruplicis* Tom. II. pag. DLXIII. in quo Chriſtus Dominus ſtans leonem dextro , ſiniſtro pede baſiliſcum proculcat , et conterit.

VIII. Turbat quidem primo obtutu , quod Imperator equitans lanceam ſiniſtra intorquet : id enim contra ſculpturae dignitatem facere videtur. At huiuſcemodi exempla in Numis , & Gemmis adeo obvia ſunt , ut adpareat antiquos Artifices in hiſce obſervationibus minus curioſos exſtitiſſe . Subeſt vero potiſſima ratio , qua Caelatorem huius Gemmae defendamus : excepimus enim iconem ex forma ectypa huiuſce Gemmae , in qua quidquid in archetypo dextrum eſt , in ea laevum adparet , Id autem profecto referendum erat vitio operis in Gemmis ſignatoriis, quarum unicus uſus in cera futurus erat. At e contrario in hiſce lapillis, quae Religionis ergo pro encolpiis circumferebantur , et quae proinde unam illam ſpeciem praeſeferebant , quam ſcalptura oculis obieciſſet, (quod etiam luculenter obſervavimus in Notis ad Gemmas Magicas , quarum geminus adſpectus ex ipſo lapillo excipiendus eſt) ſi quis ſecus feciſſet , ordo rerum perturbabatur.

IX. Supereſt Stella Imperatori praefixa , cuius ſignificationem ſupra adtigimus in Prolegomenis, et in Obſervatio-

tionibus. In hac vero Gemma eodem consilio additam putamus, quo in numis Constantii, Magnentii, et aliorum Imperatorum. Per illam enim significatur divina Providentia, cuius ductu Victoria obvenerit. Putabant praeterea ipsis Principibus divinitatem quamdam inesse, quam per illam formulam significabant DEVOTVS NVMINI MAIESTATIQVE EIVS, in Inscriptionibus declinantis Imperii saepissime usurpatam. Id vero Numen per *Stellam* exprimere consueverunt, ut constat ex numis Constantii senioris, Constantii, Faustae, Helenae, Iuliani, et aliorum; in quorum postica parte, nulla epigraphe adiecta, stella in laurea signata cernitur. Rursus in eiusdem temporis numis satis obvia est imago Vrbis Romae, sive Constantinopoleos, ac Castri Praetorii, sub specie quadratae turris, cum epigraphe: VIRTVS AVGVSTI. PROVIDENTIA AVGVSTI. PROVIDENTIA CAESARVM. VIRTVS CAESS. et similium; cui quidem praenobili aedificio modo una, modo plures stellae praesignatae sunt: per quas, ut alibi praemisimus, facile ipsum Numen Imperatoris, et Natorum eius indicatur. Haud equidem ignoro stellas in area numorum aliquando Monetariorum notas exstitisse; praesertim quum in exergo consignatae sunt. At supra caput Imperatorum, ut in praecitatis numis, et in hac Gemma, ad Historiam pertinent, quae in numis expressa est. Dum haec excuderentur, amicus noster Gorius a Praestantissimo Francisco VICTORIO, Sacri Militaris Ordinis D. Stephani Commendatore, eximium ex aere Christiani hominis MARTYRII altriferum anulum ectypa cera impressum, et delineatum, qui in eius ditissimo Museo adservatur, adcepit; quem pro coronide huius Epistolaris Diatribae heic adponendum ipse curavit. Pala eiusdem anuli peltam refert: in medio sculptum cernitur

Sacroſanctum CHRISTI Monogramma, medium inter duas ſtellas: quod exemplum, et ad ſequiora ſaecula tranſmiſſum, magis magiſque confirmat inter hieroglyphica primitivorum Chriſtifidelium et ſtellas adcenſendas eſſe. Sub nomine *Marturii* (hoc ipſum nomen frequenter occurrere in Chriſtianorum Sepulchris, iam a doctis viris adnotatum eſt) ſculptus cernitur ramuſculus; quo ſymbolo iidem Fideles Chriſto ſervientes frequenter a Sanctis Patribus declarantur. Pauca haec accipe ea, ut ſoles, humanitate, ORNATISSIME BORGIA, tamquam perennem obſequii, et benevolentiae erga Te meae teſſeram: et dum conſulis litterarum bono, auge tuis eruditis lucubrationibus earum gloriam, et noſtros conatus grato favore proſequere.

Schema antiqui Anuli ſignatorii Chriſtiani, eiuſque magnitudinis.

Pala eiuſdem Anuli Aſtriferi, qui Romae exſtat in Muſeo Victorio, maiore inconiſmo expreſſa.

DE

DE MERCVRIO
KEPAYNIΩ
SIVE
FVLGERATORE
DIATRIBA III.

ANT. FRANCISCI GORII.



r.v.sc. *Sardae inscal. ex Museo Haueriano*

DE MERCVRIO FVLGERATORE

DIATRIBA III.

AD SPLENDIDISSIMVM S. R. I. EQVITEM

ERNESTVM NOBILEM AB HAUER

SACRAE IMPERIALIS ET REGIAE MAIESTATIS

EXERCITVVM MILITAR. PER ITALIAM

A SECRETIS BELLICIS

SIDEREO huic Operi ſupremam manum quum imponerem (nam ſuperiores Diatribas poſtremas omnium excudendas curavi) ad ceteras tuae in me eximiae humanitatis, ac benevolentiae cumulatiſſimas ſignificationes, quibus mirifice animum meum excitaſti, ac Tibi maxime devinxiſti; praeclarum illud, et nulla temporum oblivione delendum, beneficium ad-

adceſſit, ERNESTE EQVES NOBILISSIME, ut, Te auſpice, unaque tecum favente Camillo PLVMBANTIO, Inluſtri I. C. Florentino, cum doctrina, tum prudentia ornatiſſimo, MAECENATEM huius Theſauri Gemmarum antiquarum, quae Aſtris inſculptae ſunt, Optimum, atque Incomparabilem feliciter obtinerem: qui et horum laborum propter exquiſitam, qua pollet, eruditionem aequus iudex, ac propter egregiam veteris Hiſtoriae ſcientiam, aeſtimator eſſet optatiſſimus; quemadmodum inter Duces, peritia rei militaris, et geſtarum rerum gloria huius temporis praeclariſſimos, locum facile principem iure ac merito habet. Nec tantum honori meo ſollicita diligentia conſuluiſti; verum etiam ſtudia mirum in modum amplificaſti: nam probe delineata ad me miſiſti tum ſigna aliquot ex aere pulcherrima, tum etiam, quae Antiquitatis divitias valde augent, complura antiqua Numiſmata, e tuis lectiſſimis Cimeliis, magnis impenſis, ſummo ſtudio, et labore paratis, depromta: quae quidem, quum rariſſima ſint, et nunquam antea edita, in publicum bonum, ac lucem proferre, tuum eſt conſilium optimum, atque omni commendatione digniſſimum. Miſiſti etiam ectypas formas anularis Gemmae tuae, quae non ſolum ſubiit nunquam litteratorum hominum conſpectum; verum tam rara ac ſingularis eſt, ut inter Aſtriferas primum dubio procul locum teneat: tantam vero antiquae eruditionis frugem continet, ut locupletiore Commentario explicari neceſſe fuiſſet. Id ſatis cumulate praeſtaſſet amicus meus optimus Celeberrimus Praeſul PASSERIVS, ſi non obſtaſſent temporis anguſtiae, dum remis veliſque ad portum cymbula noſtra nimio gravata pondere properare ſtudet. Pauca haec igitur accipe, EQVES ORNATISSIME, quae e meo

pau-

paupere penu Tibi offero; tenue quidem, sed sincerum perennis obsequii erga Te mei monimentum: quod, si ea qua soles benignitate, susceperis, ad luculentiora in maiore otio favore tuo, et auspiciis praestanda, magis magisque excitatum reddes, atque etiam paratissimum.

II. Adfertur in fronte huiusce lucubrationis eximiae tuae Gemmae, nempe Sardae emblema, cui alterum simile numquam ad hoc tempus litterario orbi innotuit. Gemma signatoria est; nam in ipsa scalptura symbola Numini adtributa contrariam faciem, quam reddunt ectypa, praeseferunt; adeoque ad obsignandum factam fuisse minime dubitandum est. MERCVRIVS stans, toto corpore nudus, in ea exhibetur, qui pedibus nudis, calceis, et alis destitutis, subiecto globo insistit. Caput habet rotundo tectum petasunculo, pinnulis utrinque munito; quanquam cum pileo quadrato, qualem ei Arcades tribuerunt, frequenter in numis, et in antiquis sculpturis occurrat: sinistra caduceum, pendente marsupio, in manu gerit; dextra vero fulmen sublatum ostentat. Pone globum duae manus, dextra et sinistra, adsurgunt, et utraque copiae cornu frugibus refertum adtollit. Tria in hac eximia Gemma, quam sola raritas, non vero exquisitior artis caelatura incomparabilem reddit, occurrunt; quae notatu plane digna sunt; quum reliqua adtributa Mercurio adsignata, obvia et communia sint, atque a viris doctis multa eruditione inlustrata legantur. De his nonnullae observationes heic adtexendae.

III. Primum itaque, plane praecipuum, ac peculiare, est fulmen, quod MERCVRIVS dextra, non quidem iaculantis habitu, sed ostentantis, quasi symbolum potentiae, ac divinitatis suae, tenet. Alterum est globus, sive astrum glo-

globosum, et sine radiis, ei tributum, cui pedibus instat: tertium vero duo copiae cornua ubertate frugum redundantia, quae duae manus in altum sublata sustinent. Quod ad primum adtinet; ex hoc nunc innotescit monumento, MERCVRIVM in eorum Deorum numerum censum fuisse ab Antiquis, quibus fulminum manubias tribuerunt. Ex disciplina, et ritualibus Libris Etruscorum, qui fulminum iactus scientissime calluerunt, et quomodo sacris quibusdam, et precationibus vel cogerentur, vel impetrarentur, editis libris docuerunt, Plinius novem Diis fulmina adsignat Lib. I. Cap. LIII. *TVSCORVM litterae novem Deos emittere fulmina existimant; eaque esse undecim generum*: IOVEM *enim trina iaculari. Romani duo tantum ex iis servavere*: *diurna adtribuentes* IOVI, *nocturna* SVMMANO: *rariora sane eadem de causa frigidioris caeli.* ETRVRIA *erumpere terra quoque arbitratur, quae infera adpellat, brumali tempore facta, saeva maxime et exsecrabilia: quum sint omnia, quae terrena existimant, non illa generalia, nec a sideribus venientia; sed ex proxima, atque turbidiore natura. Argumentum evidens, quod omnia a superiore caelo decidentia obliquos habent ictus: haec autem, quae vocant terrena, rectos. Sed quia ex propriore materia cadunt, ideo creduntur e terra exire; quoniam ex repulsu nulla vestigia edunt: quum sit illa ratio non inferi iactus, sed adversi. A* SATVRNI *ea sidere proficisci subtilius ista consectati putant: sicut cremantia, a* MARTIS. Deos igitur tantum quatuor enumerat Plinius FVLGERATORES; reliquos silet, nec eruit ex Etruscorum fulguralibus Libris, quos apud eos exstasse memorat Servius, a Bygoe Nympha scriptos, Aeneid. Lib. VI. v. 402. Plinium sequitur Martianus Capella Lib. II. atque ipsum exponit: nec alios Deos Deasve nominat prae-

praeter *Saturnum*, *Iovem*, *Martem*; neque ſuperiora ſidera, a quibus fulminum iactus, nempe manubiae, venire dicebantur. Recenſet D. Auguſtinus Lib. IV. de Civit. Dei Cap. XXIII. etiam SVMMANVM, quem Plutonem eſſe, quaſi *Summum Manium*, exiſtimat, alii *Orcum* putant. Fulminum genera, vim, qualitates, effectus, nomina luculenter exponit Seneca Quaeſt. Natur. Lib. II. c. 44. et ſequentibus; ſed praeter Iovem, nullos alios Deos fulmina mittentes, adducit. Ex Etruſcorum editis monumentis quinto loco BACCHVS adiiciendus eſt, cui fulmen tribuerunt, ut videre eſt in ſacrificali patera edita in Dempſteriano Opere Tom. I. Tab. III. pag. 78. cuius nomen circa caput adſcriptum, nempe [illegible]. ſcilicet *Tinia*: quod nonnullis videtur TONANS exprimere, ac ſignificare. Nec dubium eſſe poteſt, Bacchum in ea referri in medio Apollinis, et Mercurii, tanquam Deum comitem, et ſocium; nam caput habet hederacea corona redimitum, e cuius collo torquis foliaceus pendet, et ſiniſtrum eius brachium, quo fulmen peculiaris figurae tenet, armilla ornatur; dextra vero ſceptrum praefert. Quamvis Apollo, et Mercurius in eadem patera expreſſi cum Baccho, fulmen non gerant; tamen e novem Deorum fulmina iaculantium numero fuiſſe apud Etruſcos, credibile videtur. Siquidem fuiſſe APOLLINI tributum fulmen, non ſolum veteres Scriptores, quos praeſtantiſſimus Gisbertus Cuperus recenſet; verum etiam monumenta ſuperius edita, ac praeſertim numiſmata, teſtantur. De MERCVRIO dubitare aliquis poterat; ſed huiuſce incomparabilis Gemmae auctoritate, veteres Mercurio quoque fulmen tribuiſſe evincimus: quod indicandum cenſui Viro Doctiſſimo ac Celeberrimo Petro Lazerio, Societatis Ieſu Presbytero, qui dum Iovis ſignum ex aere

inluſtrat, me monuit, ſe forſitan ſcripturum accurate de Diis, quibus Antiqui fulmina tribuerunt.

IV. Conſtat ex antiquis Mythologis, ad Solem referendos eſſe Apollinem, Bacchum, et Mercurium; quos Deos, ſi ceteris a Plinio memoratis, adiungas, iam ſeptem Deos Fulgeratores habemus. His Deae iungendae videntur, Iuno, et Minerva; ut novem Deorum, quibus Etruſci fulmina adſignarunt, teſte Plinio, numerus impleatur. De Minerva *Fulminatrice* nullus eſt ambigendi locus, quum occurrat fulminibus armata in Graecorum, et Romanorum numis. Nec deeſt Scriptorum copia; inter quos memorandus Euripides, et Virgilius, Etruſcarum antiquitatum peritiſſimus, Aeneidos Lib. I. verſ. 46. apud quem ita loquitur Iuno irata, et Troianis adverſa:

——— Pallas ne exurare claſſem
Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Vnius ob noxam, et Furias Aiacis Oïlei?
Ipſa, Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,
Diſiecitque rates, euertitque aequora ventis:
Ipſum expirantem, transfixo pectore, flammas
Turbine corripuit, ſcopuloque infixit acuto.

Minervae fulmina, manubias Minervales dicta, ſcribit Servius, qui ad Virgilii adlatum locum haec adnotat, quae ſilentio praetereunda non ſunt; quum ex his et Iunoni fulmina adſignata intelligamus: *Sed, quum Varro Diuinarum quinto, quatuor Diis fulmina adſignet, inter quos et Minervae; quaeritur, cur Minerva Iouis fulmen miſerit? Antiqui Iouis ſolius putauerunt eſſe fulmen; nec id unum eſſe, ut teſtantur Etruſci Libri de Fulguratura; in quibus duodecim genera fulmiuum ſcripta ſunt: ita ut, Iouis, Iunonis,*

Mi-

Minervae, *ſic quoque alterum* : *nam de Iunonis fulmine Accius* : Praefervido fulgore, ardor iniectus Iunonis dexte- „ ra, ingenti incidit. *Quare non poſuit Minervam miſiſſe fulmen ſuum ? Sed nonnulli dicunt, habere quidem Minervam, ut Iovem et Iunonem, fulmen ; ſed non tantum valere, ut vindictam ſuam poſſit implere, niſi uſa eſſet Iovis fulmine : unde merito queritur Iuno, Minervam, quum de numero minorum ſit, qui fulmen habent, uſam tamen Iovis fulmine*. Praeter haec Numina, ſtatim ſubdit peritiſſimus antiquitatum interpres Servius, *cavendum eſſe ne fulmen aliis Numinibus demus*. Cl. Cuperus addit alios Deos, nempe *Herculem*, qui in numo Meſſii Decii fulmen tenet, et clavam Iovi ſedenti porrigit apud Inluſtrem Spanhemium, ut et in Bruttiorum numo Gazae Mediceae : addit etiam Vulcanum, et citat hunc Servii locum in Virgilium Aeneid. Lib. I. verſ. 46. *In Libris Etruſcorum lectum eſt, iactus fulminum manubias dici, et certa eſſe Numina poſſidentia fulminum iactus ; ut Iovem,* VVLCANVM, *Minervam*. Sed in meis Codicibus *Vulcanum* nominatum non reperio ; ſed eius loco *Iunonem* ; quamvis in numis Vulcanus fulmen habeat : quod tamen non habet ex proprietate, et virtute ; ſed ex miniſterio, et arte ſua, quod noverit ea probe fabricare. Tribuit etiam idem Cuperus fulmen magnae Deum Matri Cybele, ut in numis occurrit, et in Gemmis, cuiuſmodi exſtat apud me ſuperius edita Tab. VI. inter Aſtriferas, quam eandem ac Iunonem facit. Huic Deae data reor fulmina, quia eadem ac Terra eſt, e qua erumpere fulmina docuit Plinius, et Seneca, aliique Philoſophi : quorum opinionem novis obſervationibus, et argumentis nuper procudit, ac tuetur vir Praeſtantiſſimus ac Celeberrimus Scipio Marchio MAFFEIVS. Ex praeno-

tatis igitur colligimus, Deos quibus Etrusci fulmina adtribuerunt, hosce novem fuisse, *Saturnum*, *Iovem*, *Summanum*, nempe Plutonem; *Martem*, *Apollinem*, *Bacchum*, *Mercurium*, *Iunonem*, *Minervam*. Eorum praeteribo sententiam, et Cuperi institutum, qui dum enumerat *Deos Fulgeratores*, ad XII. nititur eos deducere, atque ex coniecturis adiicit etiam Cupidinem, qui quandoque cum fulminibus occurrit, et interdum ea superbus frangit, ut sibi Deos quoque subiectos ostendat.

Superstitio Antiquorum in Gemmis anularibus scalpendis. 8. hanc damnarunt SS. Patres. 207. 242.
Symbola feralia Gemmarum. 23. 24.
Symbola Diis tributa propria, et univoca. 82.
Symbolae Gorianae. 70. 74.
Symbolorum diversitas unde Diis tributa. 67. 68.

TArtarea Monstra, quae. 170. Tartaro deputatus Saturnus. 45.
Tauri sacri Dianae. 101.
Taurobolium sacrum. 209. 210.

Taurus caeleſtis cum Mercurio. 128. 129. cur cum Venere iunctus. 176. cur eius imago in Gemmis geſtata. *ibid.* et 177. eius conſtellatio; cum Cane iunctus. 211.
Telluri cur tributa copiae cornua. 46. 47. Eius caput turritum. 46. *Vide* CYBELE.
Templis ſuffixa tropaea, et ſpolia opima. 32. 33.
Temperare aſtra malefica Mercurii proprium. 311. Terreſtris, Inferus, et Caeleſtis Mercurius. 310.
Templum Veneris Paphiae. 116. 117. 118.
Terra Dea: eius caput turritum; cur ei copiae cornua tributa. 47. *Vide* CYBELE.
Terrae planities tympano deſignata ab Antiquis. 48.
Terrae fulmina adſignata. 51. 302.
Terram apud Aegyptios deſignat Apis. 70.
Teſtudo cur ſacra Mercurio. 132.
Thebit Philoſophus. 10.
Thema caeleſte in Gemmis. 38. *et ſequent.*
Thetaurus Pariſienſis Sanctae Cappellae. 24.
Theſeus Amazonum victor. 153.
Thronus magnificus Deae Cybeli, ſive Telluri tributus. 46. 47. 48.
Tiberiana Gemma. 24. 26.
Tibiae ſacrae Cybeli. 48.
Tributa Mercurio ſymbola globus ſtella, et fulmen in dextra manu. v. Diatr. III.
Trigonus Horoſcopi. 77.
Triones ſeptem piorum animabus conſecratis adſignati. 36.
Triptolemus cum Cerere. 145. 146. fabula ex Gemmis inluſtrata. *ibid.* idem aratri inventor. 207.
Tritones, et Nymphae comites animarum defunctorum. 25.
Tropaea cur Iovi ſacra. 32. 33. eadem Diis dedicata. 206.
Tutelina Dea. 8.
Tympana cur in ſacris Bacchi adhibita. 150. 151.
Tympanum cur Deae Cybeli, ſive Telluri tributum. 46. 47. 48.
Typhonis iram Dii fugientes. 84.
Typus Apotheoſeos Caeſarum aſtra. 309.
Typus Mercurii Fulgeratoris rariſſimus, nunc primum in lucem prodit ex Muſeo Haueriano a pag. 302. ad 313.

VAnnus myſtica Bacchi. 151.
Varronis auctoritas de Diis Fulgeratoribus. 306. 307. *Quae hic recenſentur* Lit. V. *addita ſunt, quum Index iam fere totus impreſſus eſſet.*
Vaſcularia Etruſca omnigena Antiquitatis eruditione referta. 116. eorumdem Vaſculorum picturae. 151. 213.
Vaticiniorum Deus Apollo. 84.
Vaticanum Diptychon deſcriptum. 396.
Venationes theatrales. 290.
Veneris Stella Iuliae gentis ſymboſum. 201. 202.
Veneficia amethyſtis removentur ex Plinio. 9.
Venus Anadyomene e mari orta. 113. 114. capillos exprimens. *ibid.* Amorum genetrix, cum ſpeculo, et pectine. *ibid.* et 116. Caeleſtis. 115. eadem in Scorpio. 190. Paphia. 116. 117. eius ſimulacrum deſcriptum. *ibi.* Amathuſia. 118.
Vehiculo tranſvectae arbores ſacrae Diis. 143.
Velati Heroes non ſpectantur in Graecorum operibus. 293.
Velatum caput Saturni et Cybeles. 44. 49.
Vere natalis dies Mundi. 29. 30.
Veron. Patric. Scipio Marchio Maffeius laud. 307.
Veterum Chriſtianorum anuli tum ex aere, tum ex Gemmis. 298. Egregium opus Dactyliotheca

Chriſtiana paratur a Cl. Paſſerio *ibid.* laudatus pag. 302.
Veteres Etruſci novem Diis fulmina adſignarunt. 304. 305. *et ſeq.*
Vexillum Crucigerum Imper. Chriſtianorum 291. 292. 293. 294. 295.
Victores Chriſtiani ramuſculi deſignati. 298.
Victoriae emblema triumphale 291.
Victoria Imperatorum Chriſtianorum Crucis vexillo. 295.
Victoria Dea. 24. Iovis comes. 27. capite galeato. 87.
Victoria Iovis de Gigantibus, aqui-
Victorius Franciſcus Eq. Ord. D. Stephani Commendator laud. et eius Muſeum. 297. 298.
la opem ferente. 52. 54.
Viri Principes Chriſtiani haſta crucigera pugnant ex equo. 291.
Virtus Stellae Mercurii benefica. 311.
Virtus Auguſtorum in numis. 297. ſtellis deſignata, ut et auguſta Soboles. 297.
S. Vitalis Baſilica Ravennae, in qua Mitrae ſacrae cum Gemmis Paganicis. 293.
Vnio Deorum comitum et ſociorum, Apollinis, Bacchi, et Mercurii apud Etruſcos. 305.
Vnio adtributorum, et ſymbolorum in imagine Mercurii Fulgeratoris, de quo fuſius in Diatriba III. a pag. 302. ad 312. globus, copie cornu, fulmen in manu dextra.
Vrania res caeleſtes ſcrutatur. 2. radio ſphaeram verſans. 109. 110.
Virtus Auguſtorum, et Populi Romani. 208.
Vitae humanae ſymbola. 25. 26.
Vitam hominum a Sole, et Luna moderari Veteres crediderunt. 50.
Vitulus hoſtia Mercurii. 129.
Vncia in numis Campanorum denotatur ſtella. 4.
Vocabula Baſilidiana. 235. 236. Magicarum Gemmarum. 242. 243. 244. *et ſequent.*
Vrbes capite ſuſtinet Tellus. 46.
Vrbis Romae imago in numis quomodo expreſſa. 4.
Vrnae Agoniſticae cum palmis. 59.
Vrnarum Caeſarearum pretioſa ornamenta, quae. 24. Vrſae maioris ſtellae ſeptem Triones. 97. 100.
V. N. Erneſtus ab HAUER laudatus. 301. eius Muſeum ſelectis Numis refertum. 302. 312.
V. I. C. Camillus Plumbantius laudatus. 202.
Vtilis dictus Mercurius, et alia eius elogia, inter Deos Conſervatore habitus. 311.
Vulcano cur tributum fulmen. 307.

ZOdiaci ſigna ſtellis denotata. 7. Caeleſtia ſigna domos adtingentia. 13. interdum vario ordine cur in Gemmis ſculpta. 29. vel perturbata. 60. 61. in Gemmis horoſcopis. 175. 176. quomodo ab Aſtrologis diviſa. 179. Elementis reſpondent. *ibid.* eorundem ſignorum nomina Aegyptia. 243. 244.

Ex Manilio Lib. V. verſ. 414.

ATLAS
ANTIQVVS
FARNESIANVS
E MARMORE INSIGNIS
COMMENTARIO INLVSTRATVS
AB I. C.
IOANNE BAPT. PASSERIO

Vol. III.



VMBERTO ALOYSIO RADICATO

EX COMITIBVS COCONATI ET RVPELLAE
SANCTAE PISAVRENSIS ECCLESIAE

PONTIFICI

AMPLISSIMO AC PRAESTANTISSIMO
PONTIFICIO SOLIO ADSISTENTI

IOANNES BAPTISTA PASSERIVS
EIVSDEM PRAESVLIS A COGNITIONIBVS
D. D. F.

VVM decimo labente anno, ex quo ad SANCTAM PISAVRENSEM ECCLESIAM gubernandam divinitus datus es, VOTA DECENNALIA solveremus; iamque pro tua incolumitate, PRAESVL AMPLISIME, nuncuparemus VICENNALIA: animo subiit, ut aliquo obsequii documento observantiam in Te meam comprobarem. Quum vero per id tempus ΑΤΛΑΝΤΙΚΟΝ ΛΟΓΟΝ, quo eximium

mium Antiquitatis monumentum inluſtratur, vulgandum cuperem, illum Tibi ſiſtere inſtitui; non eum tamen, quem, referente Plutarcho, Solon in Aegypto peregrinus ab illius terrae Sacerdote audiit ſibi recitari, in quo veterum maiorum ſuorum egregia facinora adhuc ſibi ignota, admiratus eſt: quippe qui novis virtutibus adipiſcendis magis intentus, quam vetuſtis intelligendis, ex modeſta quadam incuria negligenda putaverat. Quod ſi tantundem Tibi meus iſte ΑΤΛΑΝΤΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ in praeſentia praeſtaret, audires equidem, ANTISTES PRAESTANTISSIME, remotiſſimam Tui Generis originem, Gentemque a Germanis Imperatoribus Inſubriae donatam, diuturno fere octo ſaeculorum dominatu, ipſoque ampliſſimo polluiſſe; et, quod ceteri per fabulas adſtruunt, id Familiae Tuae nuper ſupremo Subalpini Senatus Conſulto confirmatum. Hinc maximi illi Proceres, et belli, et pacis, et Pontificalibus ornamentis inſignes, qui Gentis Tuae nomen maximis quibuſque coaequarunt. Hos inter, ILLVSTRISSIME PRAESVL, Tu mihi ob oculos potiſſimum verſaris, quippe qui cum familiari conſuetudine (quae Tua clementia eſt) virtutes Tuas probe compertas habeam, nilque frequentius admirer quam pietatem, prudentiam, gravitatem, bonarum artium promovendarum curam, et illam Eccleſiaſticae diſciplinae ſollicitudinem, vel in maximis difficultatibus exploratam, quibus mirifice exornaris. At probe noſco unam Tibi veritatem adverſam eſſe, quae in Tua laude verſatur. Progrediatur igitur Atlantica iſta tractatio ad ceteras argumenti partes, quas vir Aegyptius Graecorum ſapientiſſimo expoſuit, Hiſtoriam nempe Atlanticam, atque inde productam caeleſtium Orbium cognitionem, quam antiquus illius Regio-

nis

nis dominator fertur hominibus tradidiſſe. Id ipſum Tibi pergratum adfore duxi, veluti, cui ab adoleſcentia inter ceteras liberales diſciplinas, Matheſis praecipue probata eſt, voto paene dixerim Genti Tuae familiari: quum praecipue haec aetas protulerit duo illa ſaeculi ornamenta Laelium, atque Vmbertum e Societate Ieſu, qui haſce diſciplinas profundiſſimae cognitioni ſacrarum litterarum coniunctas non poſſidere magis, quam amplificare viſi ſunt: quorum poſtremus inter ipſa pietatis exercitia confectus, quantum nobis ereptum dolemus, tantum Caelitibus additum gratulamur. Quod vero huic Eccleſiae Tuae Vicaria ſollicitudine addictus, aliquantulum temporis nactus, quod ſane perbreve fuit, in hoc Monumento illuſtrando abſumpſerim, ne mihi vitio cedat, opitulantur Sanctiſſimi Eccleſiae Proceres, qui caeleſtes motus ad tempora Eccleſiaſtica conſtituenda ſpeculandos ſibi propoſuerunt, et quodammodo ſacrorum ſtudiorum partem eſſe voluerunt. Praeterea, quod ceteris animi gratia indulgetur, ego mihi ex tetricae vitae inſtituto ad haec ſtudia recolenda ſumere ſoleo; idque mihi inter ſollicitudines, atque animi aegritudines unicum levamen reſervatur. Interim Deo Optimo Maximo DECENNALIA VOTA ſolventes, continuo pro Tui incolumitate VICENNALIA nuncupamus: quibus aliquando abſolutis, Vota laetiora faxit idem Deus, ut MVLTORVM TRICENNALIVM concipiamus.

PRO-

PROOEMIVM ET ARGVMENTA

INTER praeclariora FARNESIANI Palatii Cimelia, quae Romae omnium admirationi sunt, merito recenſetur marmoreum ATLANTIS Simulacrum, Orbem Caeleſtem ſuſtinens, ceterorum quotquot exſtiterunt integerrimum; nam ſimilium vix aliqua veſtigia operiuntur. Singulare id Monumentum, quod inter Aſtronomicas Antiquitates, ſibi vindicat principatum, neſcio quo fato, diu praetermiſſum, quodammodo delituit, donec, curante Praeclariſſimo Praeſule Franciſco BLANCHINIO, delineatum, atque aeri inciſum eſt. Fortaſſe illud explicare vir ſummus inſtituerat; quod ſi praeſtitiſſet, utpote qui inter ſui temporis Aſtronomos inſigniter eminebat, multo meliora circa id argumentum protuliſſet, quam quae a tenuitate mea expeti poſſint. Interim vero eiuſdem marmorei Signi integrum ſchema ſenis Tabulis comprehenſum, bono Litterariae Reipublicae fato, ad Clariſſimum GORIVM noſtrum delatum eſt, qui quum totus ſit in Antiquitate reparanda, illud mecum communicavit, ut commentariolo explicarem; quod quidem, eodem Amico optumo rogante, ſumma cum voluptate me feciſſe fateor. Quum igitur id Simulacrum inluſtrare ſtatuiſſem, duo praecipue mihi conſtitui; primum nempe ut imago Atlantis, eiuſque Hiſtoria, brevibus obſervationibus perſtricta, ornaretur: alterum vero ut Caeleſtis Orbis, quem ille fulcit, per partes ſingulas declararetur, ibique delibatis quibuſdam differentiis, quae inter veterem, novamque caeleſtium circulorum poſitionem intercedunt, tota Aſtrotheſia ſingillatim enuclearetur: quod ut facilius praeſtaremus, Commentarium hoc in ſequentia Argumenta, ſeu Capita diſtribuimus.

ATLAN-

I. *Atlanticarvm Fabvlarvm prae ceteris Antiquitas, atque dignitas monſtratur.*

II. *Atlantes plures ad unum, qui maximus dictus eſt, reducuntur. Varia eius nomina, eorumdemque nominum ſignificationes elucidantur.*

III. *Inquiritur Atlantis aetas, Parentes, Fratres, et Vxores, de quibus variae Auctorum ſententiae adferuntur.*

IV. *Nati Atlantis recenſentur, eorumque variae ſortes.*

V. *Eius praecipuum inſtitutum fuit Aſtrologia.*

VI. *Creditus eſt Caelum ſuſtinere, eiuſque Fabulae triplex cauſa adducitur.*

VII. *Ab ipſo Hercules aſtrorum ſcientiam accepit; unde creditus eſt Caelo humeros ſuppoſuiſſe.*

VIII. *Atlas in montem ſui nominis converſus fingitur.*

IX. *Atlantis ſitus, et regio ex Geographis deſcribitur.*

X. *Populi regionem illam incolentes inquiruntur.*

XI. *Pauca de inſula Atlantica delibantur.*

XII. *Atlantem inſculpere Caelum ſuſtinentem antiqua res eſt, et exemplis confirmatur.*

XIII. *Antiquitas huius Marmoris multis argumentis adſeritur, et vindicatur; quum longe ante Antoninorum tempora Conſtellationes figurari introductum ſit.*

XIV. *Orbis Caeleſtis ab Atlante ſuffulti in hoc Marmore diſpoſitio expenditur, rationeſque adferuntur cur Polus Boreus fere verticalis ſit Atlanteo humero.*

XV. *Diſtantiae, et latitudines circulorum huius Globi ſcrutantur, et cum recentioribus comparantur.*

XVI. *Aſteriſmi in hoc Globo conſpicui numerantur; deficientium vero cauſa ſpeculatur.*

XVII. *Mythologice explicatur tota Aſtrotheſia Tabulae III. et ſingularum Conſtellationum diſpoſitio cum recentibus Globis comparata expenditur.*

XVIII.

XVIII. *Aſtrotheſia Tabulae IV. per partes explicatur.*

XIX. *Aſtrotheſia Tabulae V. enucleatur.*

XX. *Poſtremo Aſtrotheſia, quae in ſexta, et ultima Tabula exhibetur, expenditur, et elucidatur.*



CA-

CAPVT I.

ATLANTICARVM FABVLARVM prae ceteris antiquitas atque dignitas monſtratur.

REGIONEM Atlanticam maxime nobilitant Fabulae, quae omnium antiquiſſimae, ac celebratiſſimae in illa conlocantur. Neminem vero latet ſub earum involucro veras populorum origines, ſcientiarum ſecreta, denique Ethnicam Theologiam contineri. Hinc illa terrae pars, cui tantum dignitatis adtributum eſt, communi iudicio omnium maxime nobilis fuiſſe videtur. Adeo vero communes erant, atque frequentes Fabulae, quae inde proceſſere, ut Ariſtoteles in Libris Rhetoricorum Fabulas omnes humanas communi nomine *Atlanticas* adpellet; ceteras vero in quibus bruta agunt, *Aeſopicas*. Cur vero remotiſſima ea regio, et veteris orbis paene ultima, huic officio ſelecta ſit, multiplex cauſa poteſt adſignari, quarum prima, gentis antiquitas. Vt enim verbis utar Diodori Siculi initio Libri IV. *Ferunt Aethiopes primos omnium hominum creatos eſſe: cuius rei coniecturam ferunt, quod non aliunde homines in eam provinciam adceſſerint; ſed in ipſa geniti, merito indigetes omnium conſenſu adpellentur*. Haec vero dignitas ceteris Orbis partibus, quae tunc potiſſimum Aegyptiis harum Fabularum artificibus innotuerant, tribui non poterat, quum ob frequentes migrationes ſaepiſſime ſtatum immutaverint. Natura quoque loci generoſior, vaſta flumina, paludes ingentes, magnarum ferarum copia, mons omnium procerrimus, indeque conſpicuus Oceanus, quem rerum omnium patrem adpellabant, Fabulas invexere: demum incolarum pietas, qua Diis cariſſimi habiti

 ſunt,

sunt, et communi vocabulo *inculpati*. Idem Diodorus: *Atlantides, ut accepimus, loca propinqua Oceano, et quidem felicia incolentes, tum pietatis, tum erga advenas humanitatis prae ceteris finitimis gentibus, laudem tulerunt*. Hinc maximus, et sapientissimus Vatum, Iovem inducit cum ceteris Diis divertentem ad convivium apud Aethiopas Iliad. A.

Iupiter enim in Oceanum ad bonos Aethiopas
Hesternus ivit ad convivium; Dii autem omnes simul
secuti sunt:
Duodecima autem rursus veniet ad Caelum.

Huic quoque regioni prima Deorum origo adtribuitur, cuius rei auctorem habeo eumdem Diodorum loco citato: *Ab his Deorum genus manasse tradunt: quibus adsentitur praestantissimus Graecorum Poëta, Iunonem introducens adpellantem Oceanum Deorum Patrem, et Matrem Thetin. Scribunt autem primum regnasse apud eos Caelum, hominesque antea per agros dispersos ad coetum, condendasque urbes exhortatum, a fera eos agrestique vita ad mitiorem cultum traduxisse*. Prosequitur vero Diodorus cetera eius facta, et progeniem, in qua numerat Pandoram, Rheam, Hyperionem, et Titanas: dein imperii divisionem, inter Caeli filios recenset Atlantem, atque Saturnum; postea vero Atlanticam prosapiam Hyadas, atque Pleiadas. Nemo vero non videt hos praecipuos esse Fabularum fontes, unde ceterae omnes, quas Aegyptii, Graecique confinxerunt, ortum habuere. Latonam quoque e Taigete Atlantide natam refert Ovidius Methamorph. Lib. VI. vers. 174. ubi eam sic loquentem introducit.

Ple-

Pleïadum ſoror eſt genetrix mihi : maximus Atlas
Eſt avus , aetherium qui fert cervicibus axem .

Maia vero harum altera Mercurium tulit . Idem Faſtorum Lib. V. verſ. 183.

Hinc ſata Pleïone cum ſtellifero Atlante
Iungitur , ut fama eſt , Pleïadaſque parit ;
Quarum Maia ſuas forma ſuperaße ſorores
Traditur , et ſummo concubuiſſe Iovi .
Haec enixa iugo cupreſſiferae Cyllenes ,
Aethereum volucri , qui pede carpit iter .

Vt vero et Italia noſtra Atlanticam virtutem ſentiret , et tantae proſapiae ornamentis quodammodo decoraretur , Electram quoque , et Annam Perennam tulit , ex quibus Fabulae Italicae , nihilo minus Graecis nobiliores , propagatae ſunt , de quibus ſuo loco agendum erit . Gorgonum fabula tota Atlantica eſt , quarum ſedem *gelido ſub Atlante iacentem* deſcribit Ovidius Metamorph. Lib. IV. Ad has vero Perſei volatus , inde et Atlantis in Montem converſio infra nobis adtingenda ſunt . At inter ceteras Fabulas nobiliſſimum locum ſibi vindicant Horti Atlantis , in quibus

Arboreae frondes , auro radiante , nitentes ,
Ex auro ramos , ex auro poma tegebant .

Haec vero commenta a loci fertilitate ducta ſunt ; quod nobis oſtendit Plinius Lib. V. Cap. I. ubi Atlantem deſcribit : *Opacum , nemoroſumque , et ſcatebris fontium riguum , qua ſpectat Africam , fructibuſque omnium generum ſponte ita ſubnaſcentibus , ut nunquam ſatietas voluptatibus deſit* . Solinus quoque Polyhiſtor. Cap. 24. Atlantis adſpe-

ctum ita nobis exhibet : *Qua Africae contraverſus eſt felix , naſcentibus ſponte frugibus , arboribus proceris opaciſſimus , quarum odor gravis , comae cupreſſi ſimiles veſtiuntur lanugine , ſericis velleribus nihilo viliore*. Huc etiam ſpectat inſomnis ille Draco, pomorum aureorum cuſtos , quo ſublato opimos fructus Hercules expilavit ; quam Fabulam in Muſei noſtri Lucerna expreſſam Tomo III. qui ſub praelo eſt , explicatam damus . Quod vero maxime nobilitavit Atlanticas Fabulas , illarumque antiquitatem confirmat , illud profecto eſt , quod ex illarum multis Conſtellationes in Caelo factae ſint , atque in primis Taurus, in quo tota familia Atlantica pari numero ſtellarum numeratur ; praeterea Perſeus Gorgonem oſtentans , Heſperidum Draco, Orion , Cepheus cum ſua Caſſiopea , et nata Andromeda , et Cetus , ſeu Piſtris , qui ad illam vorandam inmiſſus fuerat : de quibus Fabulis in poſterioribus Capitibus agendum erit . Haec tamen indicaſſe ſufficiat, ne dum ATLANTEM ſtudemus exornare , illum praeterire videamur .

CAPVT II.

Atlantes plures ad unum , qui maximus dictus eſt , reducuntur . Varia eius nomina , eorumque ſignificationes elucidantur .

ATLANTICAM Mythologiam non paucis ambagibus involvit Auctorum diſcordia , qui multos plane ATLANTES , et loco , et aetate diverſos nobis obiiciunt. Inter hos vero tres magis praecipue ab antiquis Scriptoribus

ribus memorantur, quos omnes paucis complectitur Servius in VIII. Aeneid. verſ. 134. *Sed ſciendum Atlantes tres fuiſſe: unum Maurum, qui eſt maximus; alterum Italum, patrem Electrae, unde natus eſt Dardanus; tertium Arcadicum, patrem Maiae, unde natus eſt Mercurius. Sed nunc ex nominum ſimilitudine facit errorem, et dicit Electram, et Maiam fuiſſe filias Atlantis maximi: nec praeter rationem ait „ et Maximus Atlas „ Idem Atlas generat „ nam et ipſe habuit etiam horum nominum filias Electram, et Maiam.* At error iſte Virgilianus, ſi tamen erroris arguendus eſt in Fabula referenda, cuius auctoritas a ſola Scriptorum libertate, atque inventione proceſſit, ab aliis etiam primae notae Auctoribus admiſſus eſt, qui unum eundemque ATLANTEM in pluribus locis multiplicarunt ad Fabularum ſuarum dignitatem adſtruendam: vel quae de pluribus praedicabantur, in unius perſona confuderunt. Hinc tot Hercules, tot Ioves, totque Neptunos apud Antiquos legimus, quos ſimul conciliare eſſet operam perdere: quapropter communiorem ſententiam ſequentes, unum ATLANTEM, qui et Libycus, et Maximus dictus eſt, et cui ſuſtinendi Caeli munus iniunxerunt, proſequemur.

Hunc multiplici nomine a Libycis Populis, a Graecis, atque Latinis adpellatum invenio, nempe *Dyrin*, *Atlanta*, et *Telamonem*. De primo ſic Strabo Geograph. 17. *Mons eſt in Libya, quem Graeci* Atlantem *vocant, Barbari vero* Dyrim. Et Plinius Lib. v. Cap. 1. *Amnem, quem vocant* Fut, *ab eo ad* Dyrin (*hoc enim Atlanti nomen eſſe eorum lingua convenit*) *CC. M. P. interveniente flumine, cui nomen eſt* Vior. Parem auctoritatem praebent nobis verba Solini Cap. XXIV. *Haec de Atlante, quem Mauri* Dyrim

no-

nominant. Significationem Libyci vocabuli expoſuit nobis in Melpomene Herodotus per haec verba : *Exſtat in hoc mari mons, cui nomen* Atlas ..... *hunc incolae Caeli columnam eſſe dicunt*. Hoc etiam nomine adpellatur ab Homero, Plutarcho, atque Nonno infra citandis Cap. VII. An tamen barbara vox analogiam aliquam habuerit cum Graeca ΔΕΡΗ, adfirmare minime auſim ; quanquam non dubitem primitivae linguae veſtigia plurima huc atque illuc in longe diſſitis regionibus ſervata adhuc reperiri, quae, inter ſe ſe conlatae, antiquam produnt adfinitatem. Si tamen per coniecturam aliquid adſequimur, video locum alterum *Dyras* adpellatum a Pauſania in Corinthiacis, cuius nominis ſignificationem ille tradit : *Nam et locus ipſe, in quo Templum Dyras, hoc eſt iugum vocatur*. Iugum vero tranſlatae etiam pro altis montium cacuminibus, praecipue vero qui longo tractu producuntur, ut evenit in Atlante, qui ab intimis Libyae regionibus uſque ad mare propagatur, ut in eius deſcriptione infra notabimus. Quapropter non abs re *iugum* quoddam inde produci, ſubdit idem Strabo : *Mons eſt in Libya, quem Graeci Atlantem nominant, Barbari vero* Dyrim. *Hinc* iugum *quoddam expoſitum eſt*. *Dyris* vero eſt a ΔΕΡΗ, *collum*, *cervix*, quod litteraliter de brutis dicitur, et de hominibus etiam uſurpatur, et tranſlate de altiſſimis montium tractibus, quaſi iugo quodam conligatis, qui quum Orizontem nobis intercipiant, et veluti definiant, tanquam Caelo contermini, illud quodammodo ſuſtinere videntur.

Si tamen haec analogia inter iugum, et columnam duriuſcula videtur, occurrit altera forte pronior, quod nempe nomen *Dyris* ſignificet ipſum Atlantis officium : quum enim Caelum ſuſtinere crederetur, ſuppoſito dorſo, ſeu

ſeu potius, ut in hoc Simulacro, ea colli vertebra, quae ΑΤΛΑΣ dicitur, quamque *atlantion* vocat Plinius Lib. XXVIII. Cap. 8. ita alio nomine, ſed aequali ſignificatione, *Dyris* adpellari poterat a ΔΕΡΗ, *collum*, ſeu *cervix*: quapropter et Graeca, et barbara vox ex uno eodemque fonte propagatae fere ſunt.

Graeci vero ΑΤΛΑΝΤΑ conſtanter proprio ſermone nuncuparunt. Servius in I. Aeneid. verſ. 745. *Sane Atlas Graecum eſt*: et Aeneid. IV. 481. *Atlas. Nullum Graecum nomem in NS. terminatur*. Vnde tamen hoc nomen illi obvenerit, liquido non convenit inter Scriptores. Primam opinionem eſſe ab ΑΤΛΑΣ, colli vertebra, cuius officio Caelum ſuſtinet. Sunt qui eius nomen deducant ab ΑΘΛΟΣ *aerumna*, *conatus*, *certamen*; unde, et Athletae. Screvelio tamen magis probatur eſſe a ΤΑΛΑΩ, ſeu ΤΑΗΜΙ, *tollero*, *perfero*, praemiſſa Α, negativa; quapropter nomen deducit non a virtute, ſeu habitu, ſed potius a vitio, et defectu, eo quod aliquando labore fractus, pondus Herculi commendarit. Euſtathius apud Scapulam Themate 1588. dictum eſſe credidit, *vel* ΠΑΡΑΤΟΥ ΜΗΙ ΤΑΛΑΣ ΕΙΝΑΙ; *vel quaſi* ΠΟΛΙΤΛΑΣ *a multo labore*; quod tamen durius videtur. At Ariſtoteles in Libro de Motione Animalium, aliquid profundius intelligere in hoc nomine viſus eſt; nam perquirens in caeleſti orbe naturam motus, illum ab intrinſeco principio immobili agi reputavit; nam Atlantis Fabulam explodens, illum nihil eſſe dixit, niſi ipſum principium moventem: *Quapropter ſive Atlas, ſive movens quid aliud ſit ex his, quae intra continentur .... primum quieſcens, hoc eſt Atlas motum parit*. Quae verba mihi ſedulo perſcrutanti, viſum eſt Philoſophum deduxiſſe Atlantis nomen, per quod principium motus intelligit,

a ΤΛΩ

a ΤΑΩ, Latinis *tollo*, *promoveo*, unde ΑΝΤΛΟΝ, *Vas*, quo aliquid adtollitur. In hoc tamen opinionum certamine liberum cuique esto arbitrium iudicandi. Est praeterea apud Phurnutum aliud Atlantis nomen, seu potius cognomentum, hoc est ΟΛΟΟΦΡΩΝ, ac si dixeris *universorum custodem*, ac *curatorem*, ab ΟΛΟΣ *totum*, et ΦΡΟΝΕΩ *curo*.

Latini politioris aetatis non aliter ac Graeci Atlantem adpellarunt. At rudioris aevi homines, non Atlantem, sed *Telamonem* dicere solebant: quod colligitur ex duplici loco Servii in IV. Aeneid. verf. 246. *Sane Atlas Telamon Latine dicitur*: et manifestius in Lib. I. verf. 745. *Sane Atlas Graecum est, sicut, et Nilus; nam Ennius dicit Nilum* Melonem *vocari; Atlantem vero* Telamonem. At hic Ennii locus, ut plura alia, inter eius fragmenta desideratur. Analogiam vero inter utrumque nomen Atlantis, et Telamonis ignorare se profitetur Vitruvius Lib. VI. Cap. 10. ubi haec habet: *Item si qua virili figura signa mutilos, aut coronas sustinent, nostri Telamones adpellant: cuius rationes quid ita, aut quare ex historiis non inveniuntur; Graeci vero* ΑΤΛΑΝΤΑΣ *vocitant*. At Latini nominis cum Graeco adfinitas haud longe quaerenda erat; nam Graecis ΤΛΑΜΩΝ, quem Latini *Telamonem* dicunt, significat *tolerantem*, ac *sufferentem*, non secus ac ΑΤΛΑΣ, quod est a ΤΑΛΑΩ *suffero*, *sustineo*, unde ΤΑΛΑΣ *sustinens*. Ab hoc nomine vero non longe recedit Telamon; nam a ΤΕΛΑΩ, seu ΤΑΛΑΩ, fit ΤΛΑΜΩΝ. Constat vero ex plerisque Deorum nominibus Latinos, retenta significatione, vocabula commutasse.

Mihi tamen in mentem subit alia eiusdem nominis explicatio, quae forte magis obvia est, atque simplicior, et, si verum amamus, antiquae Romanae rusticitati magis ac-

accommodata. Excipiebant illi Fabulas narratione magis, ac traditione, quam veterum ſcriptis, quorum minus ſtudioſi ea aetate exſtiterunt. Hinc illa frequentiora perturbatorum nominum monſtra, quae recenſet nobis Ennii enarrator Columneus, non magis nobilitate generis, quam eruditione ſpectatiſſimus: quemadmodum etiam ex *Alcyone fecerunt Alcedo*, et ex *Ganymede*, *Catamitus*. Conſtat etiam ex Feſto dixiſſe *Alumentum* pro *Laomedonte*, atque *Alphium* pro *Alpheo*. Quod vero etiam pro *Atlante* dixerint *Telamonem*, id genio antiquae linguae Italicae referri poteſt, per quod peregina nomina primitiva, et ſubſtantiva in adiectiva convertebantur, ut non perſonam agentis, ſed actum exprimerent, communi his temporibus inflexone in VMNVS. Sic a *portu* fecerunt *Deum Portumnum*, a *verſione*, *Vertumnum*, a *pilo*, *Pilumnum*: a ΚΛΤΔΩ, *fluctus*, *unda*, *Clitumnus*; ſive potius a ΚΛΕΙΤΤΣ aquae delapſus, unde et Clitorius fons in Arcadia: a ΛΥΧΗ *luce*, ut ait Macrobius Lib. I. Saturnal. Cap. XVII. unde *Lucium* Latini antiquiores deduxere *Lucumunnum*. Ita quoque fieri potuit, ut ex Atlante detracta A per aphaereſim, fecerint *Talamunnum*, quem, ut lenius pronunciarent, verterunt in *Telamonem*.

CAPVT III.

Inquiritur Atlantis aetas, parentes, fratres, et uxores, de quibus variae Auctorum ſententiae referuntur.

NVnc ATLANTIS geſta percurramus; et in primis quibus parentibus, quaque aetate natus perhibeatur.

tur. Inanis alioqui quaeſtio eſſet diſputare, quo tempore vixerit, qui nunquam fuit; ſed tamen integritas Fabulae poſtulat, ut id quoque proſequamur. Itaque de eius aetate haec legimus apud Euſebium: *Porphyrius Atlantem, et Prometheum per Inachi tempora fuiſſe ſcribit.* Auguſtinus vero de Civitate Dei Lib. XVIII. Cap. 8. ipſum circa Moyſis tempora exſtitiſſe dicit: *Quum ergo regnavit Aſſyriis quartusdecimus Saphrus, et Sicyonius XII. Orthopolis, et Criaſus V. Argivis, natus eſt in Aegypto Moyſes Regnantibus memoratis Regibus, fuiſſe a quibuſdam creditur, Prometheus: quem propterea ferunt de luto formaſſe homines, quia optimus ſapientiae doctor fuiſſe perhibetur. Frater eius Atlas magnus fuiſſe Aſtrologus dicitur.* Conciliantur vero facile hae geminae opiniones, quum ex Appionis Gramatici computo, Moyſes, et Inachus coëtanei exſtiterint, quem non pauci ex recentioribus ſequutos eſſe video.

At Tzetzes Chiliad. V. verſ. 201. ipſum longe antiquiorem exſtitiſſe, ex Veterum auctoritate tradidit. Sic enim loquitur:

Atlas, Libyis, ut dicunt filii Aegyptiorum,
Et magis quotquot conſentiunt Sophidi, temporum Scriptori,
In temporibus erat Oſiridis Dionyſii, Noë,
Quando erat Mercurius ter maximus, qui inventor litterarum,
Mercurius ſimul, et Prometheus, et Hercules, Typhonque
Vniverſi Aegyptii.

Si vero ſententiam illorum expendamus, qui Atlantem, vel Caeli nepotem eſſe, vel filium tradiderunt, quorum verba infra adducenda ſunt, longe Noaco antiquiorem creditum fuiſſe animadvertemus. Hanc inconſtantiam obſervantes veteres Mythologi, quum ſe irrito conatu in hiſce

hiſce aetatibus conciliandis laborare obſervarent, ſententiam capeſſerunt, ut totidem numero perſonas multiplicarent, quot tempora, et loca forent, circa quae Scriptores non convenirent.

Non minor inconſtantia obſervatur circa Atlantis parentes definiendos; nam Heſiodus in Theogonia ex Chao Terram exſtitiſſe dicit: ab ea Caelum, a quo Iapetum, qui ex uxore Clymene Atlantem, et Prometheum progenuit:

Filiam porro Iapetus pulchros talos habentem Oceanitidem
Duxit Clymenem, et eundem lectum conſcendit;
Ipſa vero, et Atlantem magnum peperit filium.

At Diodorus Siculus Lib. IV. Atlantem ex ipſo Caelo natum fuiſſe tradit, qui cum Hyperionem, et alios quadragintaquatuor natos reliquiſſet, Atlas primus poſt patrem regnum occupavit: cuius haec ſunt verba: *Poſt vero Hyperionis interitum adſerunt Caeli filios imperium diviſiſſe. Ex eis fuiſſe Atlantem, et Saturnum: nobiliora Atlanti loca ad Oceanum poſita ſorte evenerunt; unde et populus ſuo nomine, et maximus montium prope Oceanum dictus eſt.* Longe ab his abit Hyginus in Fabula I. qui Atlantem filium Aetheris dixit: *Ex Aethere, et Terra, Dolor, Dolus, Ira ..... Atlas, Hyperion.* In eadem quoque ſententia fuit Servius in IV. Aeneid. verſ. 247. *Atlas eſt, Aetheris, et Diei filius.* Aether vero longe alius eſt a Caelo, ut conſtat ex eodem Heſiodo verſ. 116.

Primo omnium quidem Chaos fuit, at deinde
Tellus lato pectore praedita ———————
Tartaraque tenebricoſa in receſſu terrae ſpatioſae.

Ex Chao vero Erebuſque, nigraque Nox editi ſunt:
Ex Nocte porro Aetherque, et Dies prognati ſunt:
Tellus vero primum quidem genuit parem ſibi
Caelum ſtellis ornatum.

At Plato in Atlantico altiores cauſas in Fabulis perſcrutatus, Atlantem retulit natum eſſe ex Neptuno, et Clytone in inſula Atlantica, quam in uxoris gratiam, et munimentis, et omnibus naturae donis exornavit: *Evenor ex Leucippe Clytonem unicam filiam genuerat. Neptunus eius deſiderio captus illi ſe miſcuit ..... Quinque praeterea maſculorum filiorum partus geminos progenuit, et nutrivit, atque omnem Atlanticam inſulam decem in plagas partitus, primogenito maternam habitationem adtribuit. Primogenitum quidem vocavit Atlantem; unde et Pelagus cognominatur Atlanticum.* Clytone vero, unde veteres Itali fecerunt Clitumnum, nil fere ſignificat, ut ſupra innuimus, niſi eruptiones aquarum terreſtrium, quae Neptuno, hoc eſt Mari coniunctae, quum Cataclyſmus Terram deformavit, montes plurimos, qui prius non exſtiterant, ex immoderata internarum aquarum ebullitione ex imo profiluerunt: quod in divina Scriptura explicatur per verba: *rupti ſunt fontes abyſſi magnae:* quam multorum montium originem exſtitiſſe, declaravi in *Litogonia* in lucem proferenda; hoc eſt *de Marmorum generatione, et ratione macularum.*

Ex his, quae praemiſimus, facile quoque colligitur, qui etiam fratres Atlanti ſteterint. Hos praeterea connumerat loco citato Heſiodus:

Ipſa vero ei Atlantem magnanimum peperit filium:
Peperit praeterea gloria inſignem Menetium, atque Prometheum
Varium, et verſipellem, ſtultumque Epimetheum.

Hos

Hos omnes propter morum improbitatem, atque coniurationem, a Iove male multatos inferius tradit.

Vxores illi duas adtribuerunt, Pleïonem inprimis, ex qua Maia Mercurii mater exorta eſt. Ovidius Metamorph. Lib. II. verſ. 742.

——— cui ſic reſpondit Atlantis
Pleïoneſque nepos: ego ſum, qui iuſſa per auras
Verba patris porto. ———

Et rurſus in Epiſtola Paridis ad Helenam eundem Mercurium deſcribens:

Conſtitit ante oculos actus velocibus alis
Atlantis magni, Pleïoneſque nepos.

Fuit autem Pleïon Oceani, et Tethidis filia. Idem Ovidius Faſtor. Lib. V. verſ. 81.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethin,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.
Hinc ſata Pleïone cum ſtellifero Atlante
Iungitur, ut fama eſt, Pleïadaſque parit.

Alteram vero uxorem illi iunxerunt Aethram Pleïonis ſororem, quam Ovidius eodem Faſtor. Lib. v. eiuſdem Oceani filiam fuiſſe tradit verſ. 171.

Hunc ſtirps Oceani maturis niſibus Aethra
Edidit, et Nymphas; ſed prior ortus Hyas.

CA-

CAPVT IV.

Nati Atlantis recenſentur, eorumque variae ſortes.

NATAS autem habuit Atlas plurimas, quae ob virtutem, atque pietatem aſtris inſeri meruerunt. Has connumerat Diodorus Siculus Lib. IV. *Fuerunt inſuper Atlanti filiae ſeptem, a matris nomine Atlantides vocatae; quarum unicuique proprium nomen ineſſet, ut Maia, Electra, Taygete, Aſterope, Merope, Alcyone, Celeno. Has tradunt ab Heroibus, et etiam a Diis cognitas, et Deos, et Heroas peperiſſe; veluti prior Maia ex Iove Mercurium genuit .... quas prudentes fuiſſe conſtat, et poſt obitum honores Deorum immortalium adeptas, Pleïadum adpellationem cepiſſe.* Harum quoque meminit Aratus in Aſtronomicis:

Septem illae eſſe feruntur;
Quarum vis ſint oculis hominum ſex obvia ſigna.
Alcyone, Meropeque, Electraque, diva Celeno
Taygete, Sterope, praeclaro numine Maia.

Has vero quia ex matre Pleïone ſuſceperat, Pleïadas adpellatas intelligimus: quae quum diu vim, et petulantiam Orionis aufugiſſent, in Caelum tranſlatae, ante Tauri genua conlocari meruerunt, ut narrat Hyginus infra citandus. Sunt vero, qui illas dictas putent non a matre Pleïone, ſed a ΠΛΗΩ *navigo*, quia circa aequinoctium vernum exorientes, quodammodo navigationem indicunt.

At parem numerum filiarum ſuſcepit ex altera coniuge Aethra, quaeque pari fato in Caelo fulgere meruerunt, Ambroſiam, Eudoram, Paſithoëm, Coronidem, Ple-

Plexauridem, Pitho, Thyenem. Hae vero communi vocabulo Hyades dictae sunt, a nomine fratris Hyantis, quem Atlas ex eadem uxore genuerat, ut placet Hygino Lib. II. in Tauro : *Quod earum Hyas fuerit frater, a sororibus plurimum dilectus.* Sunt vero, qui credunt id nomen susce-pisse, ex quo Bacchum educarunt, qui Hyes dictus est. Alii denique adpellatas volunt a pluvia, quam exortu portendunt ; nam ΥΩ *pluere* est, unde *inserenae* a Poëtis adpellantur, et *pluviae*. Ferunt tamen alteram ex iis, quia Sisypho mortali viro nupsisset, obscuratam non adparere, ut ait Hyginus loco citato : immo a belli Troiani aetate videri desiisse. Quod minime mirum est, quum aliae quoque stellae aliquando emerserint, deinde et evanuerint. Sic novam clarissimam adparuisse aiunt in Cassiopea anno DCCCCXLV. quae brevi exstincta, iterum anno MCCLXIV. effulsit. Hanc iterum Ticon observavit anno MDLXXII. quae per biennium decrescens, iterum interiit : unde colligitur periodice post trium fere saeculorum spatium recurrere. Alteram in Ceto per duos menses observavit Fabricius anno MDXCVI. sed magis longaevam alteram Keplerus in Cigno ab anno MDCI. quam iterum Hevelius anno MDCLXVI. redeuntem agnovit. Idem Keplerus anno MDCIV. alteram per annum duraturam observavit in Ophiuco : nec dissimilem Simon Marius anno MDCXII. et MDCXXXVIII. in Cingulo Andromedae. Demum Evelius, atque Cassinius animadverterunt alteram singulis annis in collo Ceti adparere, atque occultari.

Vt vero ad Atlantis natas redeamus, constat illas communi adpellatione nuncupatas Atlantidas, et Atlanteas, a communis parentis nomine. Ovidius Fastor. Lib. III. vers. 105.

Quis

Quis tunc aut Hyadas, aut Plēadas Atlanteas
Senſerat, aut geminos eſſe ſub axe polos?

Alii quoque Atlantis filii paſſim a Poëtis numerantur, inter quos Latini noſtri Annam nutricem Iovis adcenſent, quam Perennam cognominarunt. Ovidius Faſtor. Lib. III. verſ. 659.

Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant;
Atque Iovi primos, Anna, dediſſe cibos.

Pauſanias vero in Arcadicis memorat etiam Moeram, quae nupſit Tegeati Lycaonis filio: niſi eadem ſit, cum Meroſſe, quam ſupra memoravimus. Inter natos vero dignus, eſt, qui cum laude memoretur, Heſperus, quem *pietate, ac in ſubditos iuſtitia inſignem* praedicat Diodorus Siculus Lib. IV. *Qui cum in Atlantis Montis cacumen ad obſervandos Aſtrorum curſus adſcendiſſet, ſubito a ventis arreptus, nequaquam amplius viſus eſt: quam ob cauſam hunc miſerata plebs honores illi tribuens immortales, Aſtrum caeleſte lucidiſſimum eius nomine nuncupavit.*

Huc uſque externa memoravimus. Age iam domeſticam, et nobis quodammodo familiarem Atlanticae profapiae partem proſequamur. Memoremus igitur non ſine laude Electram Atlantis filiam concivem Cortonenſium, qui dum in Academicum Etruſcorum Sociorum Coetum celeberrimum me cooptarunt, in partem tantae gloriae adſciverunt, et paene non dixerim noſtram, quae ex Iove Dardanum procreavit, non modo Iliaci, ſed totius Romani Imperii conditorem. Virgilius Aeneid. Lib. VIII. verſ. 134.

Dardanus Iliacae primus pater Vrbis, et auctor,

Ele-

Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus,
Advehitur Teucros. ——————

Et Ovidius Faſtor. Lib. IV. verſ. 31.

Dardanon Electra neſciret Atlantide cretum
Scilicet; Electram concubuiſſe Iovi.

Ipſum vero in urbe Corythi natum manifeſte teſtatur idem Virgilius Aeneid. III. verſ. 167.

—————— *hinc Dardanus ortus,*
Iaſiuſque Pater, genus a quo principe noſtrum.

CAPVT V.

Eius praecipuum inſtitutum fuit Aſtrologia.

ATLANTIS primarium inſtitutum, Aſtrologiam fuiſſe tradunt: quod omnium Scriptorum conſenſu facile evincitur, quorum perpaucos feligemus. Et in primis Diodorus Siculus Lib. IV. *Poſt Hyperionis interitum adſerunt Caeli filios imperium diviſiſſe: ex eis fuiſſe Atlantem, et Saturnum. Atlantem ferunt ipſum Aſtrologiae fuiſſe peritiſſimum, deque ſphaera primum inter omnes diſputaſſe; qua ex re viſus eſt Orbem ſuis humeris ſuſtinere, locum praebente Fabulis ſphaerae inventione.* Hoc etiam confirmavit Cicero V. Tuſculanarum: *Humeris Caelum ſuſtinuiſſe dicitur; quia primus curſum Solis, et Lunae, ſiderumque omnium deprehendit, ideſt Aſtrologiam invenit, et ſphaeram conſtruxit.* Adcedit Plinii auctoritas, qua haec opinio confirmatur; ſic

enim ille Lib. VII. Cap. 56. ubi de rerum inventoribus sermonem habet : *Invenit : Astrologiam Atlas Libyae filius, ut alii, Aegyptii, ut alii, Assyrii : Sphaeram in ea Milesius Anaximander*. His adhaesit Servius in IV. Aeneid. vers. 246. *Atlas (ut in primo diximus) peritus Astrologiae fuit ; nam et siderum cursum deprehendisse dicitur, et Herculem docuisse*. In quo quidem auctorem Virgilium sequutus est, qui in I. Aeneid. vers. 743. Iopam inducit inter epulas astronomicum canticum ab Atlante traditum personantem :

> ——————— *Cithara crinitus Iopas*
> *Personat aurata, docuit quae maximus Atlas.*
> *Hic canit errantem Lunam, Solisque labores ;*
> *Vnde hominum genus, et pecudes, unde imber, et ignes ;*
> *Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones :*
> *Quid tantum Oceano properent se tinguere Soles*
> *Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.*

Albricus quoque de Deorum Imaginibus XXII. haec de illo perhibet : *Fuit quidam gigas, Atlas nomine, in Mauretania, in monte altissimo Caelum ipsum contingente : qui Caelum, ne caderet, humeris sustinebat : et sidera, si quae cadebant, malleo fixa, Caelo reponebat. Quem quum adcessisset Hercules, ille, qui audierat de fortissimis illius viribus, rogavit eum, ut, quia fessus erat Caelum sustinendo, ipsum aliquanto iuvaret, donec quiesceret : quod Hercules libenter adnuit, et humero supposito, Caelum sustinuit. In quo intelligitur, quod ipse Atlas Astrologus peritus fuit : et ideo Caelum dicitur sustentasse, et sidera cadentia Caelo reposuisse. Hercules etiam fuit astrorum artis multum edoctus, qui scientiae comprehendendae plenus gratia, ad ultimos terrae fines adcessit,*

ceſſit, *et cum eodem Atlante de ſcientia conferens*, *illum in aliquibus iuvit*, *opemque impendiſſe fertur ad Caelum ſuſtinendum*. Sed ne totam auctoritatem Ethnicis deferamus, occurrit nobis inter Chriſtianos facile omnium doctiſſimus Auguſtinus, qui Lib. XVIII. Cap. 8. de Civitate Dei eandem opinionem profitetur: *Frater eius Atlas magnus fuiſſe Aſtrologus dicitur: unde occaſionem Fabula invenit; ut eum Caelum portare confingeret: quamvis mons eo nomine nuncupetur*, *cuius altitudine potius Caeli portatio in opinionem vulgi veniſſe videatur*. Hanc plane ſententiam adeo invaluiſſe conſtat, ut inter ceteras naturalis ſcientiae Sectas Atlanticae primas deferat, ut docet eiuſdem Operis Lib. VIII. Cap. 9. *Qui Sapientes*, *vel Philoſophi habiti ſunt Atlantici*, *Libyci*, *Aegyptii*, *Indi*, *Perſae*, *Chaldaei*, *Scythae*, *Galli*, *Hiſpani*. Diogenes quoque Laërtius in Prooemio commemorat inter Philoſophiae Auctores, *Ochum Phoenicem*, *Zamolxim Thracium*, *Atlantem Libycum*.

CAPVT VI.

Creditus eſt Caelum ſubſtinere, eiuſque Fabulae triplex cauſa adducitur.

EX hoc vero Atlantis inſtituto communiter commenti ſunt ipſum Caeli pondus ſubſtinere: cuius Fabulae triplicem fuiſſe rationem invenio; quarum prima, et potiſſima fuit, quod ille primus omnium ſiderum motus certis legibus complexus ſit, illaſque hominibus tradiderit; adeout Caelum, hoc eſt Aſtrologiam, labore ſuo ſubſtentatam, ſolito Fabulae involucro decantaverint, quo nihil

frequentius apud Poëtas. Sic enim Euripides in Helenae initio:

Atlas ille ferreis humeris Caelum,
Deorum antiquam domum, ferens, et Dearum,
Vna genuit Maiam, quae me genuit Mercurium.

Et in Hippolyto verſ. 747.

Quum ad littus pomiferum Heſperidum
Nympharum conficerem iter,
Vbi marinus Rector purpurei ſtagni
Non ultra concedit viam nautis, venerandum
Limitem habens Caeli,
Quod Atlas ſuſtinet.

Non differunt verba Aeſchyli in Prometheo verſ. 427.

Titanem vidi
Atlantem, qui ſemper immenſum robur
Firmum, et caeleſtem Polum
Dorſo ingemiſcens ſuſtinet.

Huc etiam adluſit Nonnus Dionyſ. Γ, ubi Electram unam ex Pleïadibus ita loquentem inducit:

Et Libyae ad terminum pater meus adhuc laborat
Humeris adtritis ſenex incurvatus Atlas,
Aetheris, ſeptem Zonas habentem, portans ventrem.

Hos deinde Latini ſequuti ſunt, praeſertim Ovidius Faſtor. Lib. II. verſ. 489.

Iupiter adnuerat, nutu tremefactus uterque
Eſt polus; et Caeli pondera ſenſit Atlas.

Et Faſtor. V. verſ. 169.

Non

Nondum ſtabat Atlas, humeros oneratus Olympo.

Etiam Dionyſius Afer de ſitu Orbis eidem Fabulae adluſionem habuit:

Ordine principium capiens Atlantis ab unda
Herculeo celebrant, quam metae munere Gades,
Caeliferaſque tenet ſtans Atlas monte columnas.

Haec vero Fabula non modo ex Atlantis inſtituto, qui Aſtrologus fuit, originem duxit; verum etiam ex ipſius montis proceritate, quam infra ſuo loco frequenti Geographorum teſtimonio deſcribemus. Hinc mons ille *Caeli columna* adpellatus eſt ab Homero in Odyſſeae 1. qui non procul ab Herculeo freto una cum altero celſiſſimo monte Atlantem conlocavit, geminoſque nuncupavit Caeli columnas:

——————— *habet ille columnas*
Praelongas, Caelum, et Terram fulcire valentes.

Sic etiam illum nuncupavit Aeſchylus apud Plutarchum in Libro de facie in orbe Lunae:

Terram, polumque ſtat ille columna fulciens,
Humeriſque pondus ingens ſuſtinet ſuis.

Idem quoque Nonnus Dionyſ. A. Typhoëum ita loquentem introducit:

——————— *Fundamenta Mundi*
Concutite cum Diis, et per ſe circumvoluta Caelo
Frangite divina repagula, et aetheria in terras
Columna ſubtracta anfugiat conturbatus Atlas.

Sunt

Sunt vero, qui neque ob Aſtrologiam, neque ob ipſius montis naturam Atlanti Caelum impoſuerint; ſed ita poenam luere, quod Gigantibus in bello adverſus Iovem adſtiterit. Servius Aeneid. Lib. IV. verſ. 247. *Atlantis, cui poenae gratia Caelum impoſitum dicitur; quod, ut quidam volunt, cum Titanibus ſteterit.* Huius vero ſententiae auctorem habemus omnium facile antiquiſſimum Heſiodum, qui in Theogonia ita de illo ſcripſit:

Atlas vero Caelum latum ſuſtinet dura ex neceſſitate,
Finibus in terrae e regione Heſperidum argutarum
Stans: capiteque, et indefeſſis manibus:
Hanc enim ipſi ſortem deſtinavit prudens Iupiter.

Hyginus quoque Fabula CL. eandem opinionem ſequutus eſt: *Titanes, quum conarentur in Caelum adſcendere, eos Iovis cum Minerva, et Apolline, et Diana praecipites in Tartarum deiecit. Atlanti vero, qui dux eorum fuit, Caeli fornicem ſuper humeros impoſuit, qui adhuc dicitur Caelum ſuſtinere.*

CAPVT VII.

Ab ipſo Hercules aſtrorum ſcientiam accepit; unde creditus eſt Caelo humeros ſuppoſuiſſe.

QVVM itaque Atlas Aſtrologiae adeo peritiſſimus haberetur, ut ab eo peculiaris Secta, quam memorat Laërtius, et Auguſtinus, originem duxerit, alteri quoque Fabulae anſam praebuit, qua creditum eſt Caeli pon-

pondus cum Hercule communicaſſe. Ferunt enim ipſum ſcientiae cupidum, in Libyam aliquando ſeceſſiſſe, et ab Atlante aſtrorum ſcientiam percepiſſe: quod oſtendit Servius in Aeneid. IV. verſ. 246. *Atlas, ut in primo diximus, peritus Aſtrologiae fuit; nam et ſiderum curſum deprehendiſſe dicitur, et Herculem docuiſſe.* Inde vero ceteris Herculis titulis etiam illud adceſſit, quo *Aſtrologus* dictus eſt; nam ex ea ſcientia factus futuri praevidens, diem illum voluntario ſuo funeri deputavit, cui Solis obſcuratio inminebat. Feſtus: *Hercules Aſtrologus dictus, quod eo die ſe flammis iniecit, quo futura erat obſcuratio Solis.* Hoc Herculis ſtudium comprobavit etiam Chiliad. XII. verſ. 139. Graecanicus Tzetzes:

——— *Hercules, Aegyptius genere,*
Qui ab Atlante aſtrorum habuit artem.

Hinc originem habuit alia Fabula Atlanticae ſimilis, quod humeros Caelo ſuppoſuerit, illudque pro Atlante ſuſtulerit, quod Alcmena iactat apud Senecam in Hercule Oeteo Act. V. verſ. 1905.

Veſtrum Alcides cervice meus
Mundum, Superi, Caelumque tulit,
Cum ſtelligeri vector Olympi
Pondere liber ſpiravit Atlas.

De hoc facinore laudavit Herculem in Ovidiana Epiſtola Deianira verſ. 17.

Quod te laturum eſt, Caelum prior ipſe tuliſti:
Hercule ſuppoſito ſidera fulcit Atlas.

Ipſe iam moriturus, quum propria merita connumeraret, hoc

hoc quoque omnium ſpecioſiſſimum adiecit apud Ovidium Metamorph. IX. verſ. 199.

Hac Caelum cervice tuli: defeßa iubendo eſt
Saeva Iovis coniux: ego ſum indefeſſus agendo.

Et Tzetzes Chiliade V. verſ. 268. de Hercule in Libyam profecto, haec habet:

Illic ex Atlante Aſtrorum ſcientiam percepit;
Vnde Atlantem dicunt Caelum ſuſtinere:
Ab hoc autem Herculem hoc accipientem ferre.
Haec de Atlante ſermones Aegyptiorum.

At quia rem ferme paullo aliter narrat Apollodorus Lib. II. Biblioth. placuit integrum eius texum adferre, ut alia Fabulae ratio inde cognoſcatur: *Poſt autem quam in Hyperboreos ad Atlantem pervenit, ac Prometheï prudentia commonefactus eſt Hercules, ne ad Heſperidum mala proficiſceretur, ſed ipſe Atlanti in Caelo ſuſtinendo ſuccederet, illumque pro ſe mitteret. Itaque perſuaſus excepit. Atlas autem deceptis ex Heſperidum hortis tribus malis, ad Herculem redit; qui cum Caelum habere ſubterfugeret: ceſticillum, inquit, ſe velle facere ſuo capiti imponendum, quo commodius tantum Caeli pondus ferre poſſet. Quod ubi audivit Atlas, depoſitis humi pomis, Caelum recepit, atque ita poma Hercules conſecutus, deſcendit. Sunt vero, qui dicant haec non ab Atlante habuiße, ſed ipſum caeſo Dracone cuſtode, decerpſiſſe.* Quae quidem Fabula Herculis humerum Caelo ſubmittentis expreſſa eſt in pulcherrima Gemma, quam, Gorio meo amico ſuaviſſimo ſuppeditante, inter huius Diſſertationis Parerga referendam curavimus.

CA-

CAPVT VIII.

Atlas in montem ſui nominis converſus fingitur.

SED iam cetera Atlantis fata percurramus, et quo praecipue caſu in montem ſui nominis converſus ſit, dicamus. Rem exponit Servius in IV. Aeneid. verſ. 246. *Hic Atlas rex fuit, qui habuit, ſicut quidam volunt, iuxta Aethiopas pomarium, in quo mala aurea raſcebantur, quae Heſperides, et inſomnis Draco, cuſtodiebat. Hic quum audiſſet a Themide, antiquiſſima Dearum, vate, cavendum eſſe a Iovis filio, qui ea poma quandoque ſublaturus eſſet, et prae timore nullum ſuſciperet; audito, quod Perſeus Iovis eſset filius, ſuſcipere eum hoſpitio noluit: a quo in montem converſus eſt, viſo Gorgonis capite.* Fabulam diligentiſſime expreſſam habemus in IV. Metamorph. ab Ovidio verſ. 641. qui ubi felices eius hortos, et aurea mala ferentes arbores deſcribit, ita Atlantem inducit Perſei adventu trepidantem:

Memor ille vetuſtae
Sortis erat (Themis hanc dederat Parnaſſia ſortem)
Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor, et hunc praedae titulum Iove natus habebit.
Id metuens, ſolidis pomaria cluſerat Atlas
Moenibus, et vaſto dederat ſervanda Draconi:
Arcebatque ſuis externos finibus omnes.
Huic quoque: vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longe tibi Iupiter abſit;
Vimque minis addit, foribuſque expellere tentat
Cunctantem, et placidis miſcentem fortia dictis,
Viribus inferior (quis enim par eſſet Atlanti

Viribus?) *At quoniam parui tibi gratia noſtra eſt,*
Accipe munus, ait: laeuaque a parte Meduſae
Ipſe retroverſus ſqualentia prodidit ora,
Quantus erat, mons factus Atlas. ———

At in ipſo montis horrore aliquam prioris humanae formae imaginem agnoverunt Poëtae, vel ſibi agnoſcere viſi ſunt; illum enim ſub ingentis ſimulacri ſimilitudine eleganter nobis obiiciunt. Ovidius paullo poſt loco citato:

——————— *Iam barba, comaeque*
In ſilvas abeunt: iuga ſunt humerique, manuſque;
Quod caput ante fuit, ſummo eſt in monte cacumen.
Oſſa lapis fiunt. tum partes auctus in omnes
Crevit in immenſum (ſic Dî ſtatuiſtis) et omne
Cum tot ſideribus Caelum requievit in illo.

Silius quoque Italicus non diſſimiliter illum nobis delineavit Lib. I. verſ. 201.

Nec patitur nomen proferri longius Atlas,
Atlas ſubducto tracturus vertice Caelum:
Sidera nubiferum fulcit caput, aethereaſque
Erigit aeternum compages ardua cervix:
Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris
Pinea ſilva premit; vaſtant cava tempora venti,
Nimboſoque ruunt ſpumantia flumina rictu.
Tum geminae laterum cautes maria alta fatigant.

Omnes vero, ut ſemper, ſupergreſſus eſt Maro noſter, quem ceteri impari ſorte videntur imitati; qui Aeneid. IV. verſ. 248. Mercurium inducit e Caelo in Atlantem prolapſum, montemque ita deſcribit:

—— *Iam-*

— Iamque volans apicem, et latera ardua cernit
Atlantis duri, Caelum qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum adsidue, cui nubibus atris
Piniferum caput, et vento pulsatur et imbri:
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.

CAPVT IX.

Atlantis situs, et regio ex Geographis describitur.

NVNC regionem, et situm Atlantis breviter perquiramus. Duplicem ipsum recenset Ptolemaeus Geograph. IV. Cap. I. longitudinis, et latitudinis gradibus adiunctis.

Atlas minor mons -- *6* -- *33.* 10.
Atlas maior mons -- 8 -- *26.* 30.

Vterque constituitur in Mauretania Tingitana, quem incolae vocant *Induacal*, seu *Autuacal:* et Libyam, et Mauretaniam ab interiore Libya separat, eique Marrocchi Regnum subest. Minor vero, quem *Eriff* nuncupant, et a maiore propagatum tradunt, eo protenditur, quo Herculis Columnae constituuntur. Fabulae tamen, quae de Atlante circumferuntur, ipsum maiorem videntur postulare. Vbi situs sit, exquirunt veteres Geographi, in primis vero Plinius Lib. V. Cap. I. *Scipione Aemiliano res in Africa gerente, Polybius Annalium conditor, ab eo accepta classe, scrutandi illius orbis gratia circumvectus, prodidit, a monte eo ad occasum versus, saltus plenos feris, quas generat Africa.*

Ad flumen Anatim CCCCLXXXV. M. *paſſuum : ab eo Lixum* CCV. M. *paßuum : a Gaditano freto* CXII. M. *paſſuum abeſſe*. Quibus ſpatiis computatis, octingentis fere paſſuum millibus a freto diſtare cognoſcimus. Haec fere habentur apud Solinum Polyhiſtor. Cap. XXVI. *A Lix abeſt quinque et cc. millibus paßuum. Lixa a Gaditano freto* CXII —— *qua ſpectat occaſum, inter ipſum et flumen Anatim* CCCCXCVI. M. *paßuum infames beſtiis ſylvae obſident.*

Hinc vero facile cognoſcitur montem Atlantem in mediterraneis quidem Africae conlocatum; ſed inclinare potiſſimum circa occiduam Africae oram, quae Atalantica, et inde Oceanus Atlanticus dictus eſt. Sed haec praecipue declarat Strabo Lib. XVII. *Extra Columnarum fretum procedenti ad ſiniſtram mons eſt in Libya, quem Graeci Atlantem vocant; Barbari vero Dyrim. Hinc iugum quoddam expoſitum eſt, extrema Mauretaniae pars Occidentem verſus, et Cotes adpellatur.* Cui conſentit Virgilius Aeneid. IV. verſ. 480.

Oceani finem iuxta, Solemque cadentem,
Vltimus Aethiopum locus eſt, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Hunc vero loci ſitum dudum cognoverat Heſiodus, qui Atlantem in ultima Heſperiae ora conlocaverat :

Atlas vero Caelum latum ſuſtinet dura ex neceſſitate
Finibus in terrae e regione Heſperidum argutarum.

Herodotus etiam in Melpomene occiduam Africae oram deſcribens, ita inquit : *Exſtat in hoc mari mons, cui nomen Atlas. Eſt autem ubique peranguſtus, et teres. Ita vero ſublimis eſſe dicitur, ut ad illius verticem oculi mortalium per-*

pervenire non poſſint. Hunc incolae Caeli Columnam eſſe dicunt. Hanc altitudinem etiam Pauſanias in Atticis indicavit: *Atlas mons adeo celſus eſt, ut vertice Caelum tangere dicatur.* Quod etiam innuit Plinius eodem Lib. v. Cap. 1. *E mediis hunc arenis in Caelum adtolli prodiderunt.*

CAPVT X.

Populi regionem illam incolentes inquiruntur.

POPVLOS, qui Atlantem incolunt, multis nominibus cenſitos video. Hos *aetherios* vocat Nonnus Dionyſ. A. ſupracitatus:

> ——— *et aetheria in terra*
> *Columnas ſubtracta fugiat conturbatus Atlas.*

Id nomen eſſe puto ab eodem fonte, a quo et Aethiopia; quam Plinius Lib. VI. Cap. 36. dictam tradit ab ΑΙΘΩ *cremare*, et Ω'Ψ *adſpectus*; eo quia ob calorem combuſtae regionis faciem referat. Pauſanias in Atticis Lib. 1. *Naſamones* adpellat: *Naſamones quidem ipſi, quos Atlantas Herodotus eſſe exiſtimavit, qui orbis terrae ſpatia noſſe profitentur, Loxitas adpellant, qui in extremis Libyae finibus Atlantem adcolunt. Serunt autem omnino nihil; ſed agreſtium tantum vitium fructu aluntur.* A Dionyſio de ſitu Orbis *macrobii* nuncupantur:

> *Aethiopes habitant Erithiam, pectore iuſti,*
> *Atlantem iuxta, longaevi:*

eos quidem Graeci *macrobios* dixerunt.

Com-

Communiori tamen vocabulo apud omnes fere Scriptores *Atlantes* audiunt, ab ipso montis nomine nuncupati. Plinius dicto Lib. VI. Cap. 30. et 31. *Vniversa vero gens Aetheria adpellata est, deinde Atlantia.* Hos vero ita incultos nobis describit Herodotus memorato Lib. IV. ut ne nomen quidem proprium singuli habeant: *A Garamantibus decem quoque dierum itinere alius collis est salis, et aqua: adcolentibus hominibus, quibus nomen est Atlantibus, solis omnium hominum, quos ipsi novimus, innominatis; nam congregati quidem vocantur Atlantes; singulis autem eorum nullum nomen imponitur. Hi Solem transcendentem exsecrantur, eique praeterea omnia convitia ingerunt, quod torridus et ipsos et regionem perdat.* Haec fere de ipsis retulit Pomponius Mela de situ Orbis Lib. I. Cap. 3. *Ab Oriente Garamantas, post Augilas, et Troglodytas, et ultimos ad occasum Atlantas audimus ..... Solem execrantur, et dum moritur, et dum occidit, ipsis agrisque pestiferum. Nomina singuli non habent, nec vescuntur animalibus, neque illis in uiete, qualia ceteris mortalibus, vivere datur.*

Praeter hos, fabulosos etiam incolas in Atlante describit Plinius eodem Lib. V. Cap. 1. *Incolarum neminem interdiu cerni: silere omnia, haud alio, quam solitudinum horrore: subire tacitam religionem animos propius adcedentium, praeterque horrorem elati super nubila, atque in viciniam lunaris circuli Eumdemque noctibus micare crebris ignibus, Aegipanum, Satyrorumque lascivia impleri, tibiarum, ac fistulae cantu, tympanorumque, et cymbalorum sonitu strepere.* At Pomponius Mela huiusmodi incolas etiam praeter Atlantem esse narrat: *Vltimos ad occasum Atlantas audimus. Intra (si credere libet) vix iam homines, magisque semiferi Aegipanes, et Blemmyes, et Gamphasantes, et Satyri, sine tectis, passim ac sedibus vagi, habent potius terras, quam habitant.*

Haec

Haec Regio usque ad Oceanum occiduum extenditur, qui ab ea Atlanticus passim nominatur. Dionysius Afer Destipt. Orb.

Circuit Oceani gurges tamen undique vastus,
Qui quamvis unus sit, plurima nomina sumit
Finibus Hesperiis, Atlanticus ille vocatur.

CAPVT XI.

Tauca de insula Atlantica delibantur.

Sed antequam historiam Atlanticam missam faciamus, operae pretium esse videtur, ut aliqua etiam de insula eiusdem nominis percurramus. Hanc, ut praemisimus, multis describit Plato in Timaeo, et rursus peculiari libro, quem inde Atlanticum nominavit. Dictam vero fuisse et ipsam colligimus ab Atlante primogenito Neptuni, qui primo in illa regnavit, ut loco proxime citato idem Philosophus indicavit. Hanc ille in Oceano eodem nomine nuncupato, praeter Herculeum fretum, conlocat, et ita in Timaeo describit: *Traditur enim vestra civitas (Athenae) restitisse olim innumeris hostium copiis, quae ex Atlantico mari profectae, prope iam cunctam Europam, Asiamque obsederant. Tunc enim erat fretum illud navigabile, habens in ore, et quasi vestibulo eius insulam, quas Herculis Columnas cognominatis: ferturque insula illa Libya simul, et Asia maior fuisse, per quam ad alias proximas insulas patebat aditus .... In hac Atlantide insula maxima, et admirabilis potentia exstitit Regum ..... Horum vis omnis una collecta, no-*

nostram, o Solon, vestramque regionem, et quidquid intra columnas Herculis continebatur, invasit .... Post haec ingenti terraemotu, ingique diei unius, ac noctis illuvione factum est, ut terra debiscens, vestros illos una omnes bellicosos homines absorberet, et Atlantis insula sub vasto gurgite mergeretur: quam ob causam innavigabile pelagus illud propter absorptae insulae limum relictum fuit.

Eiusdem insulae multiplex etiam mentio fit apud alios magni nominis Scriptores, praesertim vero apud Aristotelem in Libro de mirabilibus, qui narrat, *Gaditanos quosdam aliquando ventis iactatos, devenisse in quaedam loca deserta, alga et iunco obsita, quae minime exundatione mergerentur.* Haec quidem loca supereſſe reputabant ex iam absorpta Atlantica. Ptolemaeus vero memorat in eo mari, *insulam inaccessam:* et Strabo: *Loca, quae olim vere exstabant, postea esse deserint.* Aelianus quoque Lib. III. Cap. 18. de varia Historia, Silenum inducit, ita de ea regione cum Mida conloquentem: *Europam, Asiam, et Libyam insulas esse, quas undique Oceanus circumfluat. Continentem vero eam esse illam, quae extra hunc mundum existit, et magnitudinem ipsius immensam esse narrabat. Eos vero dicebat quondam etiam in hasce nostras insulas transire conatos, et traiecto Oceano, cum mille myriadibus hominum ad Hyperboreos convenisse.* Constans praeterea fuit veterum Aegyptiorum traditio, Osiridem subacto Oriente, atque Africa, usque ad fretum Herculeum, quem a suo nomine nuncupavit, famam aliquam audiisse de altero disiecto Orbe, qui ultra Oceanum exsisteret: quo quum ille contendisset, sibique subegisset, iterum, unde processerat, rediisse, ut multis veterum testimoniis cumulatis refer Kircherius Mund. subter. Tom. I. Lib. II. Cap. 18. Haec quum multi e re-

recentioribus obſervaſſent, ſuſpicati ſunt hanc Platonis Atlanticam inſulam eandem fuiſſe cum America, iam tunc ab Antiquis cognita; quam tamen, ob artis nauticae imperitiam, frequentare non valuerunt. Itaque quum vix cognita, eorum oculos effugiſſet, Fabulae cauſam dedit, illam terraemotu abſorptam, et inundatione dirutam, eſſe deſiiſſe: quam ſuſpicionem amplexati ſunt Ortelius, Baudrandius, atque Sampſonius, maximi nominis Geographi: inſuper et Eraſmus Schmidius peculiari Comentario diſſeruit de America, quem Pindaro ſuo adiecit. Non deſunt tamen, qui diverſam omnino terram, inter fretum, et Americam conſiſtentem, olim crediderint, cuius interitum adtribuunt eruptioni aquarum maris Mediterranei, quum perrupto Iſthmo, quo Africa, et Hiſpania olim coniungebatur, inter Abylam, et Calpen aquae altius incluſae, repentino impetu in Oceanum irruperunt: cuius rei non obſcurum argumentum nobis ſuppeditant marinorum corporum veſtigia, quae plane in ſummis montibus circa Mediterraneum ubique obſervantur: quibus dubio procul comprobatur, incluſam eius aquam altiſſime olim increviſſe, nec, niſi perrupto aditu, reſediſſe; ut latius probavimus in *Litogonia*, et rurſus in Diſſertatione *de Conchis montanis*.

At non una Atlantica inſula in Oceano ſtetit; nam et aliam enumerat Plinius Lib. VI. Cap. 31. *Traditur et alia inſula contra montem Atlantem, et ipſa Atlantis adpellata. Ab ea quinque dierum navigatione ſolitudines ad Aethiopas Heſperios, et promontorium, quod vocavimus Heſperion ceras.* Putarim ob raram eius maris notitiam, et locorum ignorationem, multas quoque eiuſdem maris inſulas communi vocabulo Atlanticas adpellatas: inter quas Heſperides piorum animabus deputatae. Euſtathius Odyſs. Δ.

Elyſius campus fuit apud Occidentales terrae fines, qui a poſterioribus dicitur etiam Inſulae Beatorum. Inſulae quidem, quia ſunt in extero mari, hoc eſt in ipſo Oceano; beatorum vero propter loci felicitatem, et beatitudinem, quae etiam per omnes eſt divulgata. Illarum quoque meminit Lucianus in Iove Confut. *In inſulis beatorum bibere cum Heroibus adcumbens in prato Elyſio.* De his plura in Diſſertatione noſtra ad Cl. Buffium data, *de Tranſvectione animarum.*

CAPVT XII.

Atlantem inſculpere Caelum ſuſtinentem, antiqua res eſt, et exemplis confirmatur.

SED iam ad marmoreum hoc Simulacrum adcedamus, eiuſque antiquitatem, fruſtra ab aliquibus impugnatam, vindicemus. Hoc vero et ipſius marmoris adſpectu facile evinci poteſt ab his praeſertim, qui longo uſu finceram Monumentorum antiquitatem, vel nullo negocio diſcernunt. His vero, quibus marmoris contemplandi copia non datur, non pauca obiiciam teſtimonia, quibus liquido evincitur, Antiquis frequens fuiſſe Atlantes Caeliferos figurare. Antiquiſſimum teſtimonium eruitur ex Pauſania in Eliacorum priore, qui ſimilem imagunculam in Cypſeli arca figuratam obſervavit: *Atlas, ut fabulis traditum eſt, humeris Caelum, et Terram ſuſtinet, idemque Heſperidum poma praefert. Equisnam vero ille ſit, qui enſe adcinctus, ad Atlantem contendit, nulla indicat inſcriptio peculiaris. Satis vero quiſ-*

quiſque per ſe coniicere poterit, Herculem eum eſſe. Id unum adſcriptum eſt:

Suſtinet axem Atlas, idemque hic mala relinquet.

Rurſus in eodem Libro illum ita depictum narrat in Templo Elei Iovis: *Inter eas Atlas eſt Caelum, et Terram ſuſtinens. Adſiſtit Hercules iam prope illum onere levaturus.* Apud Athenaeum quoque inſigne Hieronis navigium deſcriptum legimus, in quo Atlantes ſex cubitorum altitudine inſculpti erant, qui a mari ad ſummos ſcalmos exſurgentes, reliquum remigii ſpatium humeris ſuſtinebant. In quo quidem Itali Graecos imitati ſunt, qui columnarum vice, Caryatidas figuras ponderi regendo ſubſtituerunt; ac tam frequens, tamque obvius fuit mos iſte apud Italos, ut ad inſtar regulae inſtitutum fuerit in Architectura, Atlantes iſtos, ſeu Telamones pondera ſuſtinentes efformare, ut conſtat ex Vitruvio Lib. VI. Cap. 10. *Item ſi qua virili figura ſigna mutulos, aut coronas ſuſtinent, noſtri telamones adpellant: cuius rationes, quid ita, aut quare, ex hiſtoriis non inveniuntur: Graeci vero eos* ΑΤΛΑΝΤΑΣ *vocitant. Atlas enim hiſtorice formatur ſuſtinens mundum; ideo quod is primum curſum Solis, et Lunae, ſiderumque omnium ortus, et occaſus, mundique verſationum rationes, vigore animi, ſolertiaque curavit hominibus tradendas: eaque re a Pictoribus, et Statuariis deformatur, pro eo beneficio, ſuſtinens mundum: filiaeque eius Atlantides (quas nos Vergilias, Graeci autem* Πλειάδας *nominant) cum ſideribus in mundo ſunt dedicatae.*

Alterum quoque Atlantis adſpectum ex veteri pictura nobis deſcribit num. XX. in Imaginibus Philoſtratus, qui Romae floruit ſub Severo, ceteriſque Imperatoribus uſque ad

Philippum : quae quidem imago tam bene reſpondet huic noſtro marmori , ut utrumque opus ex eodem prototypo expreſſum eſſe videatur : *Cum Atlante quoque , Euryſtheo minime iubente , certavit Hercules , ut Caelum ipſo facilius laturus . Eum namque incurvatum , atque oppreſſum , genuumque alteri innixum , ac vix conſiſtentem cernebat : ſe vero , et poſſe Caelum tollere , impoſitumque ſibi diu ſuſtinere animadvertebat —— Pictus autem eſt hic quidem quaſi defatigatus , ac deficiens , ut ex manante ſudore colligere , et ex trementi brachio percipere licet .*

Hoc tamen SIGNVM ATLANTIS Caelum ſuſtinentis , quod modo cum admiratione Romae in aedibus FARNESIANIS adſervatur , unicum olim non fuit ; ſed multa ad eius ſimilitudinem inſculpta exſtitiſſe coniicio ex alio ſimili Globo marmoreo afteriſmis exornato , qui dum Romae eſſem in Aedibus Barberinis adſervabatur , bipedali fere diametro ; e cuius tamen cicatricibus conſtabat , ex alterius Atlantis dorſo revulſum fuiſſe : quo temporum iniuria detrito , praecipua haec pars tantum ſuperfuerat , quam me ſaepius adtrectaſſe , et evolviſſe memini , gypſeaſque illius ectypas effigies iterum non uno in loco adſervatas vidi . Audio praeterea hanc eandem imaginem in nummo Antonini Pii eius XX. Trib. Pot. percuſſo reperiri : quem tamen quum nunquam viderim , conſulto praetermitto .

Silentio tamen praetereunda non eſt eximia Gemma ex Schedis Bonarrotianis excerpta , quam ex penu Gemmarum Aſtriferarum ſelectam , cura et ſtudio Cl. Gorii , ad huius Libri frontem exornandam pag. 8. reſervavimus . In hac Iupiter Fulgurator , haſta , et fulmine , ceteriſque ornamentis inſtructus , adſtat arae , cui aquila inſiſtit . A tergo Atlas genibus innixus , Caelum ſuſtinet : quae omnia ad victoriam

e Ti-

e Titanibus reportatam manifeſtiſſime adludunt, ara praeſertim, et aquila; ut colligitur ex Lactantio Firmiano de falſa Religione Lib. I. Cap. II. *Caeſar quoque in Arato refert Aglaoſtenem dicere, Iovem quum ex inſula Naxo adverſus Titanas proficiſceretur, et ſacrificium faceret in littore, aquilam ei in auſpicium advolaſſe, quam victor bono omine acceptam, tutelae ſuae ſubiugavit. Huic ergo ſacrificare Iupiter potuit.* Famigerata quoque res eſt, ipſam dimicanti Iovi contra Gigantes fulmina miniſtraſſe: quod etiam teſtatus eſt Servius in IX. Aeneid. verſ. 864. Ara ipſa ad hanc victoriam adludit, ut conſtat ex Hygino Lib. II. qui caeleſtem Aram inter ſidera conlocatam deſcribens, haec habet: *In hac primum Dii exiſtimantur ſacra, et coniurationem feciſſe, quum Titanas oppugnare conarentur: eam autem Cyclopas feciſſe. Ab ea conſuetudine homines dicuntur inſtituiſſe ſibi, ut quum rem aliquam efficere cogitarent, prius ſacrificarent, quam agere coepiſſent.* In hac vero Gemma ſcitiſſimus Scalptor non modo expreſſit ipſum augurium victoriae praenuncium; verum etiam exitum, et quod illam ſecutum eſt, Titanum ſupplicium: inter quos Atlas, quod eis praeſto fuerit, ut alibi diximus, ingenti ponderi ſuſtinendo condemnatus, obſervatur.

CAPVT XIII.

Antiquitas huius Marmoris multis argumentis adſeritur, et vindicatur; quum longe ante Antoninorum tempora Conſtellationes figurari introductum ſit.

PRAESTAT etiam, ut aliqua de huius Marmoris aetate indicemus; nam dubitarunt Viri alioqui doctiſſimi, Si-

Simulacrum hoc ante Antoninorum tempora haud conſtruſ potuiſſe, ob ſignorum Caeleſtium imagines in hoc globo expreſſas, quas in globis delineari conſueviſſe ante ea tempora conſtanter negant : quod tamen an idoneis Auctoribus comprobare valeant, nec ne, mihi certe non conſtat. Occurrunt tamen non paucae coniecturae, quibus ego permotus, vehementer ſubſpicer, uſum hunc longe pridem invaluiſſe. A recentioribus incipiemus, atque inde gradatim ad remotiora tempora progrediemur. Itaque Philoſtrati aetate nemo dubitat Aſteriſmorum uſum invaluiſſe, ut clare evincitur ex eius imaginibus; quo in loco Atlantem deſcribens, haec ad propoſitum ſubdit : *Quod vero ad Caelum, quod ipſe fert, pertinet, pictum quidem eſt quale circa ipſas ſteterit umbras. Taurum autem, qui in Caelo eſt, Vrſaſque quales cernuntur, cognoſcere licet, nec non et Ventos : picti ſunt enim hi quidem inter ſe propinqui; hi vero ſeiuncti, et hi quidem mutua amicitia; hi vero, quam in Caelo habent, contentionem ſervare videntur.* In nummis etiam Alexandri Severi cernuntur Zodiaci ſigna ſub propriis imaginibus adamuſſim expreſſa.

Haec Monumenta antiquitate antecellit baſis Columnae Antoninae, in qua ſculptus eſt Orbis Genius, qui caeleſtem Sphaeram manu adtollit, circum quam Draco, qui polum Arcticum complectitur, advolutus eſt. Ipſum vero orbem cingit Zodiaci faſcia, in qua Signorum effigies, non ſecus ac in nummo Severi, expreſſae ſunt. In nummo quoque Auguſti ſignum Capricorni, quod illi adſcendens fortitus erat, inſculptus eſt : quod etiam obſervatur in pleriſque Gemmis, quas eadem aetate inſculptas eſſe conieçimus in ſuperiore Volumine. Virgilius, eiuſdem aetatis decus, ita deſcribit Aſteriſmos, ut illorum uſum

in

in verſatilibus Globis invaluiſſe non dubitemus. Sic ille Georgic. I. verſ. 244.

Maxumus hinc flexu ſinuoſo elabitur anguis,
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes aequore tingui.

Vitruvius, qui ea aetate ſcripſit, Sphaeram, ut ita dixerim, figuratam nobis peraccurate deſcribit, de illa haec adiiciens: *Quae figurata, formataque ſunt ſiderum in mundo ſimulacra, natura, divinaque mente deſignata, ut Democrito Phyſico placuit, expoſui.* Eius quoque coëtaneus Hyginus Aſtronom. Lib. I. manifeſte nobis indicat Conſtellationum ſimulacra: *Circulus Arcticus adpellatur, quod intra eum Arcturi ſimulacra, ut incluſa, perſpiciuntur: quae ſigna a noſtris Vrſarum ſpecie ficta, Septentriones adpellantur.* Quod vero ad evidentiam evincit aetate Hygini, atque Manilii in uſu fuiſſe Globos cum Conſtellationibus figuratis, illud profecto eſt, quod ſaepe enumerant aliquas Conſtellationum extremitates nullis ſtellis ornatas quas ideo praeter ſtellarum ſitum extenderunt, ut graphica imaginum integritas conſtaret: quam ſi de medio tollamus, nullum ſignum praeter ſuas ſtellas protendi concipiemus. His vero Auctoribus longe antiquius teſtimonium eruitur ex Marci Varronis fragmento in Menippaeis, quod nobis ſervavit egregius Valerius Probus, Virgilii enarrator, quod ita ſe habet:

Mundus domus eſt maxima omnium,
Quam quinque altitonae fragmine zonae,
Quam limbus pictus bis ſex Signis
Stellicomantibus altus in obliquo aethere Lunae,
Bigas acceptat, Poſtumi, cui ſe plaſia foetet.

Sed

Sed ante ea tempora Globum signis exornatum descripserat Aratus integro poëmatio, cuius Latinam versionem, atque interpretationem Germanico Caesari adtribuunt. Ita vero singula Signa graphice describuntur, et quod amplius est, propriae Fabulae singulis adiiciuntur, ut iam tunc ipsa propriis limitibus circumscripta, et inclusa, propriisque imaginibus expressa fuisse, manifeste eruatur. Immo Plinius Lib. II. Cap. 8. ubi Astrologiae initia recenset, haec de Caeli figura locutus est: *Obliquitatem eius intellexisse, hoc est, rerum fores aperuisse, Anaximander Milesius traditur primus, Olympiade* LVIII. *Signa deinde in eo Cleostratus, et prima Arietis, ac Sagittarii: Sphaeram ipsam ante multo Atlas*. Sed omnium antiquiora argumenta eruuntur ex Euripide, Sophocle, Homero, atque Orpheo, qui nonnulla ex caelestibus Signis, inter quae Syrium, et Oriona numerarunt: et in Libro Iob idem Orion, Arcturus, atque Hyades celebrantur. Sit interim Liber ille vel a Moyse conscriptus, vel Babylonicae captivitatis aetate, est sane antiquissimus: at de Salomonis aevo nulla cadit ambiguitas, qui ut habetur Sapientiae Cap. VII. 19. *Dispositionem Orbis terrarum cognovit, et anni cursus, et stellarum dispositionem*: quam postremam notitiam sine Astrothesia haberi non poterat, et hanc characteristicam fuisse censet Kircherius.

Quod vero, ut censeo, manifestissime evincit Signum hoc longe Antoninorum aetatem antecedere, illud est, quod nullum in eo Antinoi signum observetur, cum quo stellae, quae Aquilam efformabant, divisae sunt. Hunc vero novum Asterismum sub Hadriano introductum fuisse testatur Xiphilinus in eius vita, et Dio Lib. LXIX. cuius Excerpta publicavit Valesius. Hi vero unanimi testimonio tra-

tradunt novum ſidus poſt Antinoi interitum ab Aſtronomis fuiſſe obſervatum, creditumque eſſe ipſius Antinoi animam; quapropter, ut Imperatori blandirentur, ipſius Antinoi imaginem prope Aquilam ipſam conlocarunt: quam inſtitutionem poſteriorum temporum Aſtronomi conſtantiſſime ſemper retinuerunt. Quapropter, nunquam adducar ut credam, ſub Antoninis intermiſſam; ut ſummopere mirer viros ceteroquin doctiſſimos, qui huic aetati Simulacrum hoc adtribuerunt, hunc defectum non obſervaſſe.

CAPVT XIV.

Orbis Caeleſtis ab Atlante ſuſſulti in hoc Marmore diſpoſitio expenditur, rationeſque adferuntur cur Tolus Boreus fere verticalis ſit Atlanteo humero.

VBI primum in huius Simulacri adſpectum oculos defixi, non mediocriter miratus ſum de caeleſtis Orbis conlocatione; nam ita diſpoſitus eſt, ut polus Boreus fere verticaliter elevatus ſit, itaut Antarcticus dorſo Atlantis inmineat: quum enim nos, ut aiunt Aſtronomi, *Sphaeram obliquam* habeamus, quippe quia aequator horizontem noſtrum ad angulos obliquos ſecat; nullo modo Orbem concipere poſſumus polum Arcticum fere verticaliter elevando; quod iis tantum contingit, qui ſub ipſo poli rigore degunt, quique propterea *Sphaeram parallelam* habere dicuntur; nam illis aequator parallelus eſt ad eorum horizontem: mihique videbatur, ut ad Atlanticam allegoriam perfecte ſervandam debuiſſet Artifex polos horizon-

taliter disponere, ut *Sphaera recta* haberetur; quum enim concipiamus Atlantem fere sub aequatore caput Caelo sustinere, debuerat Sphaera ad illam loci positionem dirigi, ut aequator ad angulos rectos incideret in horizontem, qui Sphaerae status Atlanticis populis, aliisque, qui sub eodem aequatore degunt, adsignatur. Quapropter conveniebat, ut Atlas eo statu nobis Sphaeram repraesentaret, quo illam eius capiti impositam intellectu concipimus.

Verum enim vero quum circulum *semper adparentium* diligenter observassem, et ex eius amplitudine, cuius semidiametros fere est graduum XL. (si tamen in minutis hisce supputationibus fidendum est nostro huic schemati non adeo diligenter excepto) cognovi Sphaeram directam esse ad parem Borealis poli elevationem, quam in animo habuit ingeniosus Sculptor, qui non in gratiam Atlantidum, sed Graecorum, atque Italorum hanc Sphaeram insculptam illorum ingenio, atque oculis subiiciebat. At nihilominus difficultas illa mea minime tollebatur; nam in eadem quoque hypothesi elevationis graduum XL. polus Arcticus, plus quam par erat, elevatum videbatur; adeo ut aequator obliquos angulos acutissimos cum horizonte describeret; ampliores vero circulus rectae adscensionis, a quo sectio verni aequinoctii definitur, ita ut nullo pacto videretur polum Arcticum summam fere Caeli partem obtinere debuisse.

At artificio huius Marmoris diligentius examinato, facile cognovi cautissime Sculptorem processisse; nullam enim horizontis rationem habuit, sed potius Physicum rei statum respexit, ut quodammodo imperfectionem artis Astronomicae, quae ea aetate manca habebatur, studiose occultaret. Conitat enim Antiquos oppositа nobis signa, atque in circulo nunquam adparentium comprehensa, penitus

nitus ignoraſſe, ut miraculi inſtar haberetur, ſi quando Aegyptum praetergreſſi, Aſtrum Canopi in temone Navis Argo conlocatum, de quo Plinius Lib. VI. Cap. 22. ignotum nobis obſervaſſent. Quo reſpexit Virgilius Aeneid. VI. verſ. 796.

——————— Iacet extra ſidera tellus,
Extra anni, Soliſque vias, ubi caelifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Et Lucanus:

Aethiopumque ſolum, quod non premeretur ab ulla
Signiferi regione poli, niſi poplite lapſo
Vltima curvati procederet ungula Tauri.

Vt vero Sculptor hoc Aſtronomiae detrimentum occultaret, totum circulum nunquam adparentium ita humeris, et cervici Atlantis adcommodavit, ut ex quadam ſculpturae neceſſitate, quae demonſtrari non poterant, obvelaret.

Haec tamen induſtria non in hoc tantum, ſed et in ceteris Atlantis ſimulacris adhibita eſt; nam non aliter nobis deſcribuntur, quam quod axem verticaliter diſpoſitum ſuſtinerent, polumque Arcticum in ſublime poſitum, oſtentarent. Virgilius Aeneid. IV. verſ. 481.

Vltimus Aethiopum locus eſt, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Et Ovidius Metamorph. II. verſ. 297.

——————— Atlas en ipſe laborat,
Vixque ſuis humeris candentem ſuſtinet axem.

Et Lib. XI. verſ. 175.

——————— mihi maximus Atlas
Eſt aevas aetherium, qui fert cervicibus axem.

Et Pauſanias, ubi in Atticis Arcam Cypſeli deſcribit:

Suſtinet axem Atlas, idemque hic mala relinquet.

Quod adeo obtinuit, ut quum aquilonarem plagam nobis indicare vellent, illam tanquam Caeli verticem deſcripſerint. Aratus in Phaenomenis:

——— pars merſa ſub undis
Oceani, pars celſa ſub horrifero Aquilone.

Et Virgilius Georgic. I. verſ. 242.

Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Maneſque profundi.

Auctoritas Mythologiae hunc uſum confirmavit: quum enim, ut ſaepe diximus in Notis ad GEMMAS ASTRIFERAS, putarent in ea Caeli plaga virorum principum animas conlocari; convenientiſſimum videbatur, ut illam maxime in eorum honorem adtollerent, ut quodammodo ex ſumma caeli arce Romanum Imperium deſpicerent ſimul, et tuerentur. Nec obſtat, Poëtas aliquando pro axe, aut polo Caelum intellexiſſe: quum enim potiſſima ſubſit ratio, cur litteraliter de polo intelligerent; inane videtur ad tranſlatos ſenſus recurrere.

CAPVT XV.

Diſtantiae, et latitudines circulorum huius Globi ſcrutantur, et cum recentioribus comparantur.

QVAE hactenus diximus manifeſta fiunt ex huius Globi Tabula III. in qua polus conlocatus eſt in ver-

vertice A. circa quem describitur Circulus semper adparentium L. m. n. cuius semidiametros, ut diximus, est graduum XL. quoto spatio polus ab horizonte rationali adtollitur, et ad cuius elevationem dispositа videtur haec Sphaera; adeo ut videatur antiquum Sculptorem in ora Tarentina versatum esse, atque ad illius longitudinem hunc Globum adcommodasse: est enim fere graduum XL. vel XLI. Quapropter horizon in hac Sphaera ducendus esset a puncto L. in oppositam partem Circuli nunquam adparentium, qui in hac Tabula occultatur; polus vero eclipticae constituendus esset inter A, et L in medio sinu Draconis, distans gradibus XXIII. m. 29. a polo Boreo A.

Antiquiores Astronomi Circulum polarem multo ampliorem, quam quod apud nos habeatur, extendebant. Vt enim placet Hygino Lib. I. ambae Vrsae in ipso inclusae habebantur: *Circulus Arcticus adpellatur, quod intra eum Arcturi simulacra, ut inclusa, perspiciuntur: quae signa a nostris Vrsarum specie ficta, Septentriones adpellantur.* Sed magis praecise eius amplitudinem taxavit per haec verba eodem Lib. I. *In triginta partes unumquodque Hemisphaerium dividitur — Deinde ab eodem principio Boreo, sex partibus ab utraque ex utraque finitione sumptis, circulus ducitur, cuius centrum ipse est polus finitus: qui Circulus, Arcticus adpellatur.* Hanc eandem mensuram retinuit Manilius Astronom. Lib. I. vers. 364.

Circulus ad Boream fulgentem sustinet Arcton,
Sexque fugit solidas a Caeli vertice partes.

Hae vero partes constabant singulae ex sex gradibus: quapropter poli Arctici semidiametros constitit Antiquis ex gradibus XXXVI. quum nobis non excedat gradus XXIII.

et

et min. IX. quotis distat polus eclipticae a polo Mundi. Ratio tamen cur Antiquis latius pateret Circulus Borealis, ea fuit, quod apud ipsos tota illa regio Septentrionalis, quae intra gradus XL. comprehenditur, si numerationem a Polo incipiamus, vel inhabitabilis, vel ignota haberetur: quum vero deinde frequentari a nobis coepta sit, in angustiora spatia oportebat coarctari. In hoc autem Marmore Sculptor Polos praetermisit, et illorum vice Circulos adparentium, et non adparentium substituit; quia quum in suppositа Poli elevatione fere cum polaribus Circulis, iuxta eius aetatis suppationem convenirent, unico signo duplex officium explevit.

Sed haec differentia Circuli Borealis inter antiquum, et recentem Globum, haud magni momenti, aut usus censetur; nam Geographos potius, quam Astronomos tangit. At non sic de diversa Zodiaci declinatione, quae certis quibusdam, ac manifestis signis demonstratur. Tropicorum distantiam Antiqui in partibus octo constituebant, et sic in gradibus XLVIII. et propterea spatio graduum XXX. utrumque Tropicum a polis distare constituerunt. Ita ad rem Hyginus loco citato: *Ab hoc Circulo (polari) de reliquis partibus quinque sumptis, Circulus ducitur, qui* Θερινὸς τροπικὸς *adpellatur. Ab hac Circuli significatione, quatuor de reliquis partibus sumptis, ducitur Circulus Aequinotialis.* Idem quoque colligitur ex Manilio loco citato vers. 567.

Alter ad extremi decurrens sidera Cancri,
Et quinque in partes Aquilonis distat ab orbe.
Tertius in media Mundi regione locatus,
Quattuor et gradibus sua fila reducit ab aestu.

Huic partitioni perfecte respondet noster hic Globus; nam

nam Tropici distant ab aequatore $\frac{4}{60}$, proptereaque gradibus XXIV. quum recentibus observationibus compertum sit utrumque Tropicum ab aequatore distare grad. XXIII. min. 29. quotis distat polus eclipticae a polo Mundi: hinc totalis declinatio eclipticae, iuxta recentes observationes, differt ab antiqua grad. 1. $\frac{2}{60}$, rursus vero distantia Tropicorum a circulis polaribus, quae ab Antiquis numerabatur in gradibus XXX. a recentioribus vero computatur in gradibus XLIII. min. 2. $\frac{2}{60}$.

Alteram demum discrepantiam intervenire intelligimus inter antiqui Globi, et recentis partitiones; nam Antiqui adsignabant latitudini Zodiaci gradus tantummodo XII. qualis adparet in globo Atlantico; quum novis observationibus compertum sit eius latitudinem esse pariter graduum XVIII. min. 4. proptereaque veterem excedere gradibus VI. $\frac{4}{60}$, quod praecipue cognoscitur a maximo Veneris recessu, quem Antiqui minime adsecuti sunt.

Supersunt declarandae quatuor maiorum Circulorum sectiones, quae in Tabula III. IV. V. et VI. totum Globum sursum deorsum in duas partes dividunt a polo Arctico ad Antarcticum, quique propterea Zodiacum in quatuor partes obliquas secant: ceteros vero quinque circulos parallelos ad angulos rectos dividunt. Hos Graeci *Coluros*, hoc est *sustentatores* adpellant. Horum officium est quatuor anni tempora determinare in locis, ubi per puncta aequinoctialia, et solstitialia transeunt. Sic in Tabula III. sectio a B. ubi intercedit eclipticam in primo Arietis gradu, Aequinoctium vernum constituit, nempe mense Martio; tunc enim ecliptica aequatorem intersecat: ubi vero, ut in Tabula IV. eclipticam secat in Tropico Capricorni, Solstitium efficit aestivum, diesque longissimos,

et

et aeſtatem inchoat menſe Iunio : dein vero iterum occurrens , ut in Tabula V. A. et B. eclipticae , quae lineam aequinoctialem adtingit , in primo gradu Librae , quod menſe Septembri evenit , iterum Aequinoctium autumnale efficit . Quum demum , ut in Tabula VI. eadem ſectio A. B. eclipticam adit ad remotum Capricorni Tropicum recedentem , nempe menſe Decembri , Solſtitium hiemale conſtituit , dieſque omnium breviſſimos .

Circulus vero rectae adſcenſionis , qui horizontis loco eſt in Sphaera recta , proindeque recta Stellarum adſcenſio inde determinatur , in primo Arietis gradu aequatorem ſecare concipitur . Sed maxime in hoc differt Sphaera vetus , et nova , quum ob *praeceſſiones* Aequinoctiorum , ut a Copernico nuncupantur , ab Eudoxi tempore ad Ptolemaeum , notabiliter ea linea ſitum mutaverit , multoque magis inde ad hanc uſque aetatem receſſiſſe videatur . Eius *praeceſſionis* ea cauſa adſignatur , quod axis terrae directionem ſenſim inmutet , et tardiſſimo quodam motu annorum Aegyptiorum 25816. circa polos Zodiaci contra Signorum ſeriem , hoc eſt ab Ortu in Occaſum deſcribat , cuius diametros ſit grad. XXIII. et XL. inde vero fieri oportuit , ut mutuae aequaturis , et eclipticae interſectiones , vel puncta aequinoctialia ſimili motu contra Signorum ſeriem in praecedentia ab Ortu ſcilicet in Occaſum aliquantum quolibet anno transferantur . Hinc ſequitur aequinoctialia puncta ſenſim declinare , et loco moveri ; conſtat enim Eudoxi aetate , hoc eſt CCCXXX. annis ante Chriſtum , Aequinoctii verni punctum , hoc eſt interſecationem eclipticae cum aequatore , conſtitiſſe in prima Arietis ſtella . Inde vero ad Ptolemaei aetatem , hoc eſt anno Chriſti CLII. quum ea ſtella inde receſſiſſet verſus Orientem , ſpatio graduum 7. $\frac{3}{4}$

ut

ut aliquibus viſum eſt, ſeu potius grad. VI. et XLI. ut inito calculo demonſtravit Caſſinius in Hiſtoria Pariſienſis Academiae MDCCVIII. ad eum uſque annum, a prima Arietis iam per gradus XXIX. declinaverat; adeout ſingulis ſeptuaginta annis integrum gradum conficiat, ac propemodum iamiam Aequinoctium vernum integro ſigno ab Ariete diſtet, et Piſces ſubeat; adeo ut ad Caeli partitionem retinendam, opus fuerit duplicem Zodiacum inducere, *rationalem* quidem unum, in duodecim aequas partes conſtanter diviſum, et *inviſibilem*, quorum nec aequae partes ſunt, neque in eodem ſitu, nec numero conſtantes; nam, ut praemiſimus, nonniſi undecim aliquando computatae ſunt, et quorum puncta pro tropicis adfigendis ob enunciatas praeceſſiones fallacia eſſe deprehenduntur. Ceterum magni momenti fuerat differentias haſce inter utrunque Globum antiquum, et recentiorem adnotare, ut quantum poſteri profecerint cognoſcamus. Inde etiam ratio eruitur cur pleraeque Conſtellationes in hoc Marmore proprium locum vel excedant, vel ab eo retrahantur: quum enim circulorum diſpoſitio mutata ſit, conſequens fuerat antiquam poſitionem cum recentiore non convenire; quas diſcrepantias, ubi de iis ſingillatim agendum erit, proſequemur.

CAPVT XVI.

Aſteriſmi in hoc Globo conſpicui numerantur; deficientium vero cauſa ſpeculatur.

SVPEREST, ut ſingulos aſteriſmos in huius Globi ſuperficie deſcriptos enumeremus, atque cum aliis iam

vulgatis conferamus. Horum Antiqui XLVII. tantum agnoverunt, ex quibus XX. parti Septentrionali adſignaverunt, ceteros Meridionali. Nunc eos, qui in hoc FARNESIANO GLOBO obſervantur per ſingulas Tabulas, expendamus.

TABVLA III.

1. Cepheus
2. Caſſiopea
3. Andromeda
4. Perſeus
5. Heniochus
6. Cycnus
7. Pegaſus
8. Delphin
9. Piſcis Boreus
10. Aries
11. Taurus
12. Gemini
13. Orion
14. Eridanus
15. Cetus
16. Piſcis Auſtralis

TABVLA IV.

1. Cancer
2. Leo
3. Virgo
4. Canis maior
5. Navis
6. Hydrus
7. Vas
8. Corvus
9. Centaurus
10. Lepus
11. Cathedra Caſſiopeae

TABVLA V.

1. Bootes
2. Corona Borea
3. Hercules
4. Serpentarius
5. Libra
6. Scorpius
7. Lupus
8. Ara
9. Corona Auſtralis

TA-

TABVLA VI.

1. Sagittarius
2. Capricornus
3. Aquarius
4. Aquila
5. Lyra
6. Draco.

Hinc videmus Conſtellationum numerum adſcendere ad XLII. pluresque praetermiſſas, quae etiam ab Antiquis indubitanter numerabantur, inter quas hae ex Vitruvio ſupplendae ſunt.

1. Vrſa maior
2. Viſa minor
3. Sagitta
4. Equuleus
5. Canis minor

Has ſi cum praecedentibus ſupputemus, integrum numerum, atque communem XLVII. Conſtellationum completum obſervabimus. Cauſſam vero huius defectus tribuimus detrimento Marmoris, quod in ſumma parte turpiter labefactatum eſt, ubi ea Signa conſtare debuerunt. Praeterea occultatur ſub dextera Atlantis manu Canis minor: Sagitta vero, quum Aquilae haereat circa ſiniſtram alam, facile cum eodem Signo confuſa eſt; quod et Equo minori contigit, qui quum maiori ſubiiciatur, facile eſt duo Signa in unum coaluiſſe. Si vero huius noſtri Globi Conſtellationes comparemus cum illis, quae ab Hygino numerantur, ſuperabundare in ipſo obſervabimus ſignum *Deltoton*, quod in noſtro Globo vel excidit, vel omiſſum eſt. At contra, quae in hoc obſervantur, et apud Hyginum deſunt, haec ſunt:

1. Vas
2. Corvus
3. Lupus
4. Corona Auſtralis
5. Cathedra Caſſiopeae
6. Libra

quam Hyginus, Antiquorum morem ſequutus, cum Scorpio confundit ; nam Aegyptii , atque Chaldaei XI. tantum Zodiaci Signa cognoverunt : quapropter Ovidius de duplici hoc Signo ait :

Porrigit in ſpatium Signorum membra duorum .

Lupum praeterea deeſſe nihil mirandum eſt , quum Antiqui eius ſtellas Centauro adiunxerint . Cathedra vero Caſſiopeae in hoc Globo ſupra Cancrum conlocatur , ubi in ceteris decurrit Eridanus , neque ab ipſa Caſſiopea diſcretus eſt . Ceterum , quod praetermittantur ab Hygino Vas , Corvus , et Corona Auſtralis , quum e contra a Manilio numerentur ; id adtribuo veterum Codicum interpolationi , quum haud facile credi poſſit Scriptorem ceteroquin adcuratiſſimum memoria lapſum eſſe . Antinoum praeterea fruſtra quaerimus in hoc Globo ; ut enim auctoritate Xyphilini ſupra Cap. XIII. adnotavimus , ille ſub Hadriano Principe inter ſidera relatus eſt , detractis a conſtellatione Aquilae duodecim ſtellis , quae illi adtributae ſunt .

CAPVT XVII.

Mythologice deſcribitur tota Aſtrotheſia , ut in Tabula III. et ſingularum Conſtellationum diſpoſitio cum recentibus Globis comparata expenditur .

I. CEPHEVS : *Hunc Euripides cum ceteris , Phoenicis filium , Aethiopum Regem , eſſe demonſtravit , Andromedae patrem , quam ceto propoſitam notiſſimae hiſtoriae dixerunt : hanc*

hanc autem Perſeum a periculo liberatam uxorem duxiſſe. Itaque, ut totum genus eorum perpetuo maneret, ipſum quoque Cephea inter ſidera numeraße. Ita Hyginus Aſtronom. Lib. II. 9. cui adſentitur Aratus in Phaenomenis:

Iaſides etiam Caelum cum coniuge Cepheus
Aſcendit totaque domo; quia Iupiter auctor
Eſt generis ———————

2. CASSIOPEA. De illa Hyginus haec tradit loco citato: *Vt gloriata ſit ſe forma Nereidas praeſtare: pro quo facto inter ſidera ſedens in ſiliquaſtro conſtituta eſt; quae propter impietatem, vertente ſe mundo, reſupinato capite ferri videtur.* Hanc Lib. III. ampliorem deſcribit, quam quod heic adpareat, et revera ſit: *Effigies autem corporis ad aeſtivum circulum pervenit, quem capite, et dextra manu tangit.*

3. ANDROMEDA. *Haec dicitur Minervae beneficio inter aſtra conlocata, propter Perſei virtutem, quod eam coeto propoſitam a periculo liberarit.* Hanc inter polarem circulum, atque tropicum Cancri conſtituunt recentiores Aſtronomi, ſiniſtro tantum illius brachio excepto, quod verſus aequinoctialem protendunt; at in hoc Globo, pectore tenus, ad aequatorem producitur.

4. PERSEVS. Clarum ipſum reddidit, praeter cetera facinora, de Gorgonibus reportata victoria. Hinc conſecratus, in Caelo

Suaſque Perſeus aureas ſtellas habet.

Seneca loco citato, et Aratus:

Tantus ut ille micat, tantum occupat ab Iione Caeli
Dextra ſublata ſimilis prope Caſſiopeam
Sublimis fulget, pedibus properare videtur,
Et velle aligeris purum aethera tangere palmis.

Hu-

Huius ſiniſtrum crus , et humerum laevum circulus aeſtivus a reliquo corpore dividit : ipſe manu dextra Arcticum circulum tangit , ut ait Hyginus Lib. III. Neutrum tamen recentioribus probatum eſt , qui illi tantam amplitudinem non adtribuunt : revera , nec in hoc Globo , ſiniſtrum crus praeter tropicum protendit .

5. HENIOCHVS . dubium , ſit ne Erichthonius :

Quem primum curru volitantem Iupiter alto
Quadriiugis conſpexit equis , caeloque ſacravit .

Manilius Lib. I. verſ. 363. de quo rurſus Hyginus Lib. II. ſeu potius iuxta Aratum in Phaenomenis :

——————— *vix totas demerſus in undas*
Diptilos hunc potius ſpecies in ſidera reddit .

Hunc nos Aurigam latine dicimus nomine Erichthonium , quem Iupiter quum vidiſſet , primum inter homines equos quadrigis iunxiſſe , admiratus eſt ingenium hominis , ad Solis inventa adceſſiſſe . Eius deſcriptio , quam eiuſdem Lib. III. habemus , recentibus obſervationibus reſpondet : *Huius dexter pes Tauri corno ſiniſtro ſtella coniungitur* . In Marmore vero noſtro aliquantulum a Tauro recedit .

6. CYCNVS :

Proxima ſors Cycni , quem Caelo Iupiter ipſe
Impoſuit formae pretium , qua cepit amantem .

Manilius Lib. I. v. 337. nam fabulantur eſſe inter ſidera conlocatum ; quod ſub eius forma Nemeſin vitiaverit , ut etiam ex Hygino accipimus . *Siniſtram eius alam habet paululum extra circulum aeſtivum ; aeſtivus autem circulus roſtrum eius a reliquo corpore dividit :* ut habetur apud eundem Aſtronomum

nomum Lib. III. quae omnia respondent in hoc Atlantico Marmore : at non sic in recentiori partitione , cuius rationem suo loco adduximus ; nam ampliore spatio invicem a se recedentibus polari circulo , et tropico , Cycnus apud nos neutrum tangit .

7. PEGASVS . Adcensitum fuisse sideribus , quod pedis ictu Heliconem fontem excitaverit , tradit Aratus :

Vertice cum summo nondum decurreret unda
Museos fontes dextri pedis ictibus hausit .
Inde liquor genitus , nomen tenet Hippocrenem .
Fontes nomen habent , sed Pegasus aethere summe
Veloces agitat pennas , et sidere gaudet .

Hic : *pedibus aestivo orbe niti , extremo ore caput Delphini tangere videtur :* ut scribit Hyginus in III. In recenti vero Globo aestivum circulum pedibus transcendit, et a Delphino aliquantulum recedit; nam inter utrumque *Equus minor* interpositus est .

8. DELPHIN . De eo Manilius Lib. I. vers. 346.

Tunc quoque de Ponto surgit Delphinus ad astra,
Oceani Caelique decus , per utrumque sacratus :
Quem rapido conatus Equus comprendere cursu
Festinat , pectus fulgenti sidere clarus .

Hyginus in II. id honoris illi adtribuit auctoritate Eratosthenis , quod nuptias inter Neptunum , et Amphitriten conciliaverit ; in III. vero Libro eius caudam ad aequinoctialem usque circulum producit ; quamquam in nostris Globis , per multos gradus inde recedat . Hoc etiam in Marmore hoc Atlantico observatur .

9. PISCIS BOREVS . Ferunt Venerem cum Cupidine, quum

quum Typhonis Gigantis iram fugeret, in Euphrate piſcium figuram accepiſſe, atque ita periculum evaſiſſe, ut narrat in II. de Stellis Hyginus. Ex his, qui Boreus nuncupatur, deſcribitur ab eodem Hygino in III. inter aequinoctialem, et aeſtivum circulum; cui deſcriptioni reſpondet noſtrum Marmor. At ſecundum recentes Aſtronomos caput paene totum ab aeſtivo circulo producit verſus Boream.

10. ARIES. Hunc principem vocat Manilius in I. verſ. 263.

Aurato princeps Aries in vellere fulgens:

cuius dignitatis rationem adſignat Macrobius in Somn. Scip. Lib. I. Cap. 21. *Hanc autem rationem iidem illi cur Arietem, quum in Sphaera nihil primum, nihilque poſtremum ſit, primum tamen dici maluerit, prodiderunt. Aiunt, incipiente die illo, qui primus omnium luxit, ideſt quo in hunc fulgorem Caelum, et Elementa purgata ſunt, qui ideo Mundi natalis iure vocitatur, Arietem in medio Caelo fuiſſe.* Hic aliquando Hellen per mare cum Phryxo detulit: illa vero, quum in mare delapſa interiiſſet, nomen Helleſponto fecit. Ovidius Triſt. III. Eleg. XII. verſ. 3.

Impoſitamque ſibi, qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis aequa diurna facit.

Quum vero Phryxum incolumem deduxiſſet, ipſe gratiam Arieti referens, mactatum Iovi ſacrificavit. Aureum vero vellus, futurum aliquando Argonauticae expeditionis argumentum, eidem Iovi in Templo dedicavit. At aequior Iupiter Arietem non modo locavit in Caelo; ſed etiam Zodiaci anteſignanum eſſe voluit.

11. TAVRVS :

Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis,
Navita, quas Hyadas, Graius, ab imbre vocat.

Ovidius Faſtor. V. verſ. 165. ſed non Hyadas tantum, quinimmo et Pleiadas in hoc ſigno conſiſtunt, cum geminis aliis ſtellis, quas, a parentum nomine *Atlantem*, et *Pleionem*, nuncupant Aſtronomi. Quapropter haec conſtellatio tota Atlanticae Familiae addicta eſt. Haec quum bene noſſet ingenioſus huius Marmoris Sculptor, ſupra frontem Atlantis id ſignum conlocavit, ut primo obtutu ſpectatoribus occurreret. Taurum ad eam dignitatem evectum tradit Euripidis auctoritate noſter Aſtronomus in II. quod Europam in Cretam adduxerit : quem ſequutus eſt Seneca in Herc. Fur. Act. I. Sc. I.

Hinc, qua tepenti vere laxatur dies,
Tyriae per undas vector Europae nitet.

Quod pertinet ad eius poſitionem, placuit Antiquis Aequinoctium eius genua interſecare : quod praeter Hyginum, hoc etiam Marmor declarat. At noſtris Aſtronomis totus fere inter aequatorem, et aeſtivum circulum conſiſtit, excepto cornu Boreo ; immo nec ipſum aliqui excipiunt, qui clavam in eius cuſpide locatam Aurigae adſignant.

12. GEMINI :

Hinc clara Gemini ſigna Tyndaridae micant,
Quibuſque natis mobilis tellus ſtetit.

Capita eorum a reliquo corpore dividit nobis aeſtivus circulus : quam opinionem etiam Hyginus ſequutus eſt, ſtellaſque clariſſimas, unam in capite Caſtoris, alteram in

collo Pollucis, *Apollinem*, atque *Herculem* nominant. At in Marmore Farneſiano Pollux, qui ex Geminis Auſtralis eſt, vix media cervice aeſtivum circulum exſuperat.

13. ORION:

Hic ferro minax terret Orion Deos.

Seneca loco citato. Multa de eius exortu fabulantur. Hyginum tamen in II. Ovidius ſequutus eſt, qui Faſtor. V. ex trium Deorum urina in corium vitulinum iniecta, refert fuiſſe procreatum. Hinc Dianae comes adiunctus, illam a Scorpii ictu vindicavit, quo peracto,

——————— *Latona nitentibus aſtris*
Addidit, et meriti praemia, dixit, habe.

Illum graphice deſcribit Manilius in Lib. I. verſ. 377.

Cernere vicinum Geminis licet Oriona,
In magnam Caeli tendentem brachia partem.

Tribus ſtellis clariſſimis in cingulo exornatur; quarum prima aequinoctialem ſignat tam in antiquis, quam in recentibus Globis.

14. ERIDANVS. Hunc alii Nilum, alii Oceanum eſſe tradiderunt, quem ſui vaſtitate imitatur; nam a Tauro ad Hydrum extenditur, et a polo Auſtrali ad aequatorem, de quo Aratus:

Huius pars undae laevum ferit Orionis
Lapſa pedem procul amotis, qui Piſcibus uſus
Vincula conjectat, nodus criſtam ſuper ipſam
Aequore Piſtris adit. ———————

15. CETVS. *De hoc dicitur, quod a Neptuno miſſus ſit*

ſit, ut Andromedam interficeret; ſed a Perſeo ſit interfectus: ſed propter immanitatem corporis, et virtutem inter ſidera conlocatus. Fabulam videre eſt poſt Hyginum apud Ovidium quoque Metamorph. IV. Cetum vero ita deſcribit nobis Manilius Lib. I. verſ. 423.

Quam propter Cetus convolvens ſquammea terga
Orbibus inſurgit tortis, et fluctuat alvo:
Intentans morſum, ſimilis iam iamque tenenti,
Qualis ad expoſitae fatum Cepheïdos undis
Expulit adveniens ultra ſua littora pontum.

Hunc medium dividit Hyginus hiemali circulo, eamque poſitionem Auctor noſtri Marmoris imitatus eſt; nobis vero eam lineam minime excedit.

16. PISCIS AVSTRALIS. Hunc alio nomine Notium ex adpellatione venti, ad quem deflectit, nuncupant. Interſecatur vero nobis ab aequatore; quamquam Hyginus non aequatori ſubiectum, ſed proximum eſſe tradat. In noſtro quoque marmoreo Globo, vix aequinoctium tangit, a quo per medium diſſecari debuiſſet.

CAPVT XVIII.

Aſtrotheſia Tabulae IV. per partes explicatur.

1. CANCER. Huius ſigni originem ita recenſet Lib. II. Hyginus: *Dicitur Iunonis beneficio inter aſtra conlocatus; quod, quum Hercules contra Hydram Lernaeam conſtitiſſet, ex palude pedem eius mordicus adripuiſſet etc.* Hunc

medium dividit aeſtivus circulus , ut eidem Aſtronomo placuit. Nec inde receſſit Auctor Atlantis , et Aſtronomi recentiores .

2. LEO. Ex quo ab Hercule in Nemee confoſſus fuit, eius animam demiſſam in Infernum fabulatus eſt Theocritus in *Hercule Leonicida* . At contra Hyginus in hanc Caeli partem eam evectam , et ſideribus ornatam tradidit ; putavitque per medium ab aeſtivo circulo ſcindi , qualis propemodum in orbe Farneſiano ſculptus eſt . At nobis vix media cervice ab eo circulo ſegregatur .

3. VIRGO . Alii alio nomine illam adpellant : ut plurimum vero conveniunt Aſtream eſſe , quae in prima hominum aetate in terris verſabatur :

At poſtquam argenti crevit deformior aetas ,
Deſeruit prope terras iuſtiſſima Virgo ,
Et Caeli ſortita locum , qua proximus illi
Tardus in Occaſum ſequitur ſua plauſtra Bootes .

Hanc circulo aeſtivo coniunctam nobis repraeſentat Hyginus : at in Atlante Farneſiano inter eumdem circulum, atque aequinoctialem conſtituitur ; quamquam nobis ab hoc ultimo interſecetur .

4. CANIS MAIOR . Hic quondam Europae datus cuſtos, in dominium ceſſit Procridis , quod venationis ſtudioſiſſima haberetur , cuius ſignum

Cum tetigit Solis radios adcenditur aeſtas :

ut cecinit Aratus . Aetate Hygini per eius poſteriores pedes hiemalis circulus ducebatur . Verum in noſtris Tabulis ea linea Canis pectus interſecat , eamdemque opinionem Auctor huius Marmoris amplexatus eſt ; ſed non ex hoc

uno

uno loco conſtat Sculptorem noſtrum Hygini ſcientiam antecelluiſſe, quum in multis, in quibus ille erraverat, noſtris obſervationibus hoc Marmor proxime ad verum adcedat.

5. NAVIS. De ea Manilius Lib. I. verſ. 402.

Tum nobilis Argo
In Caelum ſubducta, mari quod prima cucurrit;

nam a Iaſone conſtructa intentatum adhuc mare ſubegit. Huius puppim hiemalis circulus ſecat, in quo cum Hygino, et Farneſiano Marmore recentes etiam conſentiunt. At non ſic de inferiori carina, quae iuxta veteres circulo antarctico innititur; qui tamen, quum nobis contractior ſit, ut alibi dictum eſt, longius ab eo limite illa recedit.

6. HYDRVS. Hunc Apollo in Caelum conlocavit, ut Corvo ſuperexſtanti potum in proximo cratere prohiberet: poenas de ipſo ſumens, quod aliquando cum poculo miſſus ad aquam in uſus ſacrificii hauriendam, ficus immaturos adortus, eo uſque moratus eſt, donec matureſcerent. Fabulam videre eſt apud Hyginum, qui conſtellationem hanc inter aequinoctialem, et hiemalem circulum includit; ita tamen, ut praeter aequinoctium, caput protendat ad circulum aeſtivum; cui deſcriptioni reſpondet hic noſter Globus: at recentioribus ita ſub Corvo ſinuatur, ut poſtremum eius volumen hiemalem circulum traſgrediatur, ubi tribus ſtellis ornatum cernitur.

7. VAS, ſeu CRATER. Huius conſtellationis origo ex ſuperiore fabula eruitur. Illius diſpoſitio, quae tangit manubrio aequinoctium, recentiorum Tabulis adprime reſpondet.

8. CORVVS. De hoc dictum ſupra, ubi de Hydro ſermonem habuimus.

9. CEN-

9. CENTAVRVS ; de quo Manilius in I. verſ. 408.

——— Duplici Centaurus imagine fulget,
Pars hominis, tergo pectus commißus equino.

Chironem eſſe finxerunt Centaurorum iuſtiſſimum, et ſapientiſſimum, a quo Achilles, et Aeſculapius educatus eſt; at fortuito ſagittae caſu, ab Hercule in pede ſauciatus, occubuit, et a Iove ob virtutes egregias in Caelo conlocatus eſt, ut ſaepe citatus Hyginus enarrat : qui eum, uti revera eſt, inter Antarcticum polum, et hiemalem circulum includit; at in Globo hoc Atlantico a ſcapulis hunc limitem excedit.

10. LEPVS. Canem Orionis fingitur devitare, quanquam aliis placuerit, ut refert praelaudatus Hyginus, inter aſtra fuiſſe conlocatum ob memoriam vaſtationis, quam lepores in immenſum propagati in inſula Lero adtulerunt. In marmoreo hoc orbe pedibus inſtat hiemali circulo, quemadmodum in noſtris obſervatur ; at Hyginus illum adeo deprimit, ut inferiorem partem corporis ab eo circulo dividi oſtendat.

11. CATHEDRA CASSIOPEAE. De hoc ſigno penitus diſſito ab altero ipſius Caſſiopeae apud Aſtronomos, quos hactenus vidi, altum ſilentium eſt. Quum tamen Antiqui maiorem Arcton in circulo polari penitus incluſerint, credibile ſit ex quatuor ſtellis, quae pedem priorem Vrſae exornant, conſtellationem hanc effeciſſe ; ſitus quippe, et forma non diſſentiunt.

CA-

CAPVT XIX.

Aſtrotheſia Tabulae V. enucleatur.

1. BOOTES. Hunc ita delineat Manilius in I. verſ. 316.

A tergo nitet Arctophylax, idemque Bootes,
Quod ſimilis iunctis inſtat de more iuvencis;
Arcturumque rapit medio ſub pectore ſecum.

Hunc Arcadem eſſe tradunt Caliſtûs, et Iovis filium, qui cum matrem in Vrſae ſpeciem converſam inſectaretur, a Iove in Caelum una rapti ſunt. Ipſe inter Arcticum circulum, et aeſtivum conlocatur ab Hygino in III. quamquam ſi recentes audiamus, a genibus infra aeſtivum circulum excedit. Per medios eius humeros ducit Hyginus in III. circulum, *qui per utroſque polos tanſiens, tangit Arietem, et Chelas*. Circulum indicare videtur aſcenſionis rectae, per quem determinatur ſectio autumnalis, et verna, de quibus in Tabula III. et V. At in noſtro Globo haec linea totum Bootem excludit; quod adcidit ex cauſa *praeceſſionum*, quae inter aetatem huius Marmoris, atque Hyginum facta eſt: conſtat enim hunc circulum, ut ſuo loco diximus, ſenſim moveri, et transferri, prout Zodiacus rationalis paullatim diſcrepat a ſenſibili.

2. CORONA BOREA.

Gnoſſia deſertae haec fulgent monumenta puellae:

uti de ipſa ſcribit Manilius in I. verſ. 323. et de ea rurſus in V. verſ. 253.

Tollentur ab undis
Clara Ariadneae quondam monumenta Coronae.

Hu-

Huius vero adceſſum inter ſidera deſcribit Ovidius Metamorph. Lib. VIII. verſ. 381.

——————————— Vtque pereuni
Sidere clara foret , ſumtam de fronte Coronam
Immiſit Caelo . tenues volat illa per auras :
Dumque volat , gemmae ſubitos vertuntur in ignes ,
Conſiſtuntque loco , ſpecie remanente Coronae ;
Qui medius , nixique genu eſt , anguemque tenentis .

3. HERCVLES. Iſtius apotheoſin multis deſcribit idem Ovidius Metamorph. Lib. VIIII. verſ. 268.

Sic , ubi mortales Tirynthius exſuit artus ,
Parte ſui meliore viget ; maiorque videri
Coepit , et auguſta fieri gravitate verendus :
Quem Pater omnipotens inter cava nubila raptum ,
Quadriiugo curru radiantibus intulit aſtris .

Conlocatur ab Hygino in III. inter circulum aeſtivum , et polarem , ut hunc adtingat pedibus , alterum humero : nec longe abeſt huius Marmoris auctoritas , in quo dexteram tantum manum exſerit a circulo aeſtivo : Clavam recentes adpellant . At nobis a circulo Arctico longius recedit , et pectore tenus aeſtivam lineam tranſgreditur .

4. SERPENTARIVS . Hunc eſſe tradunt illum Getarum Regem , qui unum ex Draconibus Triptolemi interfecit : quem ideo Ceres ſerpente circumvolutum in Caelo locavit ; de quo Manilius dicto Lib. I. verſ. 331.

Serpentem magnis Ophiuchus nomine ſignis
Dividit , et toto mergentem corpore corpus
Explicat , et nodos ſinuataque tergat orbes .

Huius humeros ab aeſtivo circulo dividi tradit idem Aſtro-

nomus, quod etiam in Globo Farneſiano deprehenditur: per eius genua tranſeunte aequinoctiali, et hiemalem pedibus adtingente; at apud noſtros Aſtronomos clara in eius oculo, quam Arabico nomine *Raſ-Alague* nuncupant, media fere eſt inter aeſtivum circulum, et aequatorem.

5. LIBRA. Hanc ita cum Scorpio Veteres confundebant, ut unicum ſignum conſtituerent. Huius Conſtellationis origo a phyſica ratione ducitur: quum enim ibi Sol aequo ſpatio noctes, dieſque partiatur, et veluti aequa lance diſtribuat; eum locum hoc ſigno veteres diſtinxerunt, de qua Manilius Lib. I. verſ. 767.

Aequato tum Libra die cum tempore noctis
Adtrahit ardenti fulgentem Scorpion aſtro.

6. SCORPIVS. In caelo Iunonis beneficio ſideribus adiectus eſt, quod eius iuſſu a Tellure genitus, Herculi inſidias paraverit. Dicitur vero duorum ſignorum ſpatia occupare; eo quod inter eius chelas Libra ſuſpenſa ſit: quod indicavit Ovidius Metamorph. Lib. II. verſ. 195.

Eſt locus, in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpius; et cauda, flexiſque utrimque lacertis
Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum.

Extrema cauda circulum hiemalem contingere, et aequinoctialem circulum ſuſtinere dixit Hyginus; quod plane intelligendum eſt de Libra, quae ex aequinoctio pendet; non vero de Scorpionis corpore, quod longe diſtat; immo per medium fere ſecatur a circulo hiemali.

7. LVPVS. Ita adpellant recentiores hanc Conſtellationem, ſeu potius alterius partem; nam cum Centauro in unum coaleſcit, de illa Aratus:

Seu praedam a ſilvis portat, ſeu dona propinqua
Placatum Deos Culton Iovis admonet arae.

Hyginus quoque victimam adpellat, quam Centaurus ad aram defert, *quae pedibus, et extremo ore circulum hiemalem tangit:* cui ſententiae adhaeſit Globi huiuſce marmorei Sculptor; quamquam apud nos aliquantulum inde recedat.

8. ARA. De hac Manilius Lib. I. verſ. 411.

Ara nitet ſacris, vaſtos cum terra Gigantes
In Caelum furibunda tulit. Tunc Dii quoque magnos
Quaeſivêre Deos. ——————————.

Pauciſque interiectis:

—————————— *Tunc Iupiter Arae*
Sidera conſtituit, quae nunc quoque maxima fulgent.

Et Lib. V. verſ. 335.

Ara ferens thuris ſtellis imitantibus ignem,
In qua devoti quondam cecidere Gigantes.
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Iupiter, ante Deos quam conſtitit ipſe Sacerdos.

Ab Hygino conlocatur, *Antarcticum circulum prope tangens*: at Globus Farneſianus ad recentiorum diſpoſitionem magis adcedit, a quibus non modicum diſtare obſervatur.

9. CORONA AVSTRALIS. Hanc Ixionis rotam eſſe tradunt inter ſidera conlocatam, ut divinae ultionis adverſus impios perenne monumentum eſſet. De hac ſilentium eſt apud Hyginum, et Manilium. In Globo tamen Farneſiano praetermiſſa non fuit; licet paene circulo Antarctico commendata, media inter ipſum, et hiemalem circulum conlocata ſit.

CA-

CAPVT XX.

Aſtrotheſia, quae in ſexta, et ultima Tabula exhibetur; poſtremo expenditur, et elucidatur.

1. SAGITTARIVS. Crotum hunc eſſe tradunt Muſarum conlactaneum, qui quum ingenio maxime, et pedum agilitate polleret, ac peritia ſagittandi, poſt mortem in Caelo conlocatus, biformem hanc ſpeciem nactus eſt, ut triplicis virtutis teſtimonia in eo conſecrata perennarent; quapropter ita circumſcribitur a Manilio in Lib. I. v. 270.

Mixtus equo, volucrem miſſurus iamque ſagittam.

Hic a pedibus uſque ad humeros in hiemali circulo conlocatur ab Hygino, ita ut ſolummodo caput extra eum circulum habere videatur. Talis propemodum adparet in Marmore hoc Atlantico. At in noſtris Globis ea linea per eius pectus ducta eſt.

2. CAPRICORNVS. Hunc Pana eſſe tradunt in Caelo conlocatum Iovis beneficio, quod cum ipſo nutritus fuiſſet, et eius auxilio Gigantes ſubieciſſet. Poſtremam vero eius partem abire tradunt in Piſcem; eo quod hanc formam, quum Typhonem vereretur, in Nilo aſſumſiſſet. Dividi ab hiemali circulo per medium dixit Hyginus, quum vix crura illius in novis Globis adtingat. At in Globo Farneſiano ea linea per eius collum ducta eſt. Nobilitavit praecipue hoc ſignum natalem diem Auguſti, de quo in Gemmis Aſtriferis, in quibus ſaepe recurrit, multa dicta ſunt.

3. AQVARIVS. Alii Cecropem, cuius aetate aqua,

quam ille fundit, in potu habebatur, esse dicunt; alii Deucalionem, sub quo cataclysmus contigit; alii demum Ganymedem Iovi poculum ministrantem, ut ex Hygino colligitur; cuius sententiâ pedem habet in hiemali circulo, a quo revera non longe abest, etiam iuxta recentiorum observationes: recurrente per eius oculos aequinoctiali circulo; a quo tamen valde distat in Globo nostro marmoreo.

4. AQVILA. In Caelum relata est, quod Iovi fulmina ministraverit, de hac idem Manilius:

— Tum magni Iovis Ales fertur in altum
Adsueto volitans, gestet ceu fulmina Mundi,
Digna Iove, et Caelo, quod sacris instruit armis.

Alterum quoque eius meritum a Veteribus recensetur, quod Ganymedem rapuerit; de quo Aratus:

Vnguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymedem,
Et Caelo adpositus custos, quo Iupiter arsit,
In puero luit exscidio, quem Troia furorem.

De hac supra dictum est, ubi de constellatione Antinoi loquuti sumus; nam ex una duae factae sunt; quapropter ampliorem illam Antiqui cognoverunt. Hygini tempore eius rostrum a reliquo corpore dividebat circulus, seu colurus Solstitiorum, qui a Cancro ad Capricornum pervenit. Quum vero hic circulus, qui in Tabula VI. notatur in A. B. aliquantum ab eo situ recedat, id tribuendum est praecessioni inter aetatem huius Marmoris, et Hyginum secutae. Hac vero nostra aetate adeo processit sectio aequinoctialis, ut paene iam Aquila tota ab eo exclusa sit.

5. Ly-

5. LYRA. In Caelo repoſita eſt, ut Orphei meritis gratia referretur. Manilius Lib. I. verſ. 324.

Et Lyra diductis per Caelum cornibus inter
Sidera conſpicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod adtigerat cantu, Maneſque per ipſos
Fecit iter, domuitque infernas carmine leges.
Hinc caeleſtis honos, ſimiliſque potentia cauſae:
Tunc ſilvas, et ſaxa trahens; nunc ſidera ducit,
Et rapit immenſum Mundi volubilis orbem.

6. DRACO. Longum ſidus, quod magnam poli Arctici partem occupat, dicitur; de quo Virgilius Georg. I. verſ. 244.

Maxumus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentis aequore tingui.

Ipſum quoque graphice nobis deſcribit Aratus in Phaenomenis:

Has inter medias, abrupti fluminis inſtar,
Immanis ſerpens ſinuoſa volumina torquet
Hinc, atque hinc, ſuperatque illas mirabile monſtrum:
Cauda Helicen ſuperat, tendit ſimul ad Cinoſuram
Squammigero lapſu, qua tendit ultima cauda.

Haec Conſtellatio ex Atlanticis Fabulis pendet: ferunt enim hunc Iunonis beneficio ſplendeſcere, quod Heſperidum Hortos, et poma aurea cuſtodiens, ab Hercule necatus ſit: ſive, ut Hyginus ſubdit, Serpens ille eſt, quem Minervae Gigantes obiecerunt, et contortum inter ſidera proiecerit, quibus poſtea adhaeſit. Circulum Arcticum capite adtingere

gere tradidit idem Aſtronomus ; at in hoc Globo marmoreo totus intra circulum Boreum concluſus eſt ; quum tamen iuxta recentiorum menſuras non parum extra ipſum proferatur .

Haec ſunt , PRAESVL AMPLISSIME , quae de inſigni hoc et ſingulari Monumento praenotanda duxi . Plura, quae me fugerunt feliciori auſu doctiores Viri ſcrutabuntur , praeſertim vero qui Aſtronomicis ſtudiis addicti ſunt ; quorum obſervationes a perraro hoc , et uſque adhuc deliteſcente Monumento firmabuntur : nam non parum intereſt ad ſcientiarum progreſſus expediendos rudiora artium principia , et veluti abortiva intueri ; quum iam intelligamus multa etiam nobis deeſſe , quae tanta Antiquis addidimus .

Integro Volumine ATLANTEM FARNESIANVM ſe inluſtraturum promiſerat Franciſcus BLANCHINIVS, Praeſul doctrina ac morum ſanctitate celeberrimus, qui plane, utpote ſcientiae Aſtronomicae peritiſſimus , Eruditorum genio , atque expectationi feciſſet ſatis ; ſed poſtmodum compluribus curis ſenſim ingruentibus diſtentus , quae exquiſitis obſervationibus meditatus fuerat , non perfecit ; et fortaſſe adhuc in Adverſariis eius plura , quae adnotavit , latitant . Non pauca tamen , quae ad Conſtellationes pertinent, erudite expoſuit, praeſertim in Decade III. *Hiſtoriae ſuae univerſalis* , ubi de Heroicis Temporibus agit ; quam Hiſtoriam auctoritate, et fide vetuſtorum Monumentorum probavit . Multa notatu digna cum BLANCHINIO obſervavit Celeberrimus CASSINIVS , Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Aſtronomus , ex quo ATLANTEM FARNESIANVM una ſimul Romae in Palatio Farneſiorum Principum ſcrutati ſunt , et ſingularum Conſtellationum di-

distantias, situs, et ordines mutuis studiis adnotarunt; quod contigit anno CIↃ. IↃ. C. XCV. Postquam hi summi Viri perinsigne hoc Vetustatis, ac sideralis Scientiae CIMELIVM pervestigarunt, adeo eius fama ubique increbuit, ut celebriores fere omnes cum Italiae, tum Europae Academiae in lucem statim illud prodire exoptarint. Profecto mirum videtur, quod Praestantissimi omnis Antiquitatis Observatores, et Interpretes MABILLONIVS, et MONTFAVCONIVS, ille in suo Itinere Italico, hic in Diario Italico, FARNESIANVM ATLANTEM ANTIQVVM non solum non indicaverint inter reliqua Romanae magnificentiae, et eruditionis Monumenta; verum etiam de eo penitus siluerint. At doctissimus Praesul BLANCHINIVS, ut per totum Orbem fama tam conspicui FARNESIANI GLOBI volitaret, tum ATLANTIS, tum Caelestis Orbis imagines sex Tabulis exprimendas suis sumtibus curavit: cuius laudes in eruendis ex oblivione vetustis monumentis inlustrandisque tantae sunt, ut optime ei conviniat illud Manilianum elogium:

Quis Caelum posset, nisi Caeli munera nosset,
Et reperire Deum, nisi qui pars ipse Deorum est?
Signorumque Choros, ac Mundi flammea tecta.

Quod vero nunc publica luce hic CAELESTIS GLOBVS marmoreus fruatur, debetur Praeclarissimo eius Nepoti IOSEPHO BLANCHINIO, Romani Oratorii Presbytero, Scriptorum celebritate conspicuo, de Ecclesia Dei, ac Sancta Sede egregiis laboribus suis optime merito, qui GORIO amico suo optimo summa cum humanitate, ut in hoc Opere prodiret, adiectis meis hisce Observationibus, communicavit: quod pro coronide huius Commentarii

mentarii praenotandum cenſuimus. In fine nunc adiicimus imaginem HERCVLIS Caeleſtem Globum ſuſtinentis, ut hanc ab Atlante ipſo non parum differre cognoſcamus; nam e dextro humero recidit Nemaei Leonis exuvium: Atlas vero toto corpore nudus eſt; de quo ſupra dixi-Cap. VII. pag. 32. et non pauca ex antiquis Scriptoribus adtulimus.

DE



Atlantis Maximi statua marmorea, sustinens Globum Caelestem, astrorum signis ornatum: et alteri genu innixa qualis à Philostrato describitur imaginum libro 2.: sculpta verò ætate Antoninorum: uti colligitur ex collocatione Asterismorum, relatâ ad sphæræ Circulos, ibidem expressos; et collatâ cum Tabulis et observationibus à Ptolemæo peractis eodem seculo; necnon cum nummo Antonini Pii, obsignato Fr. Pot. XX. et exhibente eadem simulacrum Atlantis: quod effossum ex uetustis rudaribus Vrbis modò asseruatur in Palatio Farnesiano ad Campum Florę.



Prospectus Primus antiqui Globi Caelestis, ab Atlante suffulti, cum Asterismorum signis, et Sphęrę circulis, qualis apparet oculo constituto prope planum Aequinoctiorum, et intuenti sectionem Vernam, respondentem Atlantis dorso in Statua Farnesiana. A B Sectio circuli Ascensionis rectę, ducti per Cornu Arietis. D E Circulus Aequinoctialis. F G H Tropicus Cancri. I K Tropicus Capricorni. L M N Circulus semper apparentium Maximus in eleuatione Poli graduum 40. Z X R Ecliptica. I P Q H Zodiaci fascia. Aterismi. 0 Draconis pars. 1 Cepheus. 2 Cassiopea. 3 Andromeda. 4 Perseus 5 Heniochus. 6 Cygnus. 7 Pegasus. 8 Delphinus. 9 Piscis Boreus. 10 Aries. 11 Taurus. 12 Gemini. 13 Orion 14 Eridanus. 15 Cetus. 16 Piscis Australis. X Sectio Verni Aequinoctii precedens primam in Cornu Arietis gradibus 7 ½ ętate Ptolemęi.

Conspectus alter Globi Cælestis dorso Atlantis impositi in antiqua statua Farnesiana, ex aduerso Coluri Solstitiorum AB in parte æstiua. CD circulus Æquinoctialis. EF Tropicus hyemalis. GH circulus nunquam apparentium maximus in eleuatione Poli Borei grad 40. IOK Tropicus Æstiuus. LM circulus semper apparentium maximus in eadem eleuatione. NOP Ecliptica. ISTORV Fascia Zodiaci ornata signis 1 Tauri, 2 Geminorum, 3 Cancri, 4 Leonis, 5 Virginis. Reliqua Asterismi extra Zodiacum, 6 Canis Maior. 7 Nauis. 8 Hydræ. 9 Vas. 10 Cornus. 11 Centaurus. 12 Orion. 13 Eridanus. 14 Perseus. 15 Hemiocus. 16 Cathedra Cassiopeæ.

Prospectus Tertius Globi Cælestis ab Atlante Farnesiano suffulti, respondens pectori statuæ, oculo constituto in plano Coluri Æquinoctiorum, et inspectante sectionem Autumnalem. A.B.C. Circulus Ascensionis rectæ ductus per lucidam in Cornu Arietis et per genua Asterismi Virginis. D sectio Autumnalis. D.B. Præcessio Æquinoctiorum ætate Ptolemæi. E.F. Circulus Æquinoctialis. G.H. Tropicus Æstivus. I.K. Tropicus Hyemalis. L.M.N. Circulus numquam apparentium. Maximus in latitudine graduum 40. Asterismi. 1 Bootes. 2 Corona Borea. 3 Hercules. 4 Serpentarius. 5 Leo. 6 Virgo. 7 Libra. 8 Chelæ Scorpionis. 9 Scorpii cauda. 10 Hydri pars. 11 Vas. 12 Cornix. 13 Centaurus. 14 Lupus. 15 Ara. 16 Corona Australis. 17 Navis.



Prospectus Quartus Globi Cælestis Farnesiani, oculo inspectante Sinistrum latus Atlantis á quo fulcitur: AB Colurus Solstitiorum CD Circulus Æquinoctialis EF Tropicus Cancri GN Circulus Semper apparentium maximus in latitudine grad. 40. M B K Ecliptica. Asterismi: 1 Sagittarii pars 2 Capricorni pars. 3 Aquarius. 4 Piscis Boreus. 5 Serpentarius. 6 Aquila. 7 Delphinus. 8 Pegasus. 9 Bootes. 10 Hercules. 11 Corona Borealis. 12 Lyra. 13 Cygnus. 14 Andromeda. 15 Cassiopea. 16 Draco. 17 Cepheus.

DE GEMMA
PASTORALI
DISSERTATIO I.

IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VICARII PISAVRENSIS

CLXXXVII



Sardae inscal. in Museo
d. Abb. Gen. Chiappinii

J.V.Jo. Ex Schedis Delin. Cl. Sen. Bonarroti

DE GEMMA PASTORALI

DISSERTATIO I.

AD AMPLISSIMVM PATREM

D. IOSEPHVM ALEXANDRVM CHIAPPINIVM

CANONICORVM REGVLARIVM LATERANENSIVM
ABBATEM GENERALEM
MERITISSIMVM

EX quo mihi conceſſum eſt, PRAESVL AMPLISSIME, ac SAPIENTISSIME, Te coram adloqui, atque illam doctrinae tuae opinionem, quae maxima in me ſemper fuit, eloquii tui experimento amplificare, nihil conſtantius in votis habui, quam obſervantiam in Te meam teſtimonio aliquo comprobare. At opportuna mihi ſe obtulit occaſio quum in GEMMIS ASTRIFERIS explicandis, quas mihi amicus noſter Gorius de litteris meritiſſimus obtulit, Gemmam hanc tuam PASTORALEM, omnium

proculdubio digniſſimam offendi ; quam ubi commentariolo proſecutus eſſem , nulli melius , inſcribendum eſſe cenſui , quam Tibi de re tua . Fateor harioli ingenium potius , quam mythologi id monumentum poſtulare ; ut maxime dubitem Ethnicis ne , an Chriſtianis , ſeu potius Haereticis Baſilidianis, Gnoſticis , aut Marcionitis, tribuenda ſit . In ea Iuvenis expreſſus eſt inter oves conſtitutus , qui ovem aliam humeris defert ; additis afteriſmis Solis , et Lunae , et obſcuriſſimis characteribus nullum fere ſonum reddentibus. Hanc igitur iuxta triplicem ſenſum explicare conabor , integrum Tibi iudicium reſervans utri factioni tribuenda ſit . Tu interim divinarum , atque humanarum ſcientiarum conſultiſſimus , praeſertim vero omnigenae Antiquitatis peritiſſimus , dum otium vacat , in hac contentione dirimenda animum parumper intende , quam quidem exſcitatam magis , quam compoſitam, meis hiſce ſcriptis obſervabis.

II. Agnoſcunt Ethnici in Iuvene iſto agnum humeris deferente , Mercurium Criophorum , ut illum vocat Pauſanias in Boeoticis , de quo haec tradit : *Quod vero ad Mercurii Templa duo adtinet , quorum alterum Criophori , ideſt Arietem portantis ; Promachi , hoc eſt propugnatoris , alterum nuncupant : ſuperioris quidam cognominis eam eſſe cauſam dicunt , quod peſtilentiam Mercurius averterit , circumlato in murorum ambitu ariete ; ob eamque rem Mercurium Tanagraeis Calamis fecit arietem humeris portantem . Qui ſane puberibus ceteris forma praeſtare iudicatus fuerit , is feſto Mercurii die agnum humeris portans , muros circumambulat .* Ex quibus poſtremis verbis conſtat, non arietem modo , ſed et agnum Criophoro Mercurio , ſeu eius imagini , fuiſſe impoſitum , quod conſonat cum noſtro hoc typo .

III.

III. Oves hinc inde diſpoſitae clare oſtendunt, Deum illum habitum fuiſſe gregum praeſidem, et cuſtodem. Idem Pauſanias in Corinthiacis: *Mercurius ex aere ſedens viſitur, cui adſtitit aries; quod unus prae ceteris Mercurius greges tueri, et augere exiſtimabatur*: quam rem Homerus in Iliade his verſibus ſignificat:

Hic tibi natus erat, pecoris ditiſſime Phorba,
Quem ſibi prae ceteris carum Cyllenia proles
Ditarat Teucris. ———————

Quapropter ab Heſiodo in Theogonia ſtabulis pecorum praeſidere dicitur una cum Hecate; cuius quidem carmina Latinis modis reddita haec declarant:

Quid quod Mercurio comes ſit, ſtabuliſque capellas,
Armentumque ferax, et oves augere putatur;
Ex modico multum, ex multo facit ille puſillum,

IV. Sol, et Luna, quorum inſignia heic adiecta ſunt, facile indicant utrumque Planetam fauſta radiatione fertilitatem inducere, et peſtem placatos avertere. Hinc Horatius in Carmine ſaeculari verſ. 29. quod eidem Soli, et Lunae inſcripſit, inter cetera haec ab illis precatur:

Fertilis frugum, pecoriſque Tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant foetus, et aquae ſalubres,
Et Iovis aurae.

Iratum enim Solem peſtilitatem immittere valuiſſe, iam diu dixerat Homerus Iliad. I. Inde et Virgilius Aeneid. III. verſ. 137. quum ſpreto eius Oraculo:

——— *Ta-*

——————————— Tabida membris,
Corrupto caeli tractu, miſerandaque venit
Arboribuſque ſatiſque lues, et lethifer annus.

V. Inſcriptio circa Paſtorem exarata nullum ſenſum reddit, immo nec pronunciari quidem poteſt: ut adfirmare poſſimus, illam ex nulla cognita lingua compoſitam eſſe; ſed ad libitum peculiaris alicuius ſectae, cui aenigmata haec tantum conſtarent, eſſe confictam. Vnica vox IAH in media area inſcripta nobis innoteſcit. Haec vero eadem eſt ac IAΩ, nomen in Antiquitate Gemmaria uſitatiſſimum: in qua quidem litterae H. Ц. W. ſaepiſſime pro Ω uſurpantur, ſive ob Scalptorum imperitiam, ſive ob varium ſcribendi ſtilum; ſeu denique ad obſcuritatem adfectandam. Haec vero dictio importat unum ex Apollinis cognominibus, ut manifeſte evincitur ex Macrobio Saturnal. Lib. I. Cap. 18. ubi haec profert: *Huius verſus auctoritas fundatur Oraculo Apollinis Clarii, in quo aliud quoque nomen Soli adiicitur, qui in iiſdem ſacris verſibus inter ſacra vocatur* IAΩΣ. *Nam conſultus Apollo Clarius, quis Deorum habendus ſit, qui vocatur* IAΩΣ, *ita effatus eſt:*

Dic omnium ſupremum Deum eſſe IAO
Hieme quidem Plutonem, ac Iovem vere incipiente,
Et Solem aeſtate, autumno vero mollem IAO.

Huius Oraculi vim, Numinis, nominiſque interpretationem, qua Liber Pater, et Sol IAO *ſignificatur, exſequutus eſt Cornelius Labeo in Libro, cui titulus eſt:* DE ORACVLO APOLLINIS CLARII.

VI. Quanquam vero Macrobius ad Apollinem, iuxta proprium inſtitutum, eius vocis ſignificationem trahere conetur,

netur, proprie tamen hoc nomen Baccho adtributum fuiſſe cognoſcitur; quod eo certius eſſe puto, quum alia quoque eiuſdem Dei cognomina ex eodem principio detorta eſſe videantur, et ad Genium Graecae linguae adcommodata. Inter haec vero nomen IACCH, quod licet a ΙΑΧΩ *clamare*, ſeu *vociferare* deducant Grammatici; intelligimus tamen id nomen inter eius Dei arcana numeratum: unde *vocem Iacchi myſtici* adpellat Herodotus Lib. VII. et *Iacchum myſticum* cantari conſueviſſe tradit Arrianus Lib. II. Hinc etiam fortaſſe factum eſt alterum Bacchi cognomen HYES, ut colligitur ex Plutarcho in Libro de Iſide, et Oſiride, qui Graecorum morem ſecutus, illud e Graecae linguae fontibus contendit derivare: quod quam inane ſit, facile colligitur ex iis, quae ſcripſit Strabo Lib. X. nempe id nomen cum ceteris Sabaziorum myſteriis e Phrygia fuiſſe adcitum: et Ariſtophanes teſtatur IEN in Deos peregrinos habitum. Mihi tamen ea magis adridet opinio, quod haec et ſimilia nomina e lingua primigenia mutuata ſint, ut in Indigitamentis late probabimus, et infra dicemus. Quod adtinet ad nomen ΙΑΩ, non ex hoc uno Macrobii loco illud Ethnicis innotuiſſe cognoſcimus; nam in Libris quoque Sybillinis memoratum legimus, ut infra dicendum erit: quapropter ſi univerſum huius Gemmae complexum expendamus, nihil omnino obſtat quin totam putemus Gentilibus eſſe referendam.

VII. Sed nihilo debiliora ſunt argumenta, quibus Chriſtiani eam ſibi vindicent. Si illorum inſculpta Marmora, Sarcophagos praeſertim, percurramus, qui apud Boſium, et Aringhium obvii ſunt, familiariſſimum obſervabimus typum *Boni Paſtoris* ſub ipſiſſimis lineamentis expreſſum: et ne Romam ſubterraneam adire cogamur, indicabo Arcam

cam ſepulcralem nuper Roma Vrbinum adductam , et in Sacello Albanae Gentis conlocatam , quae eodem emblemate exornatur . Eadem imago occurrit et in Chriſtianorum Lucernis , quarum multas in noſtro Muſeo adſervamus. Obvia praeterea eſt in vitreis Coemeteriorum lamellis apud Bonarrotium , et Boldettium evulgatis , et quarum mentio eſt apud Tertullianum de Pudicitia Lib. x. per haec verba : *Ille forte patrocinabitur Paſtor , quem in Calice depingitis* . Haec vero allegoria ex ſacris Evangeliis deſumta eſt , in quibus Chriſtus ſe *Paſtorem Bonum* profitetur , qui errantem ovem ſtudioſe conquiſitam reducit ad ovile , ut eſt apud Lucam Cap. XIV. verſ. 5. *Et quum invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens , et veniens domum , convocat amicos , dicens illis , congratulamini mihi , quia inveni ovem illam , quae perierat* . Oves hinc inde ad pedes diſpoſitae ad parabolam eandem adludunt , et fere ſemper in citatis Monumentis , et in muſivis operibus eidem imagini adiunguntur . In his vero quandoque cum haedis alternantur , ut hi ſiniſtram , oves vero dexteram obtineant : ſub qua ſpecie tremendum Dei iudicium praeſignatur ; de quo Matthaeus Cap. XXIV. 2. *Congregabuntur ante eum omnes gentes , et ſeparabit eas ad vicem , ſicut Paſtor ſegregat oves ab haedis : et ſtatuet oves quidem a dextris ſuis , haedos autem a ſiniſtris* .

VIII. Expendamus modo , quo pacto nomen IAΩ Chriſto Domino conveniat. At neminem puto in Hebraicis rudimentis vel mediocriter verſatum reperiri , cui liquido non conſtet id unum eſſe ex Dei nominibus decurtatum ab ineffabili illo Tretragrammato יהוה ; unde vel maioris reverentiae cauſsa , ſeu etiam fortaſſe ad faciliorem pronunciationem, fecerunt יה *Iah;* quemadmodum ab alio Dei no-

nomine אלוה, seu אלהים *Eloah*, et *Eloim*, compendiariam effecerunt vocem אל *El*. Quo vero pacto pronunciandum veniat Nomen Tetragrammaton, maxime discrepant Masoretae: conveniunt enim pronunciationem, quam communiter accipit *Ieovah*, impropriam esse, illamque procedere ex punctis alterius nominis *Elohim*, quae huic voci commodantur: si enim hae litterae secundum propriam potestatem pronunciarentur, atque ea puncta illis adtribuerentur, quae secundum grammaticam praescriptionem expostulant, IAO pronunciari deberet; ut per haec verba firmat D. Hieronymus in Psalmum 8. *Prius nomen Domini apud Hebraeos quatuor litterarum est*, Iod, He, Vau, He; *quod proprie vocabulum Dei sonat, et legi potest* IAHO, *et Hebraei* APPETON, *ideſt ineffabile, opinantur*. Eiusdem etiam opinionis est doctissimus Pagninus in Thesauro Linguae sanctae. Hanc autem expressionem aliquando Hebraeos evulgasse credendum est, quum hoc nomine eorundem Hebraeorum Deum nuncupet Diodorus Siculus Lib. II. *Apud Hebraeos Moyses ab* IAO, *quem Deum vocant, acceptas dare leges, dicebat*: ex eoque nomine rursus deformato, *Iovem* Latini effecerunt, ut constans est Eruditorum opinio: et Mauri *Iubam*, ut in Lexico Biblico ostendit doctissimus Calmetus; adeoque minime iam dubitamus pro summo, et maximo Deo significando communiter fuisse usurpatum; de quo videndi Clemens Alexandrinus Stromatum Lib. v. et Origenes contra Celsum Lib. VI. Mentio quoque est eiusdem nominis apud Ioannem Tzetzem in Historiarum Chiliade VII. num. 126.

Hebraeis IAO *invisibile significat;*
Ionas columbam; Ioannes autem gratiam.

Sed fallitur vir Graecus; nam IAΩ non *invisibilem* significat; sed *per se existentem*, sive *increatum*: provenit enim

a radice היה *exiſtere*, ut cum ceteris Grammaticis conſentit idem Pagninus, et recentiſſimus Zanolinus. Hinc propterea recte colligimus, nomen ΙΑΩ non modo Chriſtianis cognitum, ſed et venerabile etiam exſtitiſſe.

IX. Nunc cetera parerga huius Gemmae percurramus, Solem nempe et Lunam imagini Paſtoris adiunctas. Diximus ſupra, typum hunc ſymbolice diem Iudicii praefigurare. Ei vero recte conveniunt Solis, et Lunae aſteriſmi, in quibus magni diei ſigna praenuncia obſervabuntur, iuxta illud Lucae 21. et 25. ſeu quia inter praecipuas Dei creaturas excitantur ut Domino benedicant in Hymno trium Puerorum, et in Pſalmo 148. 7. Inter cetera vero Chriſtianorum Monumenta, quae ad hanc Gemmam inluſtrandam adduci poſſunt, primum locum ſibi vindicat Lucerna Chriſtiana apud Bartolum Part. III. num. 29. in qua idem Paſtor cum ovibus ſuis circumfuſis delineatus eſt, addita Ionae hiſtoria, hinc ab ore piſcis proiecti, hinc ſub umbraculo dormientis. Area ſuperior ſtellis conſperſa eſt, inter quas Sol, et Luna maxime conſpicui ſunt; nam Sol ſub radiati Iuvenis imagine repraeſentatur, ut in Nummis Imp. Aureliani: Luna vero Puellae effigie, cuius caput Lunula ſilente exornatur. Mirabar aliquando Chriſtianos haec gentilitatis veſtigia admiſiſſe; ſed ubi illorum veteres ſculpturas diligentius evoluere otium fuit, tot, et tanta his ſimilia occurrere animadverti, ut minime iam dubitem quin ea Lucerna tuto Chriſtianis adſtruatur. Quod ut manifeſtius fiat, in huius Gemmae gratiam, nonnulla ex his recenſere lubet, ut ſcrupulum omnem ab iis, quibus ea Monumenta in promptu non ſunt, evellamus.

X. In Sarcophago apud Aringhium Lib. II. Cap. 10. in quo Chriſti nativitas, et Magorum adoratio repraeſentatur, duo Genii titulum ſepulcralem adtollunt.

In

In altero ad pag. 325. in quo Chriſtus ſub boni Paſtoris imagine exſculptus eſt, iidem Genii defuncti imaginem adtollunt in concha.

Rurſus ad pag. 307. 333. 615. et 617. et Lib. IV. pag. 143. 167. et 395. Genii imaginibus veteris, et novi Teſtamenti immixti obſervantur.

Eorundem Geniorum imagines frequentiſſimae etiam ſpectantur in Sarcophagis Ravennatibus; quanquam indubitanter Chriſtianorum manibus exculpti ſint, et plerumque Chriſtianis emblematibus exornentur.

Victoriae quoque obſervantur ſaepe ſaepius in Picturis Coemeterialibus, et occurrunt in altero Sarcophago Chriſtiano apud Aringhium eodem Lib. III. pag. 253. palmas, et coronas praeferentes.

Obſervatur in alio ſimili Lib. II. Cap. X. imago Eliae curru quadriiugo igneo in Caelum evecti, ſub quo cernitur fluvii Iordanis iacentis imago; et aliud fere ſimile recurrit ad pag. 309.

Similis imago nobis ſe offert Lib. II. pag. 331. in quo expreſſa eſt hiſtoria Hebraeorum per Mare rubrum tranſeuntium, Pharaone inſequente.

Eodem Lib. III. pag. 615. videre eſt Hiſtoriam Ionae, cui plaudens Triton, buccinam inflat.

Diem, et Noctem conſpicimus Lib. II. pag. 307. Ille ſub imagine Iuvenis facem adtollentis, haec ſub aſpectu puellae orantis inſculpta eſt.

Lunae protomen radiatam cernimus in altero Sarcophago marmoreo Lib. II. pag. 335.

In Gemma quoque, quam Cangius vulgavit in Diſſertatione *de inferioris aevi Numiſmatibus*, capita Iovis, Solis, et Lunae cernuntur, adpoſito Chriſti Monogrammate ſupra prioris caput; cuius rationem in Prolegomenis adtigimus.

XI. Sed quid externa memoramus? Vidisti saepius in meo Museo eburneum Christianum Diptychon, in cuius altera parte Magi Christum Infantem venerantur; in altera vero ipsum Cruci adfixum intuemur; quem adolescentuli duo in altum sublati exornant: quorum unus discum Solis manibus praefert; alter vero Lunulam. Haec et plura alia in veterum Christianorum Monumentis observantur, quae nec minimum quidem pietatem offendunt; nam nihil praeseferunt, nisi corpora quaedam naturalia ita perbelle ab Artificibus expressa, qui ab antiquis exemplaribus formas hasce hauserunt. Quid ni? in meis Lucernis Christianis Palladem, Herculem, et Gratias effictas cernimus: quas ego diu post sublatum Idolorum cultum formatas puto, quum iam Fideles in hisce imaginibus non amplius Numina, sed virtutes, et animi affectiones agnoscerent. Quae quum ita sint, minime mirabimur in memorata Bartoli Lucerna, Solem, et Lunam sub humana specie expressos esse.

XII. Nec levis momenti videntur posticae partis emblemata, quae in fine huiusce meae Dissertationis pro coronide adferuntur, ubi spectari possunt anchora et pisces, ut id opus Christianis adtribuamus; nam haec illorum symbola frequentiora habebantur ex Clemente Alexandrino, quem alibi adduximus, ubi expresse recenset inter cetera *piscem*, *et anchoram*. Nec a Christianae Religionis professione abhorret nomen possessoris inscriptum huic Gemmae: ΤΕΡΛΛΑVII, quem velim legas TERTVLLI. Sed haec omnia tanti ponderis non sunt, quin hanc lectissimam Gemmam tuam iure merito sibi non vindicent Haeretici, Basilidiani, seu Gnostici, a quibus Magica quaedam amuleta, intermixtis quibusdam Christianis mysteriis, nefarie evulgari solebant, ut notavimus in altera Dissertatione, quam de eorum Gemmis inscripsimus; et

quod

quod caput eſt, ipſum huius Gemmae artificium a Chriſtianorum ſimplicitate non parum abhorret. Si enim quotquot ſunt veteres Gemmas Fidelium percurramus, vix aliquid ſimile inveniemus; nam illorum anuli quotquot e Coemeteriis extractos in Romanorum penetralibus vidimus, aut aeri inciſos perluſtravimus, nihil fere continent praeter adorabile Chriſti Monogramma, cruces, palmas, columbas, navem, et his ſimilia, quae pietatem ſimul redolent, et Chriſtianam ſimplicitatem, quam, ex proprio quodam inſtituto, tenaciter retinebant. Audiamus pro re noſtra Clementem Alexandrinum Paedag. Lib. III. ita dicentem: *Sint autem nobis ſignacula, columba; vel piſcis, vel navis, quae celeri curſu a vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel anchora nautica, quam inſculpebat Seleucus.*

XIII. Imaginem IESV CHRISTI non reſpuebant Baſilidiani; quanquam multa de illo fabuloſa aeque, ac impia effutierint. Nam, ut docet Sanctus Irenaeus adverſus Haereſes Lib. I. Cap. XXIII. *Increatus, et ſummus Deus ABRACAX audaciam cernens Dei Hebraeorum, qui Angelorum anteſignanus erat, et gentes reliquas poteſtati Hebraeorum ſubiicere contendebat; repugnantibus ſubditis Angelis, qui ceteris Nationibus patrocinabantur, unde inter eos contentiones exortae erant -- videns perditionem ipſorum, miſiſſe Primogenitum ſuum NVN; et hunc eſſe, qui dicitur CHRISTVS in libertatem credentium ei a poteſtate eorum, qui Mundum fabricaverunt* (eos Angelos fuiſſe, mentiebantur) *in Gentibus ipſorum autem adparuiſſe eum in terra hominem, et virtutes perfeciſſe. Quapropter neque paſſum eum; ſed Simonem quemdam Cyrenaeum angariatum portaſſe Crucem eius pro eo: et hunc ſecundum ignorantiam, et errorem Crucifixum, tranſfiguratum ab eo, ut putaretur ipſe eſſe IESVS.* Ab hoc autem incorporeo *Nun*, ſub quo barbaro vocabulo Mentem

tem Dei primogenitam intelligebant, liberatos credentes censebant, ut subdit idem sanctus Doctor : quapropter alienum ab eorum sensu non fuerat exprimere hunc Dei filium sub specie Pastoris agnos custodientis, et reducentis.

XIV. Praeterea etiam multa in hisce Gemmis, quas communi vocabulo *Basilidianas* adpellamus, et maxima inconstantia deprehenditur; nam ubique sparsim intermixta in illis deprehenduntur semina doctrinae Marcionitarum, et Gnosticorum : quae potissima causa est cur ego constanter teneam has Gemmas a neutra ex his Sectis confectas, sed a Magis Gentilibus, qui ignoranter ista haec prodigia ab omnibus collecta consarcinarunt, ut altera Dissertatione luculentius ostendere conabor : hinc factum est, ut e Gnosticorum penu nomen IAΩ ubique sparsum sit, quod ipsorum peculiare erat; quodque in hac Gemma IAHN inscriptum legitur. Quid vero Gnostici sub hoc nomine plane mentiti sint, perspicue audiamus ex Divo Epiphanio Lib. I. Cap. XXXIV. qui ubi septenariam Dei generationem ex eorum sententia recitavit, ita huius sobolis nomina exscripsit : *Eum enim, quia matre primus fit*, Ialdaboth *vocari ; eum autem qui fit ab eo* Iao *: et qui ab eo* Sabaoth magnum *: quartum autem* Adoneum, *et quintum* Eloeum, *et sextum* Oreum ; *septimum autem*, *et novissimum omnium* Astaphaeum. -- Addit praeterea *Ialdaboth* filium edidisse *Nun* in figura serpentis contortum, qui mundana omnia generavit, et patrem tortuositate complexum evertisse. In fine vero secundi Libri hanc eorundem nominum explicationem profert : *Quod enim dicitur* Eloe, *secundum Iudaicam vocem*, *Deum significat*, *et* Eloe *verum*, *et* Elloeuth, *secundum Hebraicam linguam* hoc quod continet omnia *significat*. *Quod autem ait* Adonae *aliquando quidem nominabile*, *et admirabile significat ; aliquando autem duplicata litera Delta*

cum

cum adſpiratione, ut puta Addonei, praefinientem, et ſeparantem Terram ab aqua, nec poſtea aquam inſurgere in eam. Similiter autem et Sabaoth per C *quidem Graeca in ſyllaba noviſſima ſcribitur, voluntarium ſignificat; per* O *autem Graeca, ut a Sabaoth, primum Caelum manifeſtat. Eodem modo, et Iaoth, extenſa cum aſpiratione noviſſima ſyllaba, menſuram praefinitam manifeſtat: quum autem pro* O *Graeca corripitur, ut puta Iaoth, eum qui dat fugam malorum ſignificat.*

XV. Reliquam inſcriptionem, qua Paſtoris figura circumornatur, ut ſupra indicavimus, nec ſenſum aliquem reddit, nec ſonum, adeo ut minime valeat pronunciari; ita enim ſe habet ΙϘΠΠΗϘΙΤ; ut plane tuto adfirmari poſſit non modo a quacumque cognita lingua longe recedere; verum etiam literas omnes vel eſſe totidem verborum initiales, ſeu potius ſignificare quaſdam poteſtates, ſeu virtutes, quas huiuſcemodi Gemmarum Artifices in his amuletis invocabant: quod eleganter de Marcionitis tradidit praelaudatus S. Irenaeus Lib. I. Cap. x. qui ceteras omnes, humanis membris ab ipſis adtributas, declaravit: *Vide quid igitur in caput eius ſurſum primum* A, *et* Ω; *collum autem* B, *et* Ψ. *humeros cum manibus* Γ, *et* X. *pectus* Δ, *et* Φ. *cinctum* E, *et* Υ. *ventrem* Z, *et* T. *verenda* H, *et* Σ. *femora* T, *et* P. *genua* I, *et* Π. *tibias* K, *et* O. *crura* Λ, *et* Ξ. *pedes* M, *et* N. — *Hominem autem eſſe fontem, ait, omnis verbi, et initium univerſae vocis.* Ex hac vero literarum partitione veſtigium aliquod in hac tua Gemma, VIR CLARISSIME, cognoſcimus; nam humeris reſpondet Γ, ventri T, femori P, genibus I, quae caſune potius, an ex induſtria ita diſpoſitae ſint, adfirmare non auſim: quis enim inania haec myſteria Magorum, ſeu verius dixerim, impoſtorum, adſequi valeat; quum vix pauca a Patribus, qui iſta exſibilarunt, tradita habeamus? Si

quid

quid luculentius de hiſce gryphis produci poteſt, id ab omnigena doctrina tua, PRAESVL PRAESTANTISSIME, expectandum eſt, ut mihi ſatis gloriae tribuatur, ſi Te ad Gemmam hanc tuam luculentius explicandam levi hac mea exercitatione excitare ſtuduerim.

CLXXXVIII



ISIS GORIANA
INLVSTRATA
DISSERTATIO II.

IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VIC. PISAVRENSIS
REGIAE SOCIETATIS LONDINENSIS
ET IMPERIALIS OLMVCIENSIS
SOCII



SIGNVM EX AERE HVIVS MAGNIT·
IN MVSEO GORIO



Ex Sarda Mus. Medicei Ex Achate Mus. Cappello

ISIS GORIANA

INLVSTRATA

DISSERTATIO II.

AD INCLVTOS SOCIOS

REGIAE SOCIETATIS LONDINENSIS

ET

IMPERIALIS OLMVCIENSIS

QVEMADMODVM apud Antiquos usu receptum erat, ut Dii quandoque a possessoribus suis denominarentur, ab iis praecipue, quorum cultu, et munificentia dedicati fuissent; ita non dubitavi, SOCII LONDINENSES, ET OLMVCIENSES Praeclarissimi, atque Ornatissimi, simulacrum hoc ex aere, quod ISIDEM refert, et simillimum est eius Imagini Astriferae, quae iam edita superius cernitur in Volumine huius Operis secundo Tabula XXVI. Vobis inscribere, et GORIANAM adpellare; quod

quod, eodem GORIO curante a me inluſtretur, et in lucem nunc primum proferatur; nam in erudita familia ceterorum inanium Simulacrorum Ethnicae ſuperſtitionis, quae in Muſeo ſuo Gorius veſter Socius, amicus meus ſuaviſſimus, et hanc quam ſervat, veluti cooptatam cernimus: neque arbitror abſurdum inde GORIANAM nuncupare, quum ſciamus Venerem *Salluſtianam*, Dianam *Caricianam*, Iovem *Carvilianum*, aut *Pompeianum* nuncupari, ac noſtra aetate Venerem *Mediceam*; quare nulla cauſsa eſt, quod alienum putemus ab antiquis moribus, ſi privatorum nomina nomenclaturam hanc adtingant, et Diis ipſis adtributa largiantur.

II. ISIDIS GORIANAE ſimulacrum iſtud, et quidem tantae magnitudinis, quanta exhibetur in praepoſita paullo ante eius imagine, ex aere optimo conſtat, quod viridem priſci aevi colorem reſpuit. Deae apud Aegyptios ſumma religione cultae caput velamento ornatur undulato; nempe galericulo quodam, unde taeniae paris artificii hinc inde pendentes tempora ambiunt. Supereſt adhuc in vertice cicatrix, ſive foramen dilapſi faſtigii, quod ex geminis pennis accipitrinis conſtabat: quibus divinae mentis omnia ſimul uno obtutu intuentis velocitatem ſignificabant. Quandoque loti flore, aut perſeae foliis pomo interiecto formabatur: quorum myſticas rationes, ſi Plutarchum adeamus in Libro de Iſide, et Oſiride, uberrime adſequemur. Aliquando vero id capitis geſtamen e ſerpentibus conſtabat: quod exempla ex antiquis Marmoribus, praeſertim vero ex Menſa Iſiaca expetita, abunde probant, de cuius ſymboli poteſtate infra agendum erit. Decuſſatis circa pectus manibus, ut fere cetera Aegyptiorum Numina, figuram illam exprimit, qua cuncta corpora quadri-

fide

fide dividuntur ; quod praecipue et in Caeli orbe, et in regno elementari obſervatur : nempe ita figuram illam ſalutarem, atque antiquis Aegyptiis auguſtiſſimam, referebant, quibus, ut ex Horo Apolline Hieroglyph. Lib. II. Cap. 112. adparet, futuram vitam praeſignabant, et de qua in Obſervationibus ad GEMMAS ASTRIFERAS locuti ſumus ad Tabulas XXIV. et XXVI. quam poſtremam ſignificationem eiuſdem geſtus, ſeu ritus eo libentius amplector, quum videam hanc crucis imaginem in Deorum Aegyptiorum manibus conlocatam. Gemina vero flagella praeter cetera myſteria, in quibus explicandis Kircherius totus fere detinetur, facile ſignificant Solis, et Lunae curſum, quo Natura, cuius arcana iſtorum Simulacrorum ambagibus involuebant, moderatur. ISIS enim, ut ait Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 20. *vel Terra eſt, vel Natura rerum ſubiacens Soli :* quamquam ſi diverſos effectus, atque mythologicas rationes eiuſdem Numinis inſpiciamus, non modo Naturam, et Terram, ſed et Venerem, et Cererem, praecipue vero Lunam, ſub eo nomine intelligebant ; quae officia facile ad unum reducuntur.

III. Quod vero praecipuum huius Sigilli pretium facit illud eſt, quod duplici dracone eius corpus circumvolutum obſervatur ; adeo ut Numen iſtud inter *Serpenticinctos* iure merito adnumeremus : quod plane erat praecipua quaedam nota divinitatis. Nec enim heic enumerare vacat Deos, quos in draconem transformatos, ſub anguinea ſpecie apud Veteres colebantur ; quod praecipue Genio ipſi contingebat, Aeſculapio, atque Serapidi, ut ex Nummis Nicomedienſium apud Spanhemium Diſſertatione IV. aliiſque in Muſeo Florentino, et Farneſiano, atque ex anaglyphis apud Fabrettum Inſcription. Cap. VI. pag. 467. Sponium in

in rei Antiquariae select. Quaestion. XXXI. et ex Lucernis Musei mei Tom. III. constat ; nam hi proprie Dii *Serpentiformes* sunt ; minime vero *Serpenticincti*. In istorum vero censu numerandi sunt Dii quidam draconibus conligati, quos ex Marmoribus Romae repertis delineavit V. C. Montfauconius in suo *Itinere Italico ;* atque Aesculapius ipse, cuius imaginem circumvoluto serpente horrificam aliquando me vidisse memini. At ceteris frequentius Luna, et Isis *Serpenticincta* exhibita fuit. Sic illam sub nomine Hecates describit apud Persas Firmicus de errore prof. Relig. *Mulierem triformi vultu monstrosis cum serpentibus inligantes ; quod ideo faciunt, ne ab auctore suo Diabolo aliqua ratione dissentiant ; sed, ut Dea sua serpentibus polluta, maculosis Diaboli insignibus adornetur*. Hinc intelligimus, qua mente, et quo instituto simulacrum Lunae in Tabulis Mithriacis, quae ex eadem Persarum religione procedunt, multiplici serpentum gyro a summo deorsum quandoque conligatum observetur ; quippe quia Persici instituti erat Lunam serpentibus implicare. Non dissimili adspectu a Hierapolitanis colebatur, teste Macrobio Saturnal. Lib. I. Cap. 17. qui prope simulacrum Solis describit *signa feminarum : ea cingit flexuoso volumine draco*. Quod vero plurali numero ea signa exstiterint, iam minime miror ; quum et in Mensa Isiaca apud Pignorium prope Mithrae simulacrum geminae huiusmodi imagines femineae spectentur anguineo volumine circumplexae : quibus multiplex Dianae natura, et quod caelestis, atque terrestris, pro vario officio habita sit, repraesentatur ; quum triplici quandoque adspectu, in signum unum coalescente, sculpta sit, ut apud Causeum Sect. II. Tab. XX. et in alio marmoreo Signo elegantis artificii, quod in Museo meo adservatur, et Tom. III. Lucernarum publicatum est.

IV.

IV. In his vero, quia Graeci artificii ſunt, reſpuerunt Sculptores exoticum illum horrorem cinctus ſerpentini: at ne Deam debito ſymbolo fraudarent, anguem eius brachio involutum adtribuerunt. Hac ipſa ſpecie et a Pauſania in Arcadicis deſcribitur *Diana cervina pelle velata, pendente ex humeris pharetra; altera manu lampadem, dracones duos geſtans altera*. A Poëtis vero Iſis perpetuo ſerpentigera deſcribitur. Hinc apud Valerium Flaccum Lib. IV. Argonaut. verſ. 418.

Spectat ab arce Phari iam Divis addita, iamque
Aſpide cincta comas, et ovanti perſona ſiſtro.

Ab Ovidio quoque Metamorph. Lib. IX. verſ. 693. in cenſu eius ſupellectilis draco numeratur:

Plenaque ſomniferi ſerpens peregrina veneni.

Hunc etiam enumerat Apuleius in eius pompa: *Inſurgebat aſpis, caput extollens arduum, cervicibus altae tameſcentibus*. Ipſa quoque Dea irata, eius aſpidem concitari dixit Iuvenalis Satyra VI. verſ. 638.

Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.

V. Cauſa huius ſymboli multiplex, et potiſſima quidem phyſica eſt; nam quia Luna non recto, ſed periſtaltico, ſeu vermiculari motu circumfertur, modo ad Borream, modo ad Auſtrum deflectens, cuius motus interſectiones Ptolemaeo nodus aſcendens, et deſcendens; a ceteris deinde Aſtronomis caput, et cauda draconis, et quod medium eſt, venter nuncupantur; nam ii circuitus ipſas draconum ſpiras imitantur: cui pariter Aegyptii in myſtica ſiſtri formatione adludere voluerunt, quum virgas illas, per

quas

quas eius motum, adceſſuſque, atque receſſus indicabant, ſerpentinis cervicibus exornarunt.

VI. Conveniebant praeterea huic Deae ſerpentes, ipſa etiam Aegyptia religione conſentiente, tanquam praecipuo eius terrae Genio: *Nam ipſa Aegypti Genius credita eſt*, ut ait Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 21. At Genio tanquam praecipuum ſymbolum ſerpens iungebatur, non modo ex inſtituto Romanorum, ut oſtendimus in Obſervationibus ad GEMMAS ASTRIFERAS Tabula CXXIII. ſed etiam ex traditione Aegyptiorum, quod probat Plutarchus in Amatorio: *In Aegypto aliquando vidi vicinos duos litigantes, quum ſerpens adrepiſſet, ambos eum bonum Genium vocare, ita quidem ut eum ſibi uterque vindicaret*. At non minori iure ſerpentem ſibi haec Dea uſurpabat, ex quo ſalutis datrix exiſtimabatur, atque inter Deos ſervatores ſalutiferos, ac ſalutares cenſebatur. Quapropter illam ſic invocat Tibullus Lib. I. Eleg. III.

Nunc, Dea, nunc ſuccurre mihi; nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella ſuis.

Hinc et in Marmore Gruteriano pag. 83. num. 15. et in aliis apud Fabrettum Cap. VI. num. 11. et 113. Cap. VI. pag. 470. et in aliis paſſim, nuncupatur SALVTARIS. Itaque in eius adtributi ſignum non modo vota pro infirmorum ſalute illi nuncupabantur; verum et pedum veſtigia, et pedum anathemata cum involuto ſerpente dedicari ſolebant, ut apud eumdem Fabrettum loco citato. Cur vero Luna hoc epithetum *Salutaris* adepta ſit, paucis declarat Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 20. *Salus autem naturae Lunaris effectus eſt, quo animantium corpora iuvantur ſalutifero firmata temperamento*. Quemadmodum vero Aeſculapio ob

idem

idem adtributum ſerpens coniungitur, ita quoque et Iſidi conveniebat; quod etiam indicavit loco citato idem Macrobius: *Ideo ergo ſimulacris eorum iunguntur figurae draconum, quia praeſtant, ut humana corpora, veluti infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum revireſcant vigorem, ut revireſcunt dracones per annos ſingulos, pelle ſenectutis exuta.* Praeterea, ut docet Euſebius de praepar. Evangel. Lib. I. Cap. 9. *Hoc genus animantis vi, et copia ſpiritus abundat —— diuturnae admodum vitae eſt, nec ſolum exuto ſenio iuveneſcit; verum etiam maiora corporis ſimul, ac virium accipit incrementa.*

VII. Erat praeterea ſerpens Aeternitatis ſymbolum apud Aegyptios, ut nos docet Horus Apollo Lib. I. Cap. I. *Aevum picturа exprimere volentes, ſerpentem pingunt; cuius cauda reliquo involuatur, ac tegatur corpore.* Hinc id ſymbolum conveniebat Diis omnibus, praecipue vero Lunae, quam Antiqui credebant eſſe terminum aeternorum, ut ſaepe docet praelaudatus Macrobius, praecipue in Somnium Scipionis Lib. I. Cap. 21. ideoque introductum eſt ut Luna ſilens apud Romanos ſymbolum praeſtaret Aeternitatis; quod etiam ſuperius oſtendimus in Obſervationibus ad GEMMAS ASTRIFERAS. Quod vero ad rem noſtram maxime pertinet, et ſigillum huiuſmodi aheneum maxime inluſtrat, illud profecto eſt, quod quum Aegyptii indicare vellent ſerpentum adpoſitu Deorum Aeternitatem, ipſos iidem draconibus circumvoluebant, ut quodammodo Deos aeternitate circumfuſa potiri, atque in illa undique immerſos aevum agere, indicarent; quod ex eiuſdem Hori Apollinis verbis loco citato deſumitur: *Eumdem ſerpentem ex auro conflatum Diis circumponunt.* Hoc vero praecipue contigiſſe Iſidi, docet in primis memorata pulcherrima Gemma, quae inter Aſtriferas publicata eſt Tabula XXV.

quae geminis ſerpentibus undique innexa cum hac ipſa icuncula mirifice convenit. Hanc ad ornatum huiuſce Diſſertationis iterum in eius fine exhibendam cenſuimus. Illud praeterea adnotandum, quod iidem Dracones *Sancti* adpellantur in marmorea ara inſcripta Muſei Collegii Romani, quam inter Donianas legimus Claſs. I. num. 59. et diſcimus Dracones Numinibus, et Locis adſignatos a Romanis cultos fuiſſe.

VIII. Haec quidem, PRAESTANTISSIMI SOCII, tanti ponderis apud me ſunt, ut nullus dubitem hoc ſerpentum geſtamen, ſeu potius ligamentum, quo feraliter, atque horribiliter ISIS GORIANA detinetur, illi iure optimo, atque omnibus mythologiae legibus conſentientibus, conveniſſe. Adtamen (quod meae ingenuitatis eſt) vereor nullam ex praemiſsis rationibus in cauſa fuiſſe, cur Iſis ſerpentibus cingeretur; adeout vera huius ſymboli origo adhuc nos lateat. Cauſſa difficultatis in promptu eſt. Evolvamus, perſcrutemur, contrectemus quotquot Iſidis genuina ſimulacra nobis devicta Aegyptus ſubmiſit; genuina, inquam, quorum antiquitas, et vera patria in dubium revocari non poteſt, eo quia ex Aegyptio lapide baſalte, pyrite, ophite, iaſpide, et ceteris ſimilibus conſtant, et ne unam quidem inveniemus *ſerpenticinctam*. Horum vero ſimulacrorum comparatione liquido deprehenditur praeſens hoc noſtrum longe diverſa mente, atque intellectu fuiſſe efformatum, quam quod Aegyptus inſtituiſſet.

IX. Auget mihi hanc ſuſpicionem ipſa differentia materiae huiuſmodi ſimulacri; nam aereum eſt: quum e contra Aegyptiorum primaeva, ac primigenia ſimulacra ſemper marmorea habeantur. Potuit fortaſſe huic inſtituto aliqua ſubeſſe religio: quum enim Aegyptii ſtatuerent humidam Naturam, tanquam rerum omnium principium, repugnare

pugnare videbatur, ut Deos e fornacibus educerent, et magisterio ignis compararent. Inerat praeterea aereis simulacris periculum, ut confracta, in alium usum verterentur: et qui olim Dii fuissent, non sine contumelia in usum viliorem degenerarent; quo periculo marmorei, ac lapidei carere censebantur. Forte etiam simplicius cogitantes, materiam in Aegypto ubique obviam, et a montibus large sine aliqua invidia, et a natura ipsa suppeditatam elegerunt; sapientius reservantes in usum hominum, praecipue belli, atque commercii metalla, quibus Aegyptus destituitur. Quaecumque interim ratio fuerit, usus certe et experientia late comprobat, antiquos Aegyptios remotioribus saeculis metallo lapides praetulisse.

X. Adcedit alia ratio, et quidem iudicio meo validissima, quod hoc, et similia Aegyptiorum Numinum aerea signa longe post devictam Aegyptum, et alibi, quam in patrio solo conflata videantur: quod nempe ea omnia, quotquot sunt, quae certe multa, atque ubique terrarum obvia, si cum primaevis conferantur, valde a primis recedere dignoscuntur. Diversa in his observatur partium dispositio, varia membrorum actio, discrepantia vultus, lineamenta, et quod caput est, ornamenta, symbola, capitum suggestus, ceteraque omnia valde a priori forma discedunt, et elongantur. Quapropter in suspicionem incidi ab Aegyptiis quidem Artificibus illa conflata esse; sed ab his, qui multo numero Romae, ac in tota Italia, atque ubique terrarum degerent, ut contribulium suorum religioni, ac desiderio facerent satis. Quia vero eorum traditio diuturniore peregrinatione refrigescebat, ita novitiis formis illam paullatim corrumpebant.

XI. Huic coniecturae alia ratio quoque adcedit, quam nobis suppeditant imagines Deorum Pantheorum. Has Ro-

mae conflatas esse non modo ostendit ipsa Romani artificii forma, membrorum aptitudo, atque motus, et vestium cultus; verum etiam et dedicationes, atque inscriptiones, quae Latino idiomate conceptae illis quandoque adiiciuntur. Has vero nemo non videt totam spirare Aegyptum, quum plerumque cumulata illa Deorum symbola, vel Isis, vel Harpocrates baiulet: ipsa quoque adiecta symbola Numinum Aegyptiorum referant proprietatem; ut paene visum sit in hoc novo Deorum commento concordasse Latium, atque Aegyptum, et ad incredulorum deceptionem una conspirasse. Hoc vero nulli potius, quam Aegypto intererat, cuius Dii toties e commercio eliminati hisce subsidiis indigebant, ut postliminio extorto illis Italia adsuesceret.

XII. At insurrexit in hac Deorum effingendorum evulgata potestate illa errorum omnium sentina, familia nempe Basilidis, unde Ophitae, ceterique id genus, nescio an dixerim Haereticorum, an potius Gentilium, seu mavis Maleficorum, atque Nebulonum, qui novas Deorum formas, omnium tamen teterrimas invexerunt: quod etiam non obscure ostendunt Gemmae duae, quae pro parergo in fronte huiusce Diatribae exhibentur; altera enim e Museo Mediceo Imperiali depromta est, atque luculenter a Cl. Gorio inlustrata in Volumine I. Musei Florentini Tab. LV. num. IV. pag. 125. altera vero ex Dactyliotheca Senatoris Veneti Cappello, quae in edito Prodromo Iconico num. 228. proponitur, quae etiam Gemmarum Astriferarum censum auget, atque amplificat. Adeo enim arbitraria fuit huic Sectae species, et imago divinitatis, ut in nullo alio negocio homines magis lusisse videantur, quam in isto; si enim innumeras illas caelaturas, quae huic hominum generi adtribuuntur, oculis subiiciamus (infinitae vero sunt, atque in omnium manibus vulgares, atque tritissimae)

vix

vix unam, aut alteram ſibi inveniemus ſibi ſimilem; nam in omnibus exuberat effraenis illa ingenii libido, quae quidquid in mentem ſibi veniret, manu obſequente efformabat. In his vero omnia Numinum Paganorum genera, qua Romana, qua Graeca, qua Perſica, qua Punica, in primis vero Aegyptiaca, recurrunt, ut intelligamus, ex quo potiſſimum fonte haec peſtis eruperit, cui nova ſymbola, et plerumque incognita, adiectis plerumque barbaris, et nullius linguae legibus addictis inſcriptionibus, ad terrorem vulgi, et fidem operi conciliandam, et ad opes ex ignaris conradendas proprio Marte addiderunt.

XIII. Inter familiariſſima vero ornamenta, quibus hoſce Deos cumularunt, primum ſibi locum adſciſcunt ſerpentes; ut paene viſi ſint huiuſmodi homines inimicitiam omnem, quam rerum Auctor Deus inter illos, et ſemen mulieris poſuerat, ſuſtuliſſe. De his ita Epiphanius Haereſi XXXVII. *A Nicolao, et Gnoſticis, ac prioribus aliis Sectis efflоruerunt, quos Ophitas, hoc eſt anguineos, ab angue illo, quem celebrant, adpellare ſolent. Sed horrenda ſane ſunt, quae homines iſti, ut ita dicam, eructant — Serpentem quippe novi cuiuſdam inſtar Numinis venerantur. — Huic ſcientiam omnem tribuunt: itaque profitentur ſerpentem hominibus ſcientiae omnis auctorem exſtitiſſe, indeque fabulas meras, quas pro myſteriis habent, commenti ſunt.* Tertullianus quoque in Libro de Praeſcriptionibus haec de illis tradidit: *Qui Ophitae vocantur, ſerpentem magnificant intantum, ut illum etiam ipſi Chriſto praeferant. Ipſe enim* (inquiunt) *ſcientiam nobis mali, et boni dedit.* Horum adfines Harioli, ac vaniſſimi hominum Magi, qui quodammodo Ophitae dici poſſunt, ſuorum operum commune condimentum ſerpentes eſſe voluerunt. Hiſce Gorgoneas imagines ſuas circa capillos exornant; his quoque illas cingunt, aut ſub earum pe-

pedibus conlocant ; has in manibus locant , rati ſe grande aliquid hominibus praeparaſſe , quum ſtatis quibuſdam diebus , et quibuſdam obſervationibus , quae apud Leonardum noſtrum obſervare datur , *Serpentarium* adverſus venena confeciſſent . Nec difficile fuit monſtroſo hoc commento plebeculam decipere , quae iam ingenti opinione ſerpentinae divinitatis apud omnes ferme populos conſtantiſſime evulgata detinebatur . Horum vero ſculpturas , amuleta , ſcarabaeos , rhombos , conos , ſigilla , omne denique Simulacrorum genus ab eo ſpiritu conflatos explicare , et minutatim de his differere , idem eſt ac operam ludere ; nam id genus hominum , quia nullis certis regulis obſtringebatur , omnia ex ingenio confingebant , illa in primis probant , quae nemo unquam intelligeret . Haec vero experimento magis , et longo uſu , quam ſubtili diſputatione probari poſſunt . Nam in multiplici earumdem nugarum perluſtratione , ita a ſe ipſa recedit Antiquitas , ac ſibi deformis eſt , ut primo obtutu videantur commenta pura putaque eſſe hominum ſpem credulorum eludentium , et non ſine contumelia humani generis iocantium in Religione . Vbi igitur in veterum Cimeliorum collectionibus occurrunt nobis hae rerum ſpecies inſolitae , quod in Iſide hac e Muſeo Goriano prolata ſpectamus , quod vel primo intuitu mihi adcidit , ſuſpicari tuto licet inventa iſta a communi traditione recedentia , et praecipue quae uſitato circulatoribus ſigno , hoc eſt ſerpente , citra modum conſtantis Antiquitatis ornantur , haec plane omnia ab eo genere hominum facta fuiſſe , ut in illorum ambagibus explicandis , quas et ipſorum auctores ignorarunt , tempus minime conteramus : ea interim reſervantes triſtibus illis Antiquitatis Cultoribus , qui ſolo ductu ingenii , ſine mechanico veterum Monumentorum uſu , atque diuturna con-

tre-

trectatione, quae maxime necessaria est, intra pomeria. Librorum conclusi se se ad Antiquitatem explicandam convertunt. Huic meo calculo, si vestrum adcedet, SOCII DOCTISSIMI, longe maius pretium huic Goriano Simulacro, et meae huic Dissertationi, quam vestro praeclaro nomine ornare volui, luculentissimus splendor adcedet.

XXVI

Jos. F. Jac. A. 1749

DE ANIMARVM TRANSVECTIONE

DISSERTATIO III.

IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VIC. PISAVRENSIS

MITHRA ANIMARVM TRANSVECTIO



Heliotrop Inscal. apud Nob. Comitem Rodulphum Struglio Aquileiensem

Marm: long. palm. II Pisauri in Museo Passerio

DE ANIMARVM TRANSVECTIONE

DISSERTATIO III.

AD VIRVM CLARISSIMVM

IACOBVM BVFFIVM

PATRICIVM PISAVRENSEM

ANCONITANORVM ARCHIATRVM

NOVA iterum benevolentiae tuae teſtimonia ad me delata ſunt, BVFFI, VIR DOCTISSIME, ac NOBILISSIME, quum eximium antiquum Marmor, per Te a ſqualore vindicatum, mihi dono datum eſſe voluiſti; in quo Adoleſcentuli anima equo ad Elyſios tranſvecta repraeſentatur: cuius imaginem in fronte huiuſce Diſſertationis exhibendam, amiciſſimo GORIO auſpice, curavi. Eo vero gratius hoc mihi contigit, quo per id tempus inter GEMMAS ASTRIFERAS inluſtrandas, una ſimul mihi contemplandum ipſe

obtulit eximium priſci aevi Cimelium, ſimillimo ornamento decoratum, quod heic iterum adlatum cernis; ut uno eodemque ſtudio, et ipſum explicatum iri non dubitem. In argumentum igitur obſervantiae erga Te meae, lucubratiunculam hanc meam Tibi dicatam volui: quae utpote a te excitata, tibi quoque referenda eſſe videbatur.

I. Marmor quod a Te accepi, ineditum adhuc eſt, atque inliteratum. Duo tamen huic fere ſimilia vulgavit Fabrettus Inſcription. Domeſt. Cap. III. pag. 161. et 162. in quorum primo, quum eiuſdem pueri, qui inſculptus eſt, ſepulcralis Inſcriptio contineatur, non dubitabimus credere omnia huiuſmodi quotquot ſunt, feralem aliquam caeremoniam, ſive etiam mavis, myſterium, quod ad animarum ſtatum pertineat, continere. Lubet heic adferre eandem epigraphen, quae omnem nodum ſolvit:

ΓΛΥΚΩΝ . ΕΥΗΜΕΡΩ
ΤΩΤΕΚΝΩ . ΜΝΕΙΑΣ ΕΝΕ
ΚΑ . ΖΕΣΑΝΤΙ . ΕΝΙΑΥΤΟΝ . Α
Μ . Ι .

quae ſic Latine redditur:

GLYCON EVHEMERO
FILIO MEMORIAE GRA
TIA. VIXIT. ANNO I.
MENSIBVS X.

Id autem monumentum per haec verba ibidem explicavit idem Fabrettus: *Fingitur, ut puto, infantem iſtum Euhemerum ad Elyſium campum, ſive Heſperidum hortos, delatum, ut pervigilem Draconem eorum cuſtodem ſibi devinciat, propitiumque reddat ad aram, accenſo igne, ſub ingreſſum poſitam; patera, quam*

quam defert , libationem peragere velle , quo ſibi aditus ad piorum , et beatorum ſedem permittatur . Heſperidum Hortos cum Elyſio confundere Strabo videtur , ubi Lib. III. in ultima Heſperia Elyſium Campum , terrae terminum , conſtituit ; in quem Proteus apud Homerum Odyſſ. Δ. verſ. 553. Menelaum a Diis mittendum fore dixit ; ibidemque a poſterioribus Poëtis vulgatam eſſe expeditionem Herculis in Geryonis boves , atque in Heſperidum aurea mala . Haud tamen tria tantum , ut Antiphanes Comicus ex Athenaeo Lib. III. credidit , ea fuiſſe , hinc patet ; ſed quinque , ut etiam habet nummus Getae a Triſtano adlatus Tom. II. pag. 285. ſine ulla inſcriptione , aut nota loci ; et proinde ab Ill. Spanhemio ex Muſeo Chriſtinae Auguſtae ſuppletus Diſſert. IV. pag. 249. ΕΡΙΣΤΡΑ ..... ΝΟΥΣ . ΑΝΕΘΕ . ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ . Β . ΝΕΩΚΟΡΩΝ *; quo in nummo ſerpens eadem figura , et poſitu , ac noſter conſpicitur . Ad hoc idem fortaſſe adludit Marmor , quod e Schedis Peniae , Sacrae Rotae Auditoris cum ſua marginali nota hic exprimi curavi , ubi ſimiliter Puerulo equeſtri ingreſſum ſacrificio impetrat ad aram Mater , cum victima conſiſtens , a Serpente obvio , et arborem ſuis ſpiris circumplexo . Idem crediderim de arbore , atque ſerpente , tumulo Vlpiae Marcellinae Veneris caeleſtis Antiſtitis inſculpto , et nuper eleganti commentario Caroli Patini , Marmoris poſſeſſoris , inluſtrato : quamvis ibi ſerpentem* adblandiri *creditum , et cupreſſum ſimulatam opiner ; cui cogitationi Virum eruditiſſimum inſiſtere video in Graecanico Monumento L. Murdii , huic noſtro perſimili ; niſi quod canis , et pediſequus ibi abundat ; ſi vero illi haec noſtra explicatio placeret , ego mihi de ea maxime , meritoque placerem .* Huc uſque doctiſſimus Fabrettus. Eidem ſententiae adriſiſſe gaudeo maximum Bonarrotium , qui in Notis ad Numiſmata maxima Muſei Carpinei ad Tab. III. num. 1. ita

ſcri-

ſcripſit : *Ed io ho oſſervato più volte fra la raccolta delle Inſcrizioni del Sig. Canonico Fabretti Cap. III. num. 26. l'ombre de' Defonti a cavallo avanti all' albero dell' Eſperidi : queſta fu opinione ancora de' Popoli Settentrionali , e degli Sciti origine loro , come oſſerva il Sig. Bartolini* Antiquitat. Danic. Lib. II. Cap. 8.

II. Interim dum haec ſcribo gemina alia Monumenta hiſce noſtris fere ſimillima relata video in II. Tomo Supplementorum Theſauri Antiquitatum Graecarum , et Romanarum ad pag. 1041. quaeve nuper ex Smyrna in Italiam delata ſunt : utrumque Graeca Inſcriptione pariter conſignatum , prout eſt alterum a Fabretto publicatum ; quapropter et illud quoque ex eodem promptuario adlatum , et fortaſſe, mi BVFFI, etiam hoc tuum, a navarcho aliquo fuiſſe non diffiteor . Non enim ille ſum , qui Patriam hanc noſtram hiſce honoribus refertiſſimam , ſpoliis alienis exornare ſtudeam ; non modo cum aliorum iniuria , ſed et cum detrimento litterarum , quae ex hiſce inconſultis adoptionibus confunduntur, et perturbantur. Sed eo magis inducor ut credam , Marmor hoc mihi dono oblatum, manus Saracenorum effugiſſe ; quia alioqui integerrimum, induſtrioſe tamen in pueri vultu , et ore equi labefactatum eſt : quae Turcarum religio eſt , ubi in haec Monumenta inciderint. Vtrumque vero ex Monumentis Smyrnaeis inſcriptione , ut diximus , decoratum cernitur ; quam adferre non gravabor . In primo ſic ſe habet :

ΛΟ ΜΟΥΡΔΙΟΣ
ΗΡΑΚΛΑΣ ΗΤΩΝ $\overline{K}$
ΗΡΩΣ

L. MVRDIVS
HERACLES. ANNORVM. XX.
HEROS

Mo-

Monumentum hoc nunc exſtare in Muſeo Veronenſi, docet Illuſtriſſimus Marchio Maffeius, huiuſce aetatis eximium decus, et ornamentum, qui adfert num. 8. Tabulae XLIX. Secundum vero, in quo duo adoleſcentes expreſſi ſunt, equos regentes, ita ſe habet:

ΠΑΝΦΙΛΟC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC.
ΧΑΚΡΕΤΕ

PANPHILVS *et* ALEXANDER
VALETE.

Hoc quidem triplici teſtimonio certiores facti ſumus Marmora haec ſepulcralia eſſe; neque aliud plane officium praeſtitiſſe cetera his ſimilia, quanquam inſcriptione deſtituta videantur. Docemur praeterea omnia haec Graecam religionem involvere; nec quidquam praeſeferre, niſi tranſitum animarum ad Elyſios, ſeu potius ad aſtra: quem, quia auxilio equi expreſſum obſervamus, non male TRANSVECTIONEM ANIMARVM adpellaverimus.

III. Id ipſum myſterium in hac adlata eximia Gemma exhiberi minime dubitaverim; quum forma Marmori noſtro, et reliquis ſupra deſcriptis omnino reſpondeat: puer equo inſidens, eadem ara ſuccenſa, forte rogus, ſeu pyra, arbor, et ſerpens arbori circumvolutus, qui in minutula hac ſcalptura oculos Pictoris aufugit. In noſtro vero Marmore adcedit inſuper caeleſtis globus, ſeu Lunae orbis, pedibus pueri ſubpoſitus; qui ob vitae innocentiam iam inter Divos relatus, et HPOC effectus; quod L. Murdio adtribuit praemiſſa Inſcriptio, pedibus calcare obſervatur: quae quidem ſymbola ſtudioſe ſingillatim excurrenda ſunt, et adcurata diſquiſitione illuſtranda: quod ubi prae-

praeſtiterimus, Gemmam ſimul, et Marmor noſtrum explicabimus.

IV. Primum, quod adtinet ad ſtatum Animarum poſt mortem, varia, ac ſemper inconſtans, atque ut plurimum fabulis involuta, pro diverſis religionibus, fuit Veterum opinio; nam qui Aegyptias traditiones ſecuti ſunt, Graeci praeſertim, qui Homerum habuerunt anteſignanum, feralem cymbam celebrarunt, quae animas per nigra quaedam flumina in Elyſios deducerent. Hos autem infra terram, et praeter damnatorum ſedes, conlocat Virgilius Aeneid. VI. immo, ut videtur, in ipſo Terrae centro; novem enim circulis praecinctos eſſe Inferos notavit ibi Servius ad verſ. 426. quem imitatus eſt divinus Poëta Alighierius: quorum alter alterum complecteretur, et inde per quaſdam purgationes tranſitus fieret, de quorum intimis ſic loquitur: *In octavo ſunt Animae ita purgatae, ut redeant: in nono, ut iam non redeant, ſcilicet Campus Elyſius*. Quam doctrinam ipſe fuſius explicarat ad verſ. 408. *Erebus proprie eſt pars Inferorum, in qua hi, qui bene vixerunt, morantur; nam ad Elyſium nonniſi purgati perveniunt; unde eſt* -- pauci laeta arva tenemus -- *hinc fit, ut quaeratur, an Animae de Elyſio in corpora poſſint redire; et deprehenſum eſt non redire; quia per purgationem carent cupiditate*. Vt vero illi, qui iſta confixerunt, calumniam tenebrarum in intimo illo terrarum loco effugerent, nova luminaria, novoſque planetas nobis ignotos imaginati ſunt. Virgilius Aeneid. VI. verſ. 641.

Largior hic campos aether et lumine veſtit
Purpureo; ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt.

Et Claudianus de rapt. Proſerp. Lib. II. verſ. 282.

— *Sunt*

Sunt altera nobis
Sidera, ſunt orbes alii, lumenque videbis
Purius, Elyſioſque magis mirabere campos.

Huius vero loci ſtatum non aliter mente concipimus, quam quod terrae medium cavum eſſet, ac vacuum, in quo orbis alius circa centrum incluſus, in aëre ſuſpenſus eſſet, quem circum ſtellae, et Planetae circumvolverentur. Sed humaniorem alium locum excogitarunt illi, qui ſubterraneam hanc machinam reſpuentes, Inſulas quaſdam fortunatas praeter Herculeum fretum conſtituerunt, quo animae poſt mortem concederent. Nempe hi per fretum animas deducentes, ab Oceani fluctibus eas convenienter purgari reputabant; praecipue qui leviori culpa adſtricti, e vita migraſſent, nec ignea purgatione indigerent: cui ſententiae adluſit idem Virgilius Aeneid. VI. verſ. 741.

Aliae panduntur inanes
Suſpenſae ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Huic ſententiae adhaerere viſi ſunt praeſertim Etruſci, qui Defunctorum icones marinis monſtris inſidentes, Sepulcris inſculpſerunt: quam ſententiam ex eodem Homero, cuius doctrinae ſtudioſiſſimi fuerunt, hauſiſſe viſi ſunt, qui de hiſce fortunatis Inſulis, haec prodidit Odyſſ. Δ. verſ. 563.

Sed te in Eyſium Campum, et fines terrae
Immortales mittent; ubi flavus Rhadamanthus eſt:
Vbi utique facillima vivendi ratio eſt hominibus:
Non nix, non hiems longa, neque unquam imber;
Sed ſemper Zephyri ſuaviter ſpirantes auras,
Oceanus emittit.

Putabant etenim terram Oceano definiri ; Oceanum vero ab hiſce beatorum Inſulis circumplecti : quod etiam adtigit Lucianus in *Hiſtoria vera* : et Servius ad VI. Aeneid. verſ. 640. *Secundum Philoſophos Elyſium eſt Inſulae fortunatae*.

V. Alii rurſus inter Terram , et Lunam beatorum animas conlocarunt ; quos inter Martianus Capella de Nupt. Philol. Lib. III. et Pſellus in *Doctrinae Chaldeae Compendio*. Hanc quoque ſecutus videtur Lucanus Lib. IX. verſ. 5.

Quodque patet terras inter Lunaeque meatus ,
Semidei Manes habitant ; quos ignea virtus
Innocuos vitae patientes aetheris imi
Fecit , et aeternos animam collegit in orbes .

Sed Cicero, Poëtarum ſomniis excuſſis , omnium magis de proximo veritatem adtigit in Somnium Scipionis, quum aurea haec verba protulit : *Omnibus , qui patriam conſervaverint , adiuverint , auxerint , certum eſſe in Caelo , ac definitum locum , ubi beati aevo ſempiterno fruuntur* . Hunc locum , qui curioſius ſcrutati ſunt , aliquando ſupra polum Arcticum conſtituerunt , quo pertinent ſeptem Trionum ſtellae , in Nummis , et Gemmis expreſſae , ut diximus ad Tabulam LIV. Manilius vero beatorum animas in via lactea conlocavit Lib. I. verſ. 756.

An fortes Animae , dignataque nomina Caelo
Corporibus reſoluta ſuis , terraeque remiſſa
Huc migrant ex Orbe , ſuumque habitantia Caelum
Aethereos vivunt annos , Caeloque fruuntur .

VI. Auctor vero huius Marmoris eam opinionem ſequutus eſt , quae haſce animas in Lunae orbe conlocabat ; quapropter

propter orbem ipſum pedibus infantis ſubpoſuit; ut indicaret illius animam pro vitae merito hanc ſedem obtinuiſſe. Haec vero opinio maximam apud Romanos auctoritatem obtinuit, qui ut feminas Auguſtas iam caelo receptas exprimerent, vel ſub Dianae ſpecie effinxerunt, vel inter ſilentis Lunae cornua figurarunt; ut conſtat ex Nummis Iuliae Domnae, Otaciliae, Etruſcillae, Saloninae, et Magnae Vrbicaç alias indicatis, et ex Nummo Fauſtinae minoris, in quo ipſa ſub Lunae ſpecie effícta cernitur, cum epygraphe SIDERIBVS RECEPTA. Hanc mythologiam pulcre inluſtrat luculentus Plutarchi locus in Libello *de facie in orbe Lunae*, per haec verba: *Sunt in Luna etiam cavernae profundae. Cavernarum eius maximam, penetralia Hecates vocant, ubi animae eorum, quae iam natae egerunt, aut paßae ſunt, rationem reddunt, ac poenas dant, ſumuntque. Duae aliae longae dicuntur; quia per eas tranſmittuntur animae; aliae a Luna verſus caelum, aliae verſus terram. Adpellantur autem partes Lunae caelo obverſae Elyſius Campus: huc pertinentes Proſerpinae, et Antichthonis, ideſt Terrae oppoſitae. Non ſemper autem in Luna morantur Genii, ſed huc deſcendunt, ut oracula procurent, et ſupremis adſint Orgiis, atque ſacrificiis. Puniunt flagitia, ſalutareſque in bello, et mari adfulgent.* Manifeſtius vero in Quaeſtionibus Romanis Cap. LXXVI. loquutus eſt, ubi Lunam ſub animarum pedibus conlocavit, ut in hoc Marmore obſervatur. *Cur qui nobilitate generis aliis praeſtare videbantur, Lunulas in calceis geſtabant? An, ut Caſtor ait, ſignum hoc eſt habitationis ſupra Lunam, quae defertur, et quod poſt mortem rurſus animae Lunam ſub pedibus habebunt?* Lunam itaque ſub pedibus habet huius noſtri Marmoris puer. Si vero non Lunam, ſed ipſum Caeli orbem heic

deſignatum velimus, in promtu ſunt exempla nitidiſſima veterum Monumentorum, in quibus totus Caeli ambitus mortuis ſubiicitur. Sic in nummo maioris Fauſtinae ipſa efficta eſt ſtellato orbi inſidens, cum epigraphe AETERNITAS. In alio antiquo Marmore, quod adhuc prope Nolam adſervari, tradit doctiſſimus Praeſul Franciſcus Blanchinius in Deſcriptione Palatii Vrbinatis, Auguſtus conſpicitur, cuius pedibus orbis ſubpoſitus eſt: et in celeberrimo Achate Tiberiano, qui Pariſiis in S. Cappellae, ut aiunt, Sacrario adſervatur, Auguſtus ſpectabilis eſt Caelum conſcendens, Pegaſo innixus, qui prioribus ungulis orbem premit, quem manibus fuſtinet Genius Romani Imperii, qui Phrygio habitu indutus eſt; quo Auguſto adſentatur, qui ſe ab Aenea progenitum fuiſſe iactabat: quod quidem pretioſiſſimum Monumentum magnam adfinitatem habet cum anaglypho conſecrationis Antonini in eius Columnae baſi inſculptae, in qua idem Genius, ſed nudus, ſimilem orbem cum ſerpente circumvoluto in altum adtollit: ut non parum mirer eruditos Gallos, qui in ea Gemma inluſtranda operam impenderunt, utrumque Monumentum non comparaſſe; non enim ſub Phrygio habitu vel Romam ſignificari dixiſſent, vel ipſum Aeneam.

VI. In praeſenti hac noſtra Gemma, et in hoc meo domeſtico Marmore, immo, et in ceteris adſimilibus, animae puerorum equo invehuntur. Id adtributum veteri Mythologiae aptiſſime conveniebat, qui animas modo a terreſtribus, aliquando a marinis, denique ab aëreis animantibus efferri credebant: per quae animalia triplex illa purgatio deſignatur, per quam in caelum perveniri poſſe reputabant. Pulcre ad propoſitum noſtrum Servius in VI. Aeneid. verſ. 741. *Triplex eſt omnis purgatio: aut enim in terra*

terra purgantur, quae nimis oppreßae ſordibus fuerint: ideſt, tranſeunt in corpora terrena; aut in aqua, ideſt, tranſeunt in corpora marina, ſi paullo melius vixerit; aut certe in aëre, tranſeundo ſcilicet in aëria corpora, ſi ſatis bene vixerint. Et quanquam laudatus Auctor tranſmigrationem animarum indicare voluiſſe videatur; adtamen Monumenta antiqua evincunt, Antiquos fere omnes quanquam Pythagoreorum doctrinam non admiſerint, eundem tamen ordinem ſervaſſe, qui animabus haec animalia ſubmiſerunt, niſi *ad tranſmigrationem* indicandam, et *ad tranſvectionem* ſaltem illarum exprimendam. Nam quod adtinet ad marina corpora, illa obvia ſunt in Tuſcorum, et Latinorum Vrnis, Piſtris, Hippocampus, Cinocampus, Taurocampus, et alia huiuſcemodi ſexcenta, quae pro privata religione ad libitum deformabant; de quibus multa nobis dicta ſunt in tertio Libro domeſticarum Lucernarum. Delphines vero ubique obvii ſunt in ſepulcralibus Monumentis; ut quodammodo commune quoddam mortuorum ornamentum videatur. Terrenorum etiam animalium hac vice fungentium exempla lubenter enumeraremus, ſi epiſtolaris Diſſertationis ſpatium, et propoſitum argumentum pateretur.

VII. Vbi vero privata ambitio in mortuorum conſecratione laxata eſt, caeleſtia animalia, vel quae Diis ſacra haberentur, adeo promiſcue uſurpata ſunt, ut nihil magis obvium ſit, quam aquilas, et pavones in Sepulcris intueri, quorum officio animae in caelum efferri putabantur. Potentiores etiam bigas addiderunt. In Gemma Muſei Regis Francorum vulgata Tom. I. Hiſtoriae illius Academiae, Germanicus, et Agrippina cernuntur, qui vehiculo efferuntur in caelum a draconibus Cereris. Paullina in nummo biga vehitur cum epygraphe CONSECRATIO.

Au-

Auguſtus, et Livia in altera ingenti Gemma Muſei Caeſarei, vulgata eodem Tom. II. Supplementorum, ſimili bigae inſidet a Centauris vectae, et a Victoria, ſeu Hebe coronantur. Conſtantinus quoque in eius nummo Caelum adit in Quadriga, quem ſuperna manus videtur excipere. Sed haec exempla non adeo obvia ſunt: communiora ſunt Animarum hiſce animalibus inſidentium. Sic minor Fauſtina in nummo maximi moduli cervae inequitat. In altero ſimili Antinous ſub Apollinis ſpecie grypho; Auguſtus vero in Achate Tiberiano equo alato, quem male Pegaſum, ut videbimus, inluſtratores nuncuparunt; equo vero inplumi, ut in praeſentibus noſtris Monumentis Fauſtina maior in nummo, quem doctiſſime, ut ſemper, inluſtrat Anteſignanus noſter Bonarrotius in Notis ad Muſeum Carpineum, qui opinionem hanc noſtram de Animarum tranſvectione multis Veterum teſtimoniis inluſtrat, praeſertim vero auctoritate Lactantii in VI. Thebaid. adferentis ſingulis ſtellis proprios equos fuiſſe adtributos; multiplices vero maioribus luminaribus.

VIII. At praecipuum officium Animas tranſvehendi Heſpero, atque Lucifero tribuebatur; adeout Albinovanus Druſum dixerit in ipſum Heſperum poſt mortem tranſiiſſe. Sic ille:

Quaeſivere Chori Iuvenem: ſic Heſperon illum,
Quem nexum medio ſolvit in igne Venus;
Quem nunc in fuſcis placida ſub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernit equis.

Vbi ſententiam illam admiſiſſe videtur, quae Heſperum a Venere diſtinguebat; licet enim Heſperus, ac Lucifer unum et idem ſint cum Veneris ſtella, cuius matutinum, ſive

ſive veſpertinum lumen per haec nomina diſtinxerunt, et, ut ait Statius :

—— Et alterno deprehenditur unus in orta ;

adtamen diſtinctas omnino ſtellas, ſed Veneri familiares, aliquando hoc nomine deſignabant ; unde Virgilius Aeneid. VIII. verſ. 589.

Qualis, ubi Oceani perfuſus Lucifer unda,
Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,
Extulit hos ſacrum caelo, tenebraſque reſolvit.

Vbi Servius : *habet etiam duas alias ſtellas Venus ; unam in ſigno Tauri, et unam in Septentrione :* quae fortaſſe una ex cauſis fuit cur animae ſupra Septentrionem locarentur. Heſpero vero, et Lucifero proprii equi adſignabantur. Conſtat hoc praecipue ex pictura Vaſis Etruſci, quam Libro I. eius Collectionis, quam doctiſſimus Gorius noſter meditatur, additis notis inluſtrabimus. Adcedunt Poëtarum teſtimonia. Ovidius Metamorph. XV. verſ. 189.

—— Cumque albo Lucifer exit
Clarus equo. ——

Et Triſtium Lib. III. Eleg. V. verſ. 55.

—— Solis praenuncius ortum
Adferat admiſſo Lucifer albus equo.

Et Claudianus de Rapt. Proſerpinae Lib. II. verſ. 121.

Dum meus humectat flaventia Lucifer arva,
Roranti provectus equo. ——

Et Statius Thebaid. VI.

Lu-

Lucifer , et totidem Lunae praevenerat ignes ,
Mutato nocturnus equo . ——————

Et de Hespero idem Ovidius Fast. Lib. II. vers. 314.

Hesperus , et fusce roscidus ibat equo .

Etiam Cassiodorus Epist. LI. Lib. III. Hespero , et Lucifero in Circo equos sacratos fuisse testatur , qui propterea rorarii nuncupabantur . Quae quum ita sint , probabilius mihi videtur equum alatum , quem Augusto adtribuit Achates Tiberianus , alterum ex hisce equis denotare Veneri addictum potius , quam Pegasum , cui nullum in funeribus , atque consecrationibus ipsis , quod adhuc viderim , officium fuit . Nec minor dignitas Lunae adtributa est ; cui non modo bigam adsignavit Antiquitas , ut diximus in Notis ad Lucernas Tom. I. verum etiam ΦΙΛΙΠΠΗ , hoc est equos amans , vocatur ab Orpheo in eius Hymno , et *equos iungens* in altero apud Homerum : propterea eos , qui eius Numen sibi deviciſſent , et impensius coluissent , ab animalibus illi subiectis in eius orbem deductos iri reputabant : ex quo factum est , ut populi , praecipue qui Lunam impensius colerent , inter quos Smyrnaei horum Marmorum auctores , ceterique Asiae finitimi , mortuis suis equos adiungerent , quo ipsos in eius orbem transvectos esse profiterentur .

VIII. Haec tamen opinio de transitu animarum non adeo Smyrnaensium propria fuit , ut Asiae terminos non excederet , et Etruriam nostram non pervaderet ; nam in Thesauro Vasculario ab eodem meritissimo Gorio studiosissime conlecto , cui lucubratiunculas aliquas confestim prodituras praeparamus , saepissime occurrunt inter funebria

bria parerga huiuſmodi animarum imagines equis inſidentium, quae quum minus caute ab aliquibus non adeo in hac provincia verſatis ſpeculatae ſint, mirum in modum ingenium vexarunt, ut equeſtres haſce ſingulares figuras cum mortuis conciliarent. Hoc vero adeo ſolemne fuit Etruſcis, ut quum Lares domeſticos pingere vellent (ſub quibus, ut noſti ex meo Acherontico, nil niſi mortuorum ſuorum animas intelligebant) equum illi adſtantem intra Lararii ſeptum coniungebant: neque enim puto equum illum prioris vitae inſtitutum ſignificare; non enim Sacello iumentum incluſiſſent. Sunt haec indicia Religionis ab altiore principio deducenda; pertinent enim, ſi quid recte ſentio, ad Animarum tranſvectionem, cuius ope in Lares familiares converſae ſunt, quae tanquam ſacrum animal, et Caelo familiare, in partem domeſtici cultus, in penetrale ſacrum inferebant: quanquam non ignorem altera quoque ratione equum Laribus adiunxiſſe; quum enim illos domorum, et urbium cuſtodes non modo adverſus fures, ſed et publicos hoſtes, et thorace, et inſigni galea armare conſueſcerent, ut late a nobis probatum eſt in Diſſertatione *de Diis Tudertium*, apud quos obvia ſunt Larium armata ſimulacra, inter cetera belli ornamenta etiam equum illi tribuerunt. Nec ab iſta opinione Piſaurenſes noſtri abhorruerunt; dum enim haec ſcribo, apud Circianenſe meum ingens Sepulcretum in fundo Nobilium Petrutiorum inventum eſt, tegularum inſcriptarum opulentiſſimum, inter quas tres aereos ſimpulos, quanquam aetate labefactatos, erutos vidi, et in Muſeum meum intuli; et quod ſupra eſt, Larem etiam nudum, et ingentibus foliis, ut frequenter adcidit, coronatum, qui dextera elata, non pateram, ut ſaepe ſaepius, ſed lanceam intorquet.

IX. Sed iam ad Gemmam, et Marmor noſtrum redeamus. Ara in utroque ſuccenſa ad ea pertinet ſacrificia, atque piamenta, quibus animae placari ſolebant, et conſecrari, de quibus ita loquitur Arnobius adverſus Gentes Lib. II. *Neque illud obrepat, quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium ſanguine certis Numinibus dato, divinas animas fieri, et a legibus mortalitatis educi.* Hinc Maro Aeneam deſcribit ſic Polydoro iuſta exſolventem Aeneid. Lib. III. verſ. 63.

Stant manibus arae
Caeruleis maſtae vittis, atraque cupreſſo.

Et Aeneid. Lib. V. verſ. 47. ubi eum patri parentantem inducit, *maeſtas ſacraſſe* ei *aras* dicit. Animadvertimus praeterea in hiſce Marmoribus, et in hac Gemma, quam explicamus, aras omnino uniformes eſſe, ac deſuper flammis conlucentibus aeque ornatas, quae eandem ipſam referunt ſpeciem, quam in Nummis Valeriani Caeſaris, Claudii, Quintilli, Cari, ceterorumque Imperatorum refert rogus ille conſecrationi deſtinatus: quapropter ſuſpicari pronum eſt, ſub hac imagine ipſam funebrem pyram deſignari, quam in noſtro Marmore altero pede equus tangit, inde veluti curſum ſuum in aſtra auſpicatus; quemadmodum de pavonibus, atque aquilis in Principum funere obſervatum eſt.

X. Serpens arbori circumfuſus, quem ad Heſperidum Draconem trahit Fabrettus, facile Genium defuncti exprimit inſtar Serpentis Virgiliani, qui ex Anchiſae tumulo, dum illi parentaretur, delapſus eſt. Aeneid. V. verſ. 84.

Dixerat haec: adytis, cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit:

quem

quem esse aut Genium loci, aut parentis famulum Aeneas ominatus est. Hunc locum exornans Servius, ait: *Diis singulis inferiores quasdam potestates esse adtributas, quae illarum obsequiis praesto essent, et nutibus obtemperarent.* Hisce vero mortuorum Geniis non secus ac Manibus magnum semper honorem adhibuerunt Ethnici, qui eorum imaginibus, immo et invocatione, Sepulcra exornarunt, ut fusius in Acherontico nostro edito in Volumine III. Musei Etrusci, demonstravimus. Serpentes vero erant eorumdem Geniorum imagines: quapropter in Marmore consecrationis Antonini Pii, et Faustinae Genius orbis, a quo in Caelum efferuntur, ipsum orbem manu adtollit, cui serpens circumplexus est: sub quo nil nisi ipsius Principis Genium intelligimus, ipsum quoque insertum Caelo, et venerationi hominum publica auctoritate propositum. Alterum quoque subest mysterium in hoc serpente arboribus circumvoluto; significat enim ipsum Caeli cardinem, seu polum, in quo, ut iam diximus ad Tabulam LIV. hominum virtute praestantium animas conlocabant, ubi occasus nesciae, tanquam a vertice naturae, res humanas prospicerent; quo statu Aeternitatem indicabant, ut in nummo Faustinae VII. Trionibus exornato. Hinc Aratus in Phaenomenis:

Cetera, quae toto fulgent vaga sidera mundo,
Indefessa trahit proprio cum pondere Caelum.
Axis stat, motus semper vestigia servat.

Et Manilius Lib. V. vers. 693.

At revoluta polo cum primis vultibus Arctos
Ad sua perpetuos revocat vestigia passus
Nunquam tincta vadis, sed semper flexilis orbe.

Hunc vero Caeli locum occupat Heſperidum Draco, quem ab Hercule necatum *Minerva in Caelum tranſtulit*. Virgilius Georgic. I. verſ. 244.

Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentis aequore tingui.

Hinc propterea introductum eſt, ut ipſe anguis arbori Heſperidum circumvolutus, Aeternitatis ſymbolum eſſet, ſeu locum denotaret, in quo animae aevo aeterno fruebantur.

XI. Sed antequam ſerpentem miſſum faciamus, obſervatione dignum eſt in hoc Marmore noſtro ipſum triplici gyro arborem circumplecti, quod myſterio non vacat: nam aetatis anni per totidem volumina deſignantur: quae obſervatio mire recidit cum altero Marmore Fabretti Glyconi poſito; qui quum duos fere annos aetatis aequaſſet, eius ſerpens duplicem ſpiram exprimit. Hanc obſervationem excitavit nobis Servius in citatum Virgilii locum per haec verba: *Ita ergo nunc etiam Aeneae omen ſui erroris oſtenditur ſeptem gyris; nam ſeptimus ei annus eſt finis erroris, et eſt optimum figmentum. Annus enim ſecundum Aegyptios indicabatur ante inventas literas picto Dracone caudam ſuam mordente.*

XII. Reſtat arboris, cui ſerpens circumvolvitur, explicatio. Cuius generis ea ſit, ex ceteris Marmoribus minus diligenter expreſſis, mihi certe non liquet. In noſtro Marmore citra ullam haeſitationem pinus eſt Matri Deûm ſacra, cui puerum illum initiatum fuiſſe non vane ſuſpicor: immo, et eidem religioni addictum fuiſſe alterum, qui in Gemma expreſſus eſt, indubitanter puto; nam ita pileo Phrygio caput ornat, ut Atydem imitetur: quo blandimento

mento dolorem ſuum parentes ob filios admiſſos adlevabant, Deorum ornamenta illis tribuentes : quod iamdiu ab Eruditis, praeſertim vero a Celeberrimo Bonarrotio, obſervatum fuit, et nos in veterum Monumentis ſaepenumero obſervavimus. Pinum vero Matri Deûm ſacram eſſe conſtat. Arnobius Lib. v. *Quid ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deûm Matris inducitis Sanctuarium?* Et Servius ad Aeneid. IX. verſ. 116. *Cuius* (Atydis) *ut perpetua maneret memoria, Mater magna inſtituit, ut quot annis in ſacris ſuis plangeretur, pinumque arborem, ſub qua iacuerat, tutelae ſuae adſcripſit.*

XII. Haec ſunt, BVFFI ORNATISSIME, quae tumultuario ſtudio (nam compluribus mei muneris curis, ut ſcis, quotidie diſtineor) circa haec cimelia notare datum eſt. Sed fortaſſe poſtulas ne ſilentio praetermittam Monumenta alia, quae dudum mihi dono obtuleras, nempe quina illa fictilia doliorum opercula, quae prominentibus litteris Etruſcis exornantur; nam ſparſim ex agro noſtro collecta, indubitatam fidem faciunt Etruſcam linguam, et characteres olim apud nos viguiſſe: quae quidem Monumenta, quanquam ab argumento huius Epiſtolae aliena ſint, illi tamen adprime conveniunt, cui Epiſtola nuncupatur. Ne igitur munificentia tua debito honore fraudetur, liceat heic in Patriae noſtrae decus illa proferre, et breviter inluſtrare. Te igitur non latet quanto ſtudio Veteres patria vina curaverint, ut ex maiore diuturnitate illorum aeſtimationem augerent; quidquid enim luxuria recentiorum peregrinis vinis adtribuit, Veteres ex ſola antiquitate exquiſierunt. Suo propterea quum dolia picarent, et humo obtegerent, curarunt Veteres, ut nempe annus notaretur, quo vina expreſſa forent, demum et taberna,

ſeu

ſeu cellarium, ſeu potius fundum, unde illa prodiiſſent. Has vero notas conſtanti atramento in ipſis doliis inſcribebant, ut adhuc aetate noſtra multa huiuſmodi, ſuperſtite adhuc ſcriptura, reperta ſint, et in dies reperiantur: quorum exemplaria aliqua nobis protulit, et inluſtravit idem laudatiſſimus Gorius in Obſervationibus ad Columbarium Libertorum, et Servorum Liviae Auguſtae, inter quae illud praecipuum e lectiſſimo Muſeo V. C. Franciſci Commendatoris Victorii prolatum, quo notabatur vinum e C. Purelli Cella eductum. Conſulatum vero doliis inſcriptum, aliquando fuiſſe colligitur, praecipue ex Horatio Carm. Lib. III. Ode XXI. ubi amphoram adloquitur, et Ode XIV.

I, pete unguentum, puer, et coronas,
Et cadum Marſi memorem duelli:

et rurſus in eodem Libro Ode VIII.

Hic dies, anno redeunte, feſtus
Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphorae fumum bibere inſtitutae,
Conſule Tullo.

Quia vero hi tituli vel prae vetuſtate, vel terrae humore aliquando decidebant, ut eſt illud Iuvenalis Sat. V. verſ. 34.

—— *Cuius patriam, titulumque ſenectus*
Delevit, multa veteris fuligine teſtae:

hinc introductum eſt, ut in doliorum adhuc crudorum collo Conſulatus imprimeretur: quorum ſpecimen ex agro noſtro effoſſum olim heic Piſauri in Bavariorum Muſeo ſervabatur. Sed incommodum nimis erat dolia ſic efformare, quae praeter illum annum, nullius uſus eſſent.

Me-

Melius, ac sagacius instituere antiquiores, qui vel anni, vel fundi indicium in operculis obsignabant: quem morem explicant hi ipsi operculi, quos mihi dono dare voluisti, in quibus prominentibus characteribus notae hae expressae observantur. Quid tamen sibi velint, quum ignotarum nobis vocum initiales sint, dicere non ausim. Vnum, quod coniectura adsequor, est nota L, seu A, qua Etrusci ad annum signandum utebantur; ut constat ex eorum titulis sepulcralibus, in quibus annorum numerus adiectus est: quapropter non inaniter fortasse suspicatus sum Etruscos Graecorum Colonos eandem Graecorum antiquissimorum dictionem ΑΥΚΑΒΑΝΤΑ, pro anno adhibuisse, ut pluribus declaravi in meis Roncalienſibus. Ceterae notae vel ad numerum annorum pertinent, quibus vinum illud senuisset, vel aliud quidpiam nobis ignotum important: nec inane fuit antiquis Pisaurensibus id studium in vino recondendo adhibere: ut enim vidisti in Notis ad Marmora Pisaurensia, quae Cl. Oliverius Patriae nostrae ornamentum publicavit num. III. maximum vini mercimonium a Pisaurensibus exercebatur, et hinc mari evehebatur. Si tamen haec Antiquitatis vestigia, quae nunc primum in lucem prodeunt, copiosius cumulentur, et conferantur, maiores utique suppetias ferent, quibus eorum intelligentiam adsequamur. Sed diutius te moror, VIR DOCTISSIME, atque omni scientiarum genere ornatissime; nec mihi maius otii datum est ad meliora proferenda. Vtinam rediret felix illud aevum, et beata tranquillitas, quibus aliquando in Fori Sempronii Praefectura una simul in Veterum Monumentis evolvendis, vel in Naturae arcanis perscrutandis, noctes insumebamus. Haec iam memorare magis, quam sperare datum est. Quod iam superest,

oc-

occupat labor, et dolor. Quod unum per aetatem licet, haec Patriae decora ab interitu vindicemus, ut quae Minerva non satis propitia, ac favente explicavimus, felicius ab aliis inlustrentur. Vale Reipublicae nostrae bono.



J.V.Sc.

OPERCVLA FICT. DOLIORVM ERTVSC. IN MVSEO PASSERIO

DE ARA
AVGVSTEA
DISSERTATIO IV.

IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VIC. PISAVRENSIS

J. Wyc. Inscal. Sardae Musei Cappello Senat. Venet.

DE ARA AVGVSTEA

DISSERTATIO IV.

AD VIRVM CLARISSIMVM

FRANCISCVM COMITEM GINANNIVM

PATRICIVM RAVENNATEM

QVVM superioribus annis, domi tuae perquamhumaniter exceptus, Ravennae essem, et cum Parentum ornatissimorum, tum sapientissimi Patrui tui IOSEPHI, qui tibi ad Philosophiam amplificandam facem praetulit, ac praeivit, periucundo contubernio fruerer; inter ceteras venerandae Antiquitatis reliquias, quas avidissime perlustrabam, admirationem mihi excitavit Marmor illud ingens, anaglypho opere exsculptum, oppido elegantissimum, quod in vestibulo Basilicae Divi Vitalis adservatur, et in quo APOTHEOSIS AVGVSTEA faberrime expressa est;

 quod

quod quum nondum a nemine vulgatum reſciviſſem, animo ſtatui, ſi quando daretur occaſio, illud aeri inciſum publici iuris facere. Id vero nunquam opportunius adcidere potuit, quam in praeſentia, quum iam in publicam lucem feſtinante Goriano Syntagmate GEMMARVM ASTRIFERARVM, Marmor huiuſmodi, et ipſum aſtriferum, locum ſibi in ea Claſſe vindicare probe videbam. Quinimmo ipſum non Marmor dixerim, ſed potius omnium Gemmarum ampliſſimam; quippe quia tam exquiſito opere caelatum eſt, ut non a Statuario Sculptore, ſed a Scalptore Gemmario perfectum eſſe videatur. Itaque, Te curante, delineatum, ne diutius litterarii orbis oculos moretur, tuis auſpiciis, favente meis votis V. C. atque amiciſſimo Gorio, qui aere ſuis ſumtibus exprimendum curavit, nunc primum in lucem profertur.

II. Monumentum, de quo nobis ſermo eſt, conſtat ex Pario marmore. Eius altitudo palmos quatuor cum ſemiſſe aequat, longitudine duplo fere maiore. Opus vero ex area adeo prominet, ut vix anaglyphum adpellem; nam ſigna, maiore ſui parte e marmore educta, vix tertia parte occultantur. Quae profunditas marmori ſit, quaeve poſtica facies incluſa in pariete, non adparet. Amplioris ſane molis olim fuiſſe, quam quod hodie cernitur, abunde oſtendit extremarum partium corruptio, et ipſa quoque in medio iactura, quae ex duobus fragmentis una commiſſis hodie coaleſcit. In quem uſum id opus olim factum ſit, liquido non conſtat. Sunt, qui male ſuſpicentur partem fuiſſe zophori, quo frons alicuius Templi ornaretur. Male, inquam; nam inferior taeniola, cui ſimulacra inſtant, longe recedit a legibus, quibus aevo Auguſteo parebat Architectura; nam tenuiſſima eſt, quum quartam zophori par-

Anaglyphum e Pario marm. long. palm. VIII. et sem. alt. palm IV. et sem. quod in Vestibulo Basilicae S Vitalis Ravennae adseruatur.

J. Verkruys fe.

partem aequare debuiſſet. Evincit praeterea id opus minime alto in loco fuiſſe reponendum ipſum abſolutiſſimum artificium, quo minutiſſimae quaeque partes laborioſiſſime, et molliter perfectae ſunt: quod nunquam docti Artifices praeſtitere in ſculpturis, quae longe ab oculis ſemoveri debuiſſent. Praeterea, niſi quod id Marmor aliqua ex parte corruptum eſt, quod vel iniuriae, vel ruinae referendum venit; quod tamen ſupereſt, ſpirat adhuc primaevum ſplendorem, ut illud ab aëris intemperie ſemper defenſum fuiſſe reputemus. Quae quum ſedulo conſiderarem, illiuſque ſignificationem expenderem, ſuſpicio inrepſit, ad Templum aliquod Romae, et Auguſto ſacrum pertinuiſſe, et crepidinis loco fuiſſe, cui ara inſiſteret. Conſtat enim antiquas aras tanta amplitudine non fuiſſe; quum praeſertim earum loco foci, et tripodes adhiberentur. Aris vero crepidines, et gradus quoſdam ſubiiciebant, ut illae quum magis excelſae eſſent, auguſtiores viderentur. Talem in Olympici Iovis Templo fuiſſe tradit Pauſanias in Eliacorum priore: *Arae Olympicae ima crepido, quam* πρόθυσλιν *adpellant (quaſi primam ſacrorum ſtationem dicas) ambitum peragit pedum centum et viginti quinque; graduum ſingulorum ſupra crepidinem ambitus, pedes explet binos ac tricenos; univerſae arae altitudo pedes conficit duos prope et viginti: ducuntur hoſtiae ad imae crepidinis ſtationem, ibi eas patrio more mactant, femora in ſumma ara adolent.* Et revera, quum ſuperioribus annis Romae in Palatio Caeſarum Lararium Auguſteum defoſſum eſſet, in eius medio ingens baſis adparuit elegantiſſime exſculpta, ad cuius ſummitatem per geminas ſcalas patebat adceſſus, ut refert eruditiſſimus Praeſul Franciſcus Blanchinius. Fuere tunc qui crederent, ſuggeſtum illud marmoreum arae vicem obiiſſe; neutiquam

quam animadvertentes, antiquos nunquam aras pedibus ſcandere conſueviſſe. Nemauſi quoque in Templo adhuc exſtante, ut ex Palladio conſtat, celſae crepidines ſuperſunt, ad quas pariter per ſcalas itur, quibus foci, et tripodes ad ſacrificandum imponebantur. De hac diſpoſitione minime mirabimur, ſi ea adtendamus, quae de ararum conſtitutione ſtatuit Vitruvius Lib. IV. Cap. 8. *Vt Iovi, omnibuſque Caeleſtibus, quam celſiſſimae conſtituantur*. Hoc vero non de aris intelligendum venit, quae ut uſui eſſent, vix ternos pedes excedere poterant; ſed de hypobaſi, ſeu ſuggeſtu, in quo pro Numinis dignitate arae mobiles, plicatiles tripodes, quandoque et compactiles, ſeu textiles conſtituebantur. Quinimmo, ut verum fatear, aras ipſas, quae marmoreae adhuc exſtant, quum nulla combuſtionis indicia ſervent, non aras, ſed illarum fulcra fuiſſe exiſtimo; ſuper quae ahenei crateres, ſeu fictiles cum prunis ardentibus inferebantur, et commode efferebantur, ut ſtatuto in loco favilla iam ſacris functa religioſe deponeretur.

III. Vbi vero huius noſtri anaglyphi excellens artificium admiratus ſum, commendare non deſtiti veterum Ravennatum munificentiam, qui quum memoriae Auguſti Templum exſcitarent, nullo ſumtui parcentes, excellentiſſimum omnium Sculptorem ſibi compararunt; nam fuiſſe apud ipſos Auguſti delubrum, manifeſte evincunt exſtantia adhuc inſcripta Marmora, in quibus plurima Auguſtalium mentio eſt. Sed quae civitates, quae oppida hac ſuperſtitione caruerunt? Adeo enim univerſalis fuit, ut communi quadam conſuetudine Auguſtalium Collegio ubique locorum omnium ſacrorum cognitio, indictio certaminum, atque ludorum delata ſit, in tantum ut illorum iudicio multi Martyrum damnati ſint. Sed minime obeſſe pu-

putarim gloriae veterum Ravennatum, ſi Marmor id aliunde invectum ſuſpicemur; quum ipſi ſub Gothorum imperio non Italiae modo, ſed etiam Graeciae pulchriora ornamenta in patriam ſuam invexerint: quod multiplici auctoritate Caſſiodori comprobatur; nam ex eius Epiſtola VIII. Lib. X. conſtat, Iuſtinianum Imperatorem interpellatum fuiſſe, ut marmora quaedam in Graecia comparata ſineret Ravennam deferri. Fuere vero, et in his etiam regionibus, templa Auguſto conſtituta, ut liquet ex Pauſania in Laconicis; immo in ipſa Athenarum arce illud conſtitit, cuius adhuc ſupereſt ſequens inſcriptio:

Ο ΔΗΜΟΣ ΘΕΑΙ ΡΩΜΗΙ ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΚΑΙΣΑΡΙ

Maior tamen mihi inrepſit ſuſpicio, Marmor id ex ipſo Templo, quod Romae ſupra Forum Auguſto ſacratum erat, detractum fuiſſe; nam ea aetate, exoletis iam ſuperſtitionibus Idolorum, Templa omnia in ſolitudinem verſa erant, ut colligitur ex Zoſimo Hiſtor. V. Cap. 38. *Quo tempore Theodoſius maior Romam venit, et contemtum ſacri cultus in animis omnium excitavit, publicum ſumtum ad ſacrificia ſe ſuppeditaturum inficiatus, expellebantur utriuſque ſexus Sacerdotes, et fana deſtituta ſacrificiis omnibus iacebant.* Hanc etiam deſolationem multis deplorat Symmachus in Relatione ad Valentinianum, Theodoſium, et Arcadium AVGGG. quapropter mirandum minime eſt, ſi interiora Templorum ornamenta, quae nullo uſui erant, et ſine alicuius iniuria detrahi poterant, a religione ad civilem cultum tranſlata, Theodorico iubente, Ravennam migraverint, ut regni ſedem exornarent; quum praeſertim apud eumdem Caſſiodorum legamus Lib. I. Epiſt. 28.

et

et Lib. II. Epiſt. 7. Variar. mandatum fuiſſe, ut marmora in multis Italiae locis conſtituta, Ravennam deferrentur; immo ex ipſa urbe Roma, ut Lib. III. Epiſt. 10. quo in loco iubetur, ut marmora ex domo Pinciana detracta, ad ipſum Regni caput veherentur. Hanc vero direptionem facilius paſſae ſunt Vrbes noſtrae, quae Ravennae propinquiores, et mari expoſitae, huic calamitati facilius patebant; ut praeſertim nos Piſaurenſes doleamus vix antiqua pavimenta nobis fuiſſe reſervata, in quibus detergendis ingentia columnarum veſtigia deprehendimus: quae tamen quum apud nos minime ſint, nec in alium uſum ceſſerint; non alia via exceſſiſſe credo, quam quod tumultuarie depoſitae, et frequenter corruptae, praetermiſſis fragmentis, quantum poſteri doleremus, quae ſpecioſiora eſſent, ad vos delata ſunt. Haec vero querela minime Tibi gravis videatur, NOBILISSIME GINANNI, quum ad Patriae tuae gloriam adcedat, omnia Orbis aedificia, et praeſertim Romae habuiſſe vectigalia; blandiente fortuna ingenio Ravennatum, ut ibi maxime forent, ubi maiori cum dignitate ſubſiſterent.

IV. His praenotatis, adcedo ad ipſam huiuſce ARAE AVGVSTEAE Apotheoſin referentis explanationem. Sedet prima in huiuſce Marmoris latere Dea Roma, talari tunica, et peplo ornata; quamquam omnium iconum, quae ſuperſunt, maius ſenſerit detrimentum. Manu ſiniſtra elata haſtam puram regebat; cuius aliqua vix conſpicua veſtigia adparent. Nec manus illa, qua velum adtollit, ad ipſam pertinet; ſed ad ſequentem figuram, quae et ipſa exſcidit. Interiit praeterea manus dextera, cuius circa pectus nulla ſubſunt adminicula, ut ſuſpicemur demiſſam habuiſſe, quo clypeum ſuſtineret. Eius officium in hoc

Mar-

Marmore duplex eſt. Primum, quo Dea habebatur, communes in hoc ſacro Marmore cum Diis Auguſtis honores excipit; nam, ut infra demonſtrabimus, communi titulo, aeque illi, atque Auguſto Templa ubique fuere conſtituta. Alterum vero, quo Vrbem notat, ſive Populum Romanum, circa auctoritatem verſatur, demonſtrans eius decreto defunctos Principes divinis honoribus fuiſſe decoratos; quamquam enim ita uſu invaleſcente inoleverit, ut mortui omnes privata religione conſecrarentur, et communi Deorum Manium adpellatione innoteſcerent, ut in Acherontico meo edito in Volumine III. Muſei Etruſci demonſtratum eſt; conſtat tamen ſolemnem conſecrationem non niſi ex S. C. factam eſſe, ut poſt ceteros antiquiores notavit Euſebius Hiſtor. Eccleſ. Lib. II. *Quum lex vetus obtineret neminem Romae conſecrari, niſi calculo, et decreto Senatus:* quod etiam indicare voluit Prudentius contra Symmachum, ubi Deam Romam conſecratam deridet:

Vera ratus quaecumque, Senatu auctore, probantur.

Hinc in baſi Columnae Antoninae, Principibus in caelum advolantibus, Roma ſubeſt, illoſque elata manu Deos eſſe iubet, divinoſque honores adtribuit, et praeſertim Circenſes. In Lucerna quoque Muſei noſtri Tom. III. num. 57. Roma ſimili nutu divinitatem alicui impertitur, geminis interim Victoriis clypeum cum defuncti imagine adtollentibus.

V. Romae armatus adſtat Imperator adhuc vivens, qui ab illa impetrat et Caeſari, et Auguſto, et Liviae ſibi proximis, divinitatem. Adhuc vivens, inquam; quum enim praedeceſſores ſui nudi exhibeantur, unica tantum palla, Deorum more, involuti; ipſe e contra Imperatorio ornatu, quo viventes utebantur, et praeſertim lorica, munitus eſt. Siniſtra manu parazonii capulum ſtringit; quod

etiam frequenter obſervatur in Imperatorum ſimulacris : manum vero dexteram adtollit , qua aliquid imperare videtur ; et , ut coniicio , intercedit pro utriuſque divinitate , quam illi profuſa adulatione a Senatu Romano impertitam tradit Tacitus Annalium Lib. I. et Suetonius in Octavio Cap. 100. quamquam Plinius in Paneg. Cap. 11. Auguſtum ab ipſo Tiberio conſecratum referat : *Dicavit caelo Tiberius Auguſtum , ſed ut maieſtatis crimen induceret* . Hoc etiam videtur firmare Paterculus Lib. II. Cap. 121. *Poſt redditum caelo patrem , et corpus eius humanis honoribus , nomen divinis honoratum , primum principalium eius operum fuit ordinatio Comitiorum :* hoc tamen intelligendum venit, quod ipſis intercedentibus , a Senatu , cuius erat divinitatem adſerere , inter caelites relati ſint . Profecto eius lorica ornatiſſima eſt , eiuſque ſimbriae leoninos rictos imitantur . Erant haec in uſu armorum parerga , adeout Statius Martis armaturam deſcribens , qua Eteoclem , et Polynicen in certamen incitavit , illam monſtris ornatam nobis obiiciat . Vidi in Foro Sempronii , dum eius Vrbis praefecturam gererem , truncum Imperatoris ſimulacrum , cuius lorica circa oram terno monſtrorum omnis generis ordine ornabatur . Alia quoque ſimilia vidi Vrbini ſemifracta , et iacentia in Hortis Principum Rovereorum ; quae pariter , ut fama ferebat , in eodem Foro Sempronii inventa fuerant . At difficultas in eo manet , ut Imperatorem heic repraeſentatum nomine ſuo nuncupemus . Tota controverſia inter Tiberium , Caligulam , et Claudium verſatur ; nam ex iis , quae praemiſimus , atque dicturi ſumus , prior illorum Auguſtum conſecravit , eique Templum magnifico molimine faciundum curavit . Quum vero non perfecerit , ut ex Suetonio adparet ; credibile quoque non eſt hanc Aram perfeciſſe , quae omnium ultima , Templis iam perfe-

ctis ,

ctis, ſtatuebatur. Praeterea eius aetate Livia conſecrata nondum erat, ut in partem divini cultus adcederet; illam enim longe poſt conſecravit Claudius, quod clare teſtatur Suetonius in eius vita Cap. 11. *Converſus hinc ad officia pietatis, iuriſiurandum neque ſanctius ſibi, neque crebrius inſtituit, quam per Auguſtum. Aviae Liviae divinos honores, et Circenſi pompa currum elephantorum Auguſteo ſimilem decernenda curavit.* Quae ratio evincit, hoc ipſum Marmor, in quo Livia Divis adcenſetur, neque ſub Caio fieri potuiſſe, quamquam ille Auguſti templum dedicarit. Aetas igitur huius ſculpturae ad imperium Claudii, ſub quo Diva eſſe coepit, referenda eſt. Nam ſatis credibile eſt, ipſum Claudium aviae iam conſecratae non modo ſimulacra in Templo Iuliae Gentis dedicaſſe; verum etiam cetera Templi parerga perfeciſſe, vel addidiſſe, in quibus eiuſdem novi Numinis effigies toti divinae familiae adderetur. Adcedit indicium lineamentorum, quae Claudium magis, quam ceteros ex praedeceſſoribus videntur indicare. Si tamen placeat ſculpturam hanc vobis Ravennatibus non advenam, ſed indigenam eſſe (hoc enim minime inficiabor) prompta occurrit coniectura, ipſos Ravennates, ceteroſque populos, ut morem Principi gererent, ubi Liviae apotheoſim reſcivere, ad ſimilitudinem adſentationis Romanae in Templis, quae Auguſto ſacra ubique erant, ſigna Liviae intuliſſe, eiuſque imaginibus Templorum adceſſoria exornaſſe.

VI. Succedit ſimulacrum Iulii Caeſaris, de quo minime haeſitandum eſt; nam peculiari ſuo ſymbolo nobilitatur. Ipſae tamen non humana ſpecie, ſed divina videndum ſe praebet; nam, Divorum more, nudus eſt, ſolo peplo, quemadmodum Iupiter effingi ſolebat, obvelatus. Dexteram Romae protendit, et blando, ac ſereno vultu, (non illo mecaſtor, quo Peruſinas aras circuire viſus eſt)

novum Principem, columen Reipublicae, et ſpem populi, illi videtur commendare. Inſignitur vero praeclaro ſidere, in eius fronte impreſſo: ex quo illum tamquam praecipuo charactere dignoſcimus, freti auctoritate Plinii Lib. II. Cap. 25. *Sidus crinitum per ſeptem dies in regione caeli, quae ſub Septentrionibus eſt, conſpectum. Eo ſidere ſignificari vulgus credidit Caeſaris animam inter Deorum immortalium Numina receptam: quo nomine ad inſigne ſimulacro capitis eius, quod mox in Foro conſecravimus, adiectum eſt.* Eadem prorſus tradita legimus apud Suetonium in Iulio Cap. 88. *In Deorum numerum relatus eſt, non ore modo decernentium, ſed et perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam; creditumque eſt animam eſſe Caeſaris in caelum recepti: et hac de cauſa ſimulacro eius in vertice additur ſtella.* Hoc etiam confirmavit ſuo in Virgilium commentario Servius: *Auguſtus omnibus ſtatuis, quas ob divinitatem Caeſari ſtatuit, hanc ſtellam adiecit.* In cuius rei teſtimonium ipſius Divi Iulii ſigillum aheneum heic Piſauri in Muſeo Arditio adſervatur, cuius capiti ſtella inhaerens cernitur, quae inſciis quibuſdam Solis imago viſa eſt. Hanc vero dignitatem a Iove Caeſari adtributam, intercedente Venere, generis ſui progenitrice, finxit Ovidius Metamorph. XV. verſ. 840. quam ſic conloquentem deſcribit:

Hanc animam interea caeſo de corpore raptam
Fac iubar, ut ſemper Capitolia noſtra, Forumque
Divus ab excelſa proſpectet Iulius aede:

ad quam etiam adludit Virgilius Eclog. IX. verſ. 47.

Ecce Dionaei proceſſit Caeſaris aſtrum:
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus; et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.

Et

Et Lucanus Lib. VII. verſ. 457.

Bella pares ſuperis facient civilia Divos :
Fulminibus Manes, radiiſque ornabit, et aſtris,
Inque Deûm templis iurabit Roma per umbras.

VII. Media inter Iulium, atque Auguſtum Livia, et ipſa Numinibus addita, ſub aſpectu Iunonis repraeſentatur : quod non obſcure indicat inſignis corona, quae eius caput ambit, eaque prorſus, quae Iunoni in antiquis picturis, et ſimulacris adtribuitur : ſed et Amor parvulus, qui prope ipſam volitat, aliquid eius auribus inſuſurrat. Ipſa vero, primum ubi maritus eius tranſcendit ad Divos, ex uxore Sacerdos eius facta eſt. Dio Lib. LVI. *Tunc verum conſecrantes Auguſtum Sodales, ei ſacra inſtituerunt, et Sacerdotem Liviam.* Quod etiam tradit Paterculus Lib. II. *Livia Romanarum eminentiſſima, quam poſtea coniugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſſi ad Deos, Sacerdotem.* Hac demum defuncta, ex Antiſtite Divorum, et ipſa Diva ſalutata eſt a Claudio Caeſare, ut tradit Suetonius in Claudio Cap. II. *Aviae Liviae divinos honores, et Circenſi pompa currum elephantorum Auguſteo ſimilem decernenda curavit.* Addit Dio et Veſtalium miniſterium eius honori addictum fuiſſe. Sic enim habet Lib. 60. *Aviam Liviam praeter hunc honorem, etiam immortalitati adſeruit, dedicavitque eius effigiem in templo Auguſti, ac rem ſacram ei fieri a Veſtalibus mandavit, mulieresque per nomen eius iurare iuſſit.* Nummi quoque in eius honorem cuſi honorum divinorum, quibus prona, effuſaque adulatione decorata eſt, teſtimonium faciunt. Mirifice vero hoc Marmor inluſtrat Prudentius in Symmachum, qui Liviam non modo conſecratam, ſed in Iunonem transformatam tradit, eiuſque ſimulacrum in Templo Auguſti repoſitum memorat :

Adie-

Vrbi Romae Templum apud Pergamum ſiſti non prohibuiſſet. Et Ioſephus Antiquit. Iud. Lib. XV. Cap. 13. *Templum ibi Auguſto ſacrum exſtruxit a longe conſpicuum nauigantibus: et in eo ſtatua Romae altera, altera vero Caeſaris*. Ipſo vero fatis functo, non modo Divus ex Senatuſconſulto pronunciatus eſt; ſed et ingens illi Templum decretum fuit. Dio Lib. LVI. *Ipſi Templum quidem Romae decretum quidem a Senatu, ſed a Livia, et Tiberio ſtructum eſt, idque alibi, et pluribus locis*. At ab ipſo Tiberio inchoatum potius, quam abſolutum fuiſſe explicat Suetonius in Tiberio 47. *Princeps neque opera ulla magnifica fecit; nam et quae ſola ſuſceperat, Auguſti Templum reſtitutionemque Pompeiani Theatri imperfecta poſt tot annos reliquit*. Id vero a Caligula abſolutum, et dedicatum fuiſſe probant eius nummi, in quibus eiuſdem Templi exaſtyli proſpectus ſimulacris, et quadriga inſignis dignoſcitur, addita epigraphe: DIVO AVG. S.C. cuius nummi auctoritatem confirmat Suetonius in Caligula Cap. XXI. *Auguſti Templum abſolvit*. Et Dio Lib. LIX. *Deinde Caius habitu triumphali Templum Auguſti dedicavit, nobiliſſimis pueris aetate florentibus, cum virginibus eiuſdem ordinis, hymnum canentibus*. Fecit autem in ea Palatini parte, quae Foro inminebat, et Capitolium ſimul proſpectabat: quo in loco ingentes adhuc ſubſtructiones ſuperſtites, quum Romae eſſemus, ſaepiſſime viſitabamus. Plinius quidem Lib. XII. 19. ait fuiſſe in Palatio: *Vidimus in Palatii Templo, quod fecerat Divo Auguſto coniux Auguſta*: quod etiam confirmat Ovidius Metamorphoſ. XV. verſ. 841.

> ——— *Semper Capitolia noſtra, Forumque*
> *Divus ab excelſa proſpectet Iulius aede;*

nam in eo Templo Divi quoque Iulii imago colebatur. Ceterum pulcherrimus iſte nexus, quo tota Auguſti familia di-

divinitate donata repraesentatur, quodammodo proponitur nobis ab Ovidio Lib. IV. de Ponto Epist. IX. ubi easdem ipsas imagines in Augusteo Sacello describit vers. 105.

Nec pietas ignota mea est ; videt hospita tellus
In nostra sacrum Caesaris esse domo.
Stant pariter Natusque pius, Coniuxque Sacerdos,
Numina iam facto non leviora Deo.

Hanc enim prosapiam a caelesti origine propagatam, totam pariter caelo deberi reputabant, unaque Caesaream progeniem esse colendam. Manilius Lib. I. vers. 796.

——— Veneriſque ab origine proles
Iulia descendit Caelo ; Caelumque replevit,
Quod regit Augustus, socio per Signa Tonante.

X. Alterum huius Marmoris fragmentum caeremoniam in consecrationibus Principum obviam, hoc est victimarum immolationem ostendit : quod etiam in dedicatione Templorum, et potissimum in eo, quod ipsi Augusto dicatum fuit, contingebat ; ut manifeste ostendit praecitatus nummus, in quo Imperatori Caio sacra obeunti victimarius adstat, qui taurum ad aram statuit. Quum enim per omnia Augustum Iovi exaequassent, minime alienum erat, si maiorem victimam et ipsi immolandam putavissent. Hoc clare probat eiusdem Prudentii auctoritas, qui loco citato tradit Augusto litari tauro consuevisse :

Hunc morem veterum, docili iam aetate, sequuta
Posteritas, mensa, atque adytis et Flamine, et aris
Augustum coluit, vitulo placavit, et agno :
Strata ad pulvinar iacuit, responsa popposcit.

Ceterum, ſi quae deſunt in tam praeclaro, tamque nobili Monumento, cuius oppido vix unum latus, neque integrum, et alterius partem habemus, intueri nobis datum eſſet, multo plura, quae ad hanc caeremoniam pertinebant, obſervaremus, quibus non mediocriter in tam praecipuo argumento Antiquitatis ſcientia iuvaretur. Haec tamen detrimenta late compenſat huius ſaeculi induſtria, quae tota eſt in venerandae Antiquitatis reliquiis non eruendis modo, ſed etiam inluſtrandis: in quo praecipue ſtudio Concives tui ſummopere enitent, conſpirantibus omnium votis ad Patriae monumenta condecoranda. Inter hos vero praeterire ſilentio non poſſum virum religione, litteris, et dignitate conſpicuum Petrum Paullum Ginannium Gentilem tuum, Caſinenſium Praeſidem Generalem, qui pleraque iamdiu conſepulta monumenta luci reſtituit, praeſertim vero Gothorum Regum Mauſoleum, quod alte terra obrutum, egeſtis immenſis ruderibus, omnium oculis conſpiciendum praebuit. Nec reticere debeo alterum Camaldulenſis familiae decus Mariangelum Flaccum, Claſſenſi Bibliothecae Praefectum, cuius diligentia ingens Marmorum ſcriptorum numerus erutus eſt. Florent apud vos omnigenae politioris litteraturae ſtudia, quae praeſertim domi tuae quodam iure ſucceſſionis cuſtodiuntur: ſunt in pretio Viri docti: Eruditorum conſeſſus ita frequentantur; ut non dubitem adfirmare peregrinam Gothorum barbariem, atque Exarcharum tyrannidem, qui iam tum florentiſſimam Vrbem veſtram, immo et late Italiam totam opprimere conatae ſunt, virtutibus veſtris expiatas, maiori gloriae veſtrae ceſſiſſe.

DE

DE GEMMA GAMELIA

EX DACTYLIOTHECA GORIANA

DISSERTATIO V.

IOANNIS BAPT. PASSERI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



J. V. sc. Inscal. Crystallo Mus. Gorii figuris inauratis

DE GEMMA GAMELIA

DISSERTATIO V.

AD NOBILISSIMVM ET ORNATISSIMVM

CAROLVM FERDINANDVM CAPPONIVM

COMITIS ET EQVIT. FERRANTIS SENATORIS F.

PATRICIVM FLORENTINVM

SACRAE RELIGIONIS HIEROSOLYMITANAE
EQVITEM COMMENDATARIVM

NIHIL ferme iucundius mihi COLVMBARIAE SOCIETATIS Sodali contingere poterat, CAPPONI GENEROSISSIME, quam veterem Gemmam e Dactyliotheca Goriana depromtam offerri explicandam, in qua Coetus nostri insignia, COLVMBAE GEMINAE se se invicem respectantes, incisae sunt; ut subinde coniecturam de illa meam coram Te proferrem, de eo litterario inlustri Conventu adprime meritum; praesertim quum Antiquitatum studia, non consilio magis, quam hereditate exceperis, quae in Familia Tua longe praeclarissima quodammodo gen-

gentilia reputantur : quum ex ea, maximo Reipublicae Litterariae bono, ſummopere ornata, atque amplificata prodierint. Antequam vero ad hoc Cimelium pulcherrimum inluſtrandum adcedam, quod iam tu ipſe dum oſtenderetur Sociis Columbariis vidiſti, et pluris fuiſti ; memineris hoc ipſum EMBLEMA inſcalptum eſſe cryſtallo in poſtica eius parte ; nam in antica ſuperficium totum planum eſt. Columbae auro ſuperfuſo fulgent, uti etiam falcatae lunulae, et corona, quae ipſis deſuper inminet. Cryſtallinus orbis incluſus eſt in quodam ornamento, quod lapidem ſubviridis obſcuri coloris imitatur, et refert : ut facile coniecturae ſit locus, vel muliebris fibulae, vel bullae locum tenuiſſe, ac boni ominis gratia puellae Sponſae donatum fuiſſe.

II. At longe alio conſilio, quam in Academiae noſtrae Stemmate, ubi duae columbae iunguntur, ſe ſeque MVTVIS OFFICIIS ad ſtudia promovenda fovent, in hac Gemma elegantiſſima copulantur. In hac enim, niſi me coniectura fallit, fauſtiſſimarum nuptiarum emblema ita exhibent, ut minime mihi haeſitandum ſit, quin inter *caelaturas Gamelias* id monumentum adcenſeam. Columbae in primis Veneri nuptiarum praeſidi ſacrae ſunt. Rationem rei profert Fulgentius Mythologiae Lib. II. *In huius etiam tutelam columbas ponunt ; illa videlicet cauſſa, quod huius generis aves ſint in coitu fervidae*. Albricus quoque columbas circa Venerem locat : *Et columbis circa ſe volando comitabatur :* adeo ut ex earum indicio eius Numen, atque omen cognoverit Aeneas apud Virgilium in VI. verſ. 190.

——— Geminae cum forte columbae
Ipſa ſub ora viri caelo venêre volantes,
Et viridi ſedêre ſolo. tum maximus Heros
Maternas adgnoſcit aves, laetuſque precatur.

Ge-

Geminas quoque columbas, currui eiuſdem nexas, illi tribuit Ovidius Metamorph. XIV. verſ. 597.

Perque leves auras iunctis invecta columbis
Litus adit Laurens : ——————

praecipue quum nuptias conciliaret ; ut apud Claudianum in Epithalamio Palladii , et Serenae :

Floribus exſtruitur currus , iuga floribus halant ;
Florea purpureas adnectunt fraena columbas .

III. Quod vero in hoc ſphragiſmate ſingulare omnino eſt , ambae columbae Lunulis falcatis inſiſtunt . Huius ſymboli multiplex ratio adduci poteſt ; illa praeſertim ſatis obvia , atque trita , quod nuptiarum ſolemnia noctem, quae per Lunam ſignificatur , expectarent . Hinc nuptiis Proſerpinae Nox adſtat apud eundem Claudianum Lib. II.

—————— *Stat pronuba iuxta*
Stellantes Nox picta ſinus . ——————

Catullus quoque ab illa nuptiale Carmen exorditur :

Veſper adeſt , Iuvenes , conſurgite : Veſper Olympo .
Surgere iam tempus , iam pingues linquere menſas ;
Iam veniet Virgo . ——————

Nam maxime exoptatae tenebrae , quae Virginum pudorem , et verecundiam aliquatenus minuerent ; unde Tacitus de infandis Neronis Nuptiis refert : *Cuncta denique ſpectata, quae etiam in femina Nox operit .*

IV. Fortaſſe etiam Luna omen perpetuitati nuptiarum facere videbatur , quum illa Aeternitatis ſymbolum haberetur , ut in Notis ad haſce GEMMAS ASTRIFERAS ſaepe oſtenſum eſt , potiſſime vero in Diſſertatione IV. iam edita

de

de Transvectione Animarum. Quapropter aviculae coniugalis amoris indices Lunulis insistentes, ipsam fidei maritalis perennitatem facile designant, quam nulla unquam perturbatio violaret : nihil enim pulchrius in connubiis habebatur, quam quod perpetuo foedere persisterent. Sic praefatis Infernae Deae Nuptiis eadem Nox Pronuba :

Tangensque cubile,
Omina perpetuo genitalia foedere sancit :

et Iuno non aliter Nympham spondet Aeolo :

Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.

Delecta propterea est ad coronamenta nuptialia potissimum oliva, ob viroris perpetuitatem. Sidonius Carm. XIV.

Prosper connubio dies coruscat,
Quem pacis simul arbor, et iuventae,
Aeternumque virens, oliva signet.

De nuptiarum vero aeternitate exempla illa, fabulosa quidem, sed inlustria, iactabantur de Eurydice, atque Alcesti ex Inferis revocatis, quae pulcherrime, atque aptissime ad propositum hoc enumerat Sidonius in Epithalamio Araneolae.

V. Habebatur praeterea Luna inter connubiorum praesides Deas, ob eam rationem, quam Macrobius Saturnal. Lib. VII. Cap. 16. *Proprium eius munus est distendere rimas corporis, et meatibus viam dare : quod adcelebrando partui salutare est*. Eadem et apud praelaudatum Macrobium in Somnium Scipionis nuncupatur : *Dux nascentium, mortalium corporum auctrix, et conditrix*. Hinc apud Horatium in Carmine Saeculari :

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

Nec

Nec fortaſſe alio conſilio Lunas falcatas, et quodammodo novas, Scalptor exhibuit: *quod novilunio vis quaedam inſit, quae pariendi facultatem adferat:* ut ſcripſit Porphyrius apud Euſebium de Praepar. Evang. III. Praeterea in connubiis celebrandis maximopere Lunae ratio habebatur; nec enim omnia tempora aeque proſpera ad id cenſebantur. Sic Clytemneſtra apud Euripidem in Iphigen. in Aulid. plenilunium in nuptiis expectandum reſpondet:

Quando Lunae fortunatae venerit circulus.

Vitabant vero vel novam, vel decreſcentem; eo quod eius damnum minime auſpicatum cenſeretur: contra vero plenitudo fauſtiſſima. Placuit vero Artifici Gemmario Lunam non integram, ſed falcatam exprimere; eo quod non aliter a Sculptoribus caelari conſueverit, ne ſi alterius figurae praeter uſum feciſſent, ſymbolum id praecipue in minutiſſima caelatura ambiguum, atque incertum oculis eſſet: quod adeo verum eſt, ut vix in uno Marmore Muſei noſtri, quod in praemiſſa Diſſertatione *de Animarum Tranſvectione* publicavimus, Lunam integro orbe exhibitam viderimus.

VI. Ad cetera GAMELIA SYMBOLA adcedit corona Veneri ſacra, quae columbis inſtat: Veneri, inquam, ſacra; quippe quia Dea illa in Hymno Homerico nuncupatur:

Pulchram coronam habens Cytherea:

et rurſus:

Auream coronam habens pulchra Venus;

quamque Orpheus in alio Hymno indigitat:

Gaudentem coronis; nuptiarum curam habentem.

Corona vero huius noſtrae Gemmulae conſtans ex ſolido circulo ſuperne leniter repando, et margaritis referto, eadem ipſa eſt, quam toties, CAPPONI ORNATISSIME, ſupra caput Veneris conlocatam vidiſti in celeberrima illa Pictura apud Bartolum, in qua Veneris, et Adonidis fabula exhibetur. Facile etiam, ſi quis cenſuerit eſſe Veneris ceſtum, non erit repugnando locus: magis vero de Veneris corona opinio mihi adridet. Haec eadem coronae forma frequentiſſima eſt in Etruſcorum picturis, in quibus nuptiales caeremoniae expreſſae cernuntur: neque aliam deſcripſit Claudianus Mariae Auguſtae praeparatam:

Et gravibus Spatale baccis diadema ferebat.

Manſit enim haec coronarum forma apud inferioris aevi Principes feminas, ut ex earum nummis ſaepe videre eſt. Id vero coronae ornamentum in hoc lapillo inciſum non modo ad ipſam Venerem adludit, cui id geſtamen communiter tribuebatur; verum etiam ad novas nuptas, quas coronari demonſtravimus in Epiſtola *de Diptycho Quiriniano*, et luculentius dicturi ſumus in Notis ad eaſdem picturas Etruſcas: quarum quidem eximiam collectionem (etſi maleferiati aliquot Scriptores carpent, et ſi lubet, ut ſolent, deridebunt; Litterariae tamen Reipublicae cultores optimi laeto animo excipient, veluti lucem magnam Antiquariae ſcientiae adlaturam) alacri tamen ſtudio, atque imperturbato animo praeparamus. Augent hanc nobis fiduciam mores tui honeſtiſſimi, mira probitas, et perpetua in ſtudiis colendis ornandiſque conſtantia, et optimae diſciplinae ratio, quam ex ipſo GORIO tuo hauſiſti; quae Te Muſarum alumnum, et Academiarum omnium tum patriarum, tum exterarum ornamentum reddiderunt.

NI-

NILVS
ABRAXEVS
DISSERTATIO VI.

IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Inscalpt Jaspidi rubro apud Mercat. Neapolitanum.

NILVS ABRAXEVS

DISSERTATIO VI.

AD VIRVM CLARISSIMVM

EDVARDVM CORSINVM

CL. REG. SCHOLARVM PIARVM

IN ACADEMIA PISANA PHILOSOPHIAE

PROFESSOREM CELEBERRIMVM

VEllem, CORSINI RELIGIOSISSIME, ac SAPIENTISSIME, quoties praeclariora opera typis evulgantur, aliquam in his partem laudis adtribui singulis doctis Viris, quorum virtute aetas nostra maxime fulget, ac decoratur; ut qui mercedem nullam laboribus suis dari sentiunt (fortasse nec quaerunt) quadam veluti Scriptorum omnium conspiratione celebrentur; quo testimonio aliquando comprobetur illos in omnium existimatione floruisse. Haec mihi animo volutanti, quum insignem hanc

GEM-

GEMMARVM ASTRIFERARVM Collectionem Notis adornarem (quod quidem modeſtiae ſimul, ac benevolentiae praeſtantiſſimi Gorii noſtri acceptum fero) inter ceteros, qui mihi nominis fama praeſentes fuere, facile Tu ipſe protinus occurriſti; ſimul animo conſtituens, ut aliqua honori tuo pars in hoc Opere tribueretur, cuius humanitas, et venerandi mores lectiſſimam doctrinam tuam mire condecorant, Tibique in parte aliqua dicatum eſſet; quae quidem exigua, meritis tuis impar profecto foret, etiamſi Tibi ex integro ſiſteretur. Aequat tamen vota noſtra quaecumque ea ſint, quae immortale nomen tuum excipit, ex quo et obſequio noſtro fecimus ſatis, et gloriae eiuſdem Operis conſuluimus.

II. Tractatiunculae huic noſtrae de NILO ABRAXEO occaſionem obtulit Gemma nuper a nobis contrectata, eaque ſtilo exſcalpta, qui vulgo Baſilidianis adtribuitur. Horrens id ſcalpturae genus nauſeam potius, quam ingenium exſcitat: ex quo nullibi inſolentior privata Artificum mens luxuriata eſt, quam in hiſce lapillis; in quibus plerumque nulla lex ſtetit, niſi obſcuritatis adfectatio, quae laxatis ingenio impoſtorum habenis, in monſtroſa inventa fere ſemper erupit. Nullus proinde ex illis eruditionis proventus expectatur, in quibus ſtupenda magis quam elucubranda deprehenduntur. Pauculas tamen ex eiſdem Gemmis, quae humaniore cultu caelatae ſunt, et in quibus aliqua veteris Mythologiae veſtigia obſervantur, ad honorem huiuſce THESAVRI GEMMARVM ASTRIFERARVM eveximus.

III. Has inter non omnino adſpernanda viſa eſt praeſens, quae NILI iacentis imagine ornatur. Notae quaedam circumictae magicas voces referentes haud ambiguo teſtimonio

monio evincunt, cui doctrinae illam referamus; quas inter una vox ABPAZAΣ, corrupte pro ABPAΞAΣ, nobis perſpicua eſt. At tantam inter hanc vocem, exſculptumque typum, adfinitatem intercedere obſervavimus, ut ex univerſo magicorum amuletorum theſauro id ſphragiſma inter minus inſolentia, atque inconſulta reputaverimus. Fuere Viri docti, qui Deum Baſilidianorum, barbaro hoc nomine nuncupatum, ſubtili ſtudio ad omnes fere Deorum formas traxerint; ex quo ſaepe ſaepius idem lemma ſingulis Deorum imaginibus coniuctum obſervatur: in quo quidem forte hallucinati ſunt, putantes inſcriptionem illam cum delineatis imaginibus convenire, cum quibus, ut plurimum, nihil commune habet. In hoc vero ſigillo nomen ABPAZAΣ nec temere, nec oſcitanter adiectum eſt. Adeo enim convenit cum NILI imagine, ut ipſum aenigmatice eius nomen contineat, ut infra videbimus. Hinc factum eſt, ut huic figurae nomen NILI ABRAXEI tribuerimus.

IV. Inſignitur eadem Nili imago conſueto copiae cornu frugibus redundante, quo Flumina fere omnia ornantur, ad eorum fertilitatem indicandam. At praecipuo iure Nilus hoc inſigni decoratur; quippe quia uno huius fluminis beneficio tota Aegyptus fecundatur: quod in Panegyrico ad Traianum Auguſtum notarat Plinius Cap. 30. *Aegyptus proprio ſemper amne perfuſa, nec alio genere aquarum ſolita pingueſcere, quam quas ille devexerat, tantis ſegetibus induebatur, ut cum feraciſſimis terris, quaſi nunquam ceßura certaret.* Hinc *dives* ab Ovidio Amor. Lib. III. Eleg. VI. verſ. 39. praedicatur:

Ille fluens dives ſeptena per oſtia Nilus:

et

et *fecundum* adpellat Statius Thebaid. III.

Seu fecunda refert placidi clementia Nili .

Loti flore tanquam praecipuo adtributo caput ornatur: cuius ſymboli, ut myſticas ſignificationes praetermittamus, quae multae quidem ſunt, ſed fere inanes, ea praecipua ratio eſt, quod ſpontaneo eius virgulti beneficio, nulloque labore parto, veluti oblata a natura fruge, plebs paſcitur: tanta vero in Aegypto, atque Africa eius ſtirpis exuberat copia, ut Syrtium accolae *Lotophagi* dicti ſint; quorum, qui communem cibum deguſtaſſent, patriam obliviſcebantur, ut Odyſſeae IX. ſcribit Homerus:

Ex his autem quicumque loti comederent mellitum fructum,
Non amplius renunciare valebant, neque retro redire.

Cui fabulae adluſit Ovidius Triſtium Lib. IV. Eleg. I. verſ. 31.

Sic nova Dulichio lotos guſtata palato,
Illo, quo nocuit, grata ſapore fuit.

Siſtrum altera manu adtollit, rauci murmuris ſymbolum, quo Nilus exundans, et fluminis modum ſupergreſſus, ſubito aequore perfundit terram, quum

Et patris undoſi ſonitus expectat hiulca
Aegyptus. ———————————

Quapropter *aeriſonus* nuncupatur a Statio Thebaidos Lib. I.

Captus et aeriſoni lugentia flumina Nili:

nihilque niſi eiuſdem fluminis exceſſus, receſſuſque ſignificabant virgae illae in ſiſtro ſtridulae: unde inſtrumentum illud inter myſteria in ſacris adhibitum eſt; indeque in-

bello

bello ominis cauſa uſurpatum; quapropter Cleopatra apud Virgilium Aeneid. Lib. VIII. verſ. *696.*

——————— *patrio vocat agmina ſiſtro.*

V. Aſtrum convenientiſſime Nilo copulatur: illud inquam, cuius vi Nilus exundat. Iuvat heic referre Plinii verba Hiſtor. Nat. Lib. XVIII. Cap. 18. *Nilus ibi coloni vice fungens, evagari incipit, ut diximus, Solſtitio, et nova Luna; ac primo quidem lente, deinde vehementius, quamdiu in Leone Sol eſt: mox pigreſcit, in Virginem tranſgreſſo; atque in Libra reſidet.* Quapropter eius aqua praeter modum ceterarum aeſtivo calori tribuitur a Tibullo Lib. I. Eleg. VIII. verſ. 22.

Fertilis aeſtiva Nilus abundet aqua;

quem imitatus videtur Claudianus Lib. I. in Rub. Carm. verſ. 185.

Hinc bibet aeſtivum ſepteno gurgite Nilum.

VI. Notas characterum libenter miſſas facimus, quum luculentiſſima demonſtratione probaverimus nec ſenſum ullum inde erui poſſe, nec unquam forte habuiſſe; neque enim inde verba ulla in reliquis aliis paene infinitis Gemmis coaleſcunt, et mugitus magis, quam dictiones referunt. Vna tamen vocula ABPAZAΣ, heic obſervatione digna eſt; nam, ut praemiſimus, aenigmatice nomen *Nili* continet. Noſti, DOCTISSIME CORSINI, nomen illud, quo Baſilidis Deus nuncupabatur, ex vi quadam numerica coaluiſſe; per quam, ſingularum litterarum valore ſubputato, numerus CCCLXV. educebatur, quotos Caelos Mens creatrix Baſilidis eſſe conſtituerat pro numero dierum ex quibus annus efformatur, quibus eorundem Caelorum ſingulae poteſtates praeſiderent; quod etiam ex Divo Au-

guſtino, aliiſque eiuſdem aevi Patribus alibi demonſtratum eſt. Hanc autem doctrinam Magi fere omnes ſequuti videntur, qui ad eorum taliſmata roboranda nomen id libentiſſime tranſtulerunt: licet aliquando adeo oſcitanter illud uſurpaſſe videantur, ut eius vim, atque ſignificationem ignoraverint: quum, perturbato litterarum ordine, in quo tota virtus abraxea conſtituta erat, id nomen inſcripſerint; ut propemodum in hac Gemma obſervatur, in qua Z pro Ξ facili quidem ſtyli lapſu, ſed qui imperitiam Sculptoris redarguit, ſubſtituta eſt. At grande id arcanum ex diſciplina Aegvptiorum deſumtum videtur, quibus nomen ΝΕΙΛΟΣ eundem numerum conflat; nam Ν valet 50. Ε 5. Ι 10. Λ 30. Ο 70. Σ 200. quibus numeris ſimul conlectis emergit ſumma CCCLXV. Itaque myſtica hac ratione inſpecta, idem prorſus fuiſſet *Abraxam* dicere, ac *Nilum*; quum utriuſque vocis eadem virtus, atque poteſtas haberetur, eademque numerorum ſignificatio: ut minime heic miremur, ſi Nili typo barbarum illud nomen ſuppoſitum ſit, quod iuxta Magos eandem ſignificationem praeſeferebat.

VII. Haec vero potiſſima ratio eſt cur hiſce Gemmis Abraxeis aſtrum, quo Sol ſignificatur, tam frequenter coniunctum videatur: quum enim annuo ſuo curſu totum Abraxei numeri periodum conficiat, tanquam doctrinae indicium, et divinitatis adminiſtrum, adeſſe arcanis ſcalpturis voluerunt. Pauca haec accipe, exiguam plane perennis obſequii erga Te mei teſſeram, CORSINI CELEBERRIME. A Te quidem ſperanda ſunt maxima, et praeſtantiſſima, ingenii et perpetui laboris tui monimenta; quibus tum iam editis, tum mox edendis ingens nomen in Litterario Orbe, omnique aevo celebrandum, Tibi comparaſti.

DI-

DIVINATIO
IN GEMMAM MAGICAM
DISSERTATIO VII.

IOANNIS BAPT. PASSERI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS

GEMMA MAGICA
Onychi inscalpt. extat ap. Hieronymum Fr. Zanetti Venetiis

J.V.Sc. Ex Ectypo Musei Passerii

DIVINATIO
IN GEMMAM MAGICAM
DISSERTATIO VII.

AD VIRVM CLARISSIMVM

HIERONYMVM ZANETTIVM
ALEXANDRI F. VENETVM

EIVSDEM CIMELII DOMINVM

VOTIESCVMQVE inter Veterum Monumenta, quae nobis contemplanda ſeſe offerunt, incidimus, in illa nempe ingenii, neſcio an dixerim portenta, aut tormenta, quae Baſilidianorum officinis vulgo tribuuntur; quaeque revera, nec Baſilidis ſcholam redolent, neque alteram ullam, quam ex Veterum ſcriptis perſpectam habeamus: ut probe noſti, ZANETTI ERVDITISSIME, dicere ſolemus, illa neque aptius, neque melius poſſe explicari, quam ingenue profitendo, nec explicationem admittere, nec me-

mereri. Aenigmata ſunt inſulſiſſimorum hominum, qui ex infima ſuperſtitionis faece emerſerunt; id unum prae animo habentes, ut populi admirationem ſibi ex arcana ſcientia conciliarent. Nullam hi ſcholam ſequuti, nullam mythologiam; immo nullam ratione rem adtigiſſe credendum eſt, ubi plura commenta inſimul conſarcinata propoſuerunt: unde, vel ipſo errore repugnante, monſtroſos imaginum nodos, et verborum nihil ſignificantium vortices in lapillis inſculpſerunt, quos non magis ad morbos, quam ad pecuniam a credulis conradendam, et expilandam, legibus etiam Gentilium reclamantibus, venditarunt.

II. Quia tamen Viri docti non omnino Gemmas haſce ſpernendas reputarunt; immo, ordinata ſimul illarum ſerie, Eruditorum oculis obiecerunt; morem illorum ſequuti, pauculas adhuc ineditas, quae inter ASTRIFERAS cenſebantur, huic Operi inſerendas curavimus; eo conſilio, ut integram Antiquitatis imaginem, etiam in ipſis Veterum nugis, inquireremus. Non enim haec ſtudia noſtra perſcrutantur ea tantum, quae prudenter Antiqui ſenſerunt; ſed univerſa quoque, quae ipſi ſenſerunt, ſpeculantur. In hac vero claſſe non ultimum locum ſibi vindicat Gemma illa tua hinc inde inſculpta, et ſtellis ornata; cuius imaginem, Te auſpice, ac favente perſcrutandam mihi nuper obiecit commune delicium noſtrum, et ſaeculi ornamentum, ampliſſimus Praeſul Gorius: ſimul rogans, ut Commentariolo, quoad res pateretur, elucidarem, Tibique, veluti in gratiarum actionem, quod parergo hoc ipſum Aſtriferum Syntagma iuveris, inſcriberem, ITALICARVM MVSARVM DECVS, ZANETTI ILLVSTRISSIME, ATQVE ORNATISSIME: cuius doctrinam dudum perſpectam habebam, et quam adeo frequenter extollere conſue-

veram

veram dum religioſiſſimus Frater tuus Teatinorum Sodalium lumen, eloquio, et pietate clarus, apud nos verſaretur.

III. Sed age iam, quae de tuo hoc Cimelio, ut noſtra fert opinio, dicenda ſunt, proferamus; in quo tamen conſuetus nobis ſtylus linquendus fuit, nullis adhibitis veterum Scriptorum teſtimoniis, quorum ſuffragio ſententia noſtra probaretur. Quos enim adhibebimus ad ſcientiam explicandam, quae ſine ſcientia eſt, et quam nulli Veterum nobis tradiderunt? Quapropter, ubi nulla patet certa ad explicationem via, ad divinationem convolandum fuit, ut, auctoritate deſtituti, rem uni rationi fideremus. Gemmam per partes explicabimus; partium deinde conſenſum ex omnibus eruere conabimur: ſobrietatem noſtram in primis ſequuti; quum praeſertim de hoc Monumentorum genere Diſſertationem integram iam elucubraverimus, atque in altero huius Theſauri Volumine praemiſerimus.

IV. Gemma haec tua in utroque latere ſculpta eſt; et ne quis locus careret ſuperſtitione, limbus etiam inſcriptus obſervatur. Ingenium Scalptoris monetariorum ſtylum imitatus eſt, qui in antica certam imaginem exprimebant; in poſtica vero eiuſdem adtributa. Primum Gemmae adſpectum occupat Vir ſedens; alterum Hippogryphus a Victoria coronatus. Ille Numen refert; hic vero Numinis poteſtatem. Totus vero huius Gemmae adparatus ex triplici religione coaleſcit, Romana, Graeca, atque Aegyptia; unde intelligimus ex neutra diſciplina poſſe illa explicari, quae heic caelata ſpectantur. Vir ſedens, ſubligaculo praecinctus, cetera nudus, Aegyptiacum exprimit Sacerdotem, non quidem Iſiacum; quia, praeter eius Deae morem, capillatus eſt. Hoc nempe habitu, qui omnium ſanctiſſimus ha-

habebatur, divinitas exprimi consueverat: neque aliter Deos, quam sub specie sacrificulorum, efformari institutum erat; quod saepissime in Notis ad Lucernas observavimus. Serpente tamen praecingitur, cuius dignitatem tanti fecerunt amuletorum artifices, ut nihil sine illo publicarint; manifeste testati, quo praeceptore profeciissent. Plerumque supernam Mentem, ambitu suo omnia complectentem, sub hoc symbolo exprimebant, illique aliquando orbem caelestium, terrestriumque rerum imaginem includebant; significantes superno illo spiritu concludi omnia, atque versari. Sed haec quum humanius saperent, humanum modum aliquando praetergressi, atque altiora adpetentes (quae Magorum arrogantia fuit) rebus hisce speciem humanam addiderunt; rerum Naturam sub mortali specie exprimentes, ut in hoc ipso emblemate observamus, quam quidem serpentino cingulo praecinxerunt. Vidi aliquando adsimilem Gemmam, in qua femineum Numen, et ipsum serpenticinctum, mammas manibus exprimebat, cuius lac profluens animalia quaedam exsugebant: quae significatio aliquam cum Dianae Ephesiae mythologia adfinitatem servabat. Numen heic expressum decussato cubo insidet.

V. Nimius equidem essem, si huius figurae adfectiones, arcanasque proportiones ex Philosophis decerptas referrem. Quod unum ad rem facit, rerum constantia, atque stabilitas sub ea imagine significatur. Et revera, si huius classis Gemmae perlustrentur, cubi huiusmodi cruce signati frequentissime invenientur. Vir heic expressus dextera manu circulum crucigerum, Aegyptiacis Simulacris familiarem, sustinet: sinistra manu sceptrum hircinum, maximae dignitatis apud Aegyptios, ob Iovem sub ea pelle servatum. Capite vero Solis astrum gerit, unde fulmen exsurgit, quod

quod quidem geſtamen Magi IAO ſuo frequenter tribuerunt. Luſit itaque Artifex arbitrariam imaginem divinitatis figurando, in qua, ad Pantheorum ſimilitudinem, tot Deorum ſymbola cumulavit. Forte etiam ſub ea imagine initiatus aliquis deſignatur, in cuius felicitatem praecipuorum Numinum poteſtates influerent. Ex aenigmaticis notis ſolam vocem KYPIAV, quae eſt a KYPIOΣ, *Dominus*, intelligimus. Ex ceteris hinc inde obtruſis, multas in Syllabo noſtro vocum Magicarum, ſuperius edito, invenies. Latebunt tamen donec Pythoniſſa aliqua animam revocet antiqui Scalptoris, cum quo eius linguae ſcientia deceſſit.

VI. Alterum latus occupat Hippogryphus, tritiſſimum Solis ſymbolum, cui pro area ſtat alter ſerpens, ſupra quem ambulat. Monſtroſum iſtud animal Minervae aegide pectus ſuum obarmat; qua ſolarem hominem inclutum, invictumque fore promittit. Inde lacertus cauda ſuſpenſus, et mancipatus dependet; quo ſymbolo ſignificatur, maleficia omnia Naturae humidae Solis fervore concoqui, et ſuperari, et corporum vitia, atque venena depelli. Facile etiam ſignificare poteſt ſtellionem, cui portentoſam fraudem ineſſe veteres dictitarunt; in tantum, ut Maiores noſtri crimina omnia anonyma hoc uno *ſtellionatus* nomine ſignificarint. Iocus iſte frequentiſſimus eſt in eiuſdem farinae Gemmis, in quibus aquilae, accipitres, ibices, aliaeque volucres Diis ſacrae hoſce lacertos unguibus, vel roſtro arreptos, conficiunt. Portentoſae huic belluae caduceus cervicem exornat; ut quae bellico tegmine pectus protexerat, eloquentiae dotibus mentem exornaret. Itaque qui Gemmam hanc geſtaret, non modo fortis, non modo ſanus, ſed etiam diſertus futurus cenſebatur. Opes

tantum huic viro defuiſſent : at prudens circulator , Fortunae ſymbolum, gryphem alterum cum rota ſtellifera, tergo principis beſtiae impoſuit , ut adagium illud notiſſimum verificaretur : *Virtute duce*, *comite Fortuna* . At nihil ſanctius , nihil auguſtius, cauda maioris hippogryphi, quae in aſpidem illum ventroſum, ac rite tutulatum, adſurgit . Eius , ut noſti , tanta apud Aegyptios auctoritas fuit , ut ex eo Deorum capita ornarentur : at e Deorum vertice huius Gemmae Artifex , nunquam prudentior , eum in caudam tranſtulit, ut ibi pro dignitate conſiſteret . Putant aliqui plerumque Genii Numen eo monſtro ſignificari, qui proinde minaci rictu audax adſurgit , ut dum cetera tam fauſte praeeunt , heic ea quae ſubſequuntur defendat , et ab occultis hoſtibus in tuto ponat .

VII. Victoria myſticum hunc nexum ſerto coronat, ut qui ex tantis Deorum poteſtatibus coaluerat , victoriae augurium conſummaret . Ita Genio populi Romani blanditum eſt , cui ſemper id votum ſtetit , ſeu interim virtute bellica dimicandum eſſet , ſive periculum eloquentiae, ſive corporis virium , ſive denique felicitatis , atque fortunae faciendum . At praeter morem hariolum geſſi , ZANETTI CLARISSIME . Sint itaque , qui ſine invidia agant Antiquarium , et ſi quid certius habent , quod proferant , in medium adducant . Equidem ſculpturam hanc ita interpretatus ſum , quemadmodum ſi illam mihi ordinandam propoſuiſſem , haec ſignificare reputaſſem . Ceterum circa hoc cimelium tuum id uſurpari poteſt, quod olim de Diptycho Quiriniano dictum eſt : *Monumentum praeclariſſimum*, *ſed obſcuriſſimum ; ſententiae de illo multae* , *ut hominum ingenia ; quorum diſſidia nullus unquam idoneus Iudex diſcernet* .

VIII.

VIII. Quoniam vero in Gemmae tuae gratiam haruſpicinam tentandam cenſui, excurri diligentiſſime multiplicia veterum Gemmarum ſchemata, quae validiore cera excepta, in Muſeo meo cuſtodiuntur: quorum frequenti adſpectu mentem oblectare ſoleo, et veluti in illarum thesauro verſari; hiſque, quum mihi fortunae parſimonia maiorem voluptatis ſuavitatem denegarit, vicariis ectypis ſubſtitutis, luculenter compenſo. Totam igitur ſupellectilem ſcrutatus ſum, ſi quid forte in ea occurreret, quod Gemmae huic tuae famularetur, eandemque ingenii indolem proderet: et forte fortuna unius Gemmae ſpecimen mihi oblatum eſt, quod in fronte huiuſce Divinationis meae Amicus noſter Gorius excudendum curavit. Hominem praeſefert nudum, altero genu arae inſiſtentem, qui tanquam pro focis dimicet, gladium ſtringit, et iactat coronam: dixiſſes Dianae Erycinae Sacerdotem repraeſentare, qui quotannis periculo mortis inſulam ſibi conſervabat. Atrox quidem ritus; quem peculiari Diſſertatione, cui titulus *de Rege Nemorenſi* dilucidatum habes in Volumine III. Muſei Etruſci, ubi imaginem huic ſimilem ſpectare poteris pag. 130. Mithriaci quoque per haec terriculamenta rerum umbratilium ad coronam perveniebant: quae quidem initia, atque expiationes, Magiae maxime adfines, ſaepiſſime uſurpatae cernuntur in hiſce Gemmis, quas communi vocabulo *Magicas* adpellamus. Ara lato pede conſtat, tenui ſtipite, rurſumque latiore diſco: quales propemodum erant, quibus ad ignem conſervandum inter ſacra miniſteria utebantur, plerumque aerea, quae calori reſiſterent; cuiuſmodi candelabra nuncupamus. Vix enim puto ad id officium marmoreas aras adhibitas, quas nunquam uſtulatas vidimus: nec earum materia diu calorem pertuliſſet.

IX. Adſtat ſacro militi tortuoſus ſerpens, ſcientiae magicae praecipuum columen, atque ornamentum : cuius varias ſignificationes luculentius alibi proſecuti ſumus. Capite leonino inſtructus eſt, illoque radiato, qualis unus ex Decanis effingitur. Ex alio latere aſpis ille Aegyptiacus, qui in ſuperiore Gemma poſteriora Gryphi defenſat, inſtructus eſt accipitrinis pennis, per quas divinae mentis agilitatem Veteres ſignificabant. Hos inter cuſtodes miles ille conſtitutus eſt, illique proſpera omnia repromittunt. Quid ni ? Fortunae rota aſtro inſignita humi ſtatuta eſt; ut praeter honoratiſſimum apud Inferos locum, quod ſibi initiati futurum augurabantur, opes etiam, dum inter mortales agerent, non deeſſent.

X. Alterum huiuſmodi Gemmae adſpectum obtinent arcani de more characteres, qui nullum omnino ſonum reddunt; unde certo conligimus nihil omnino ſignificaſſe hanc ſcripturam, quae nec pronunciari quidem tunc potuit; in cuius indagine ipſa etiam haruſpicina magis effrons, ac temeraria acumen retundit; ut ingenue fatendum ſit nullo ſaeculorum beneficio ſignificationem expectari poſſe, quam nunquam habuerunt.

Ex aere, huius magnitudinis, exſtat in Muſeo Gorio.

NOX

NOX
DIONYSIACA
DISSERTATIO VIII.

IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS

Ex Ectypo Musei Paseriani

NOX DIONYSIACA

DISSERTATIO VIII.

AD VIRVM NOBILISSIMVM ET PRAESTANTISSIMVM

IGNATIVM MARIAM COMVM

PATRICIVM FLORENTINVM

ET NEAPOLITANVM

INTER antiqua Monumenta, quae ſummo tum ſtudio, tum labore conquiruntur, et inluſtrantur aetate hac noſtra, Antiquariae ſcientiae cupidiſſima; illa profecto maximo in pretio habenda ſunt, in quibus diſparata ſymbola, atque ex diverſis rerum claſſibus, una ſimul copulata obſervantur. Quae enim diſiuncta Eruditorum ingenium mire torquebant, ubi in unum coaleſcant, magis, magiſque doctorum hominum ſolertiam excitant, ut, qua mente, quoque conſilio iuncta ab Antiquis ſint, adſequantur.

II. Id mihi nuper obſervare contigit, IGNATI MARIA COME DOCTISSIME, in pulcherrima Gemma ſtellifera, in qua

qua DEAE NOCTIS ſimulacrum, adſtante infra Fauniſco, obſervavi. Vtraque quidem, ſi diſiunctim conſiderentur, inluſtrationem exoptarent; at ſimul copulata imaginem quamdam altioris diſciplinae nobis ob oculos obiectant: quam indagandam peculiari Diſſertatione mihi propoſui, eamque Tibi, VIR ORNATISSIME, offerendam ſimul ſtatui, veluti devinctiſſimae obſervantiae in Te meae teſtimonium. Poteramne in inſigni hoc Gemmarum Theſauro, in quo Amicorum fere omnium nomina memorantur, eorum praeſertim, qui in hiſce ſtudiis clareſcunt, IGNATIVM MARIAM COMVM, Italicarum Athenarum inluſtre ornamentum, divinarumque, ac ſimul humanarum litterarum conſultiſſimum; mihique diuturna benevolentia coniunctiſſimum, praetermittere, quin aliquam huius Operis partem ſibi dicatam reportaret? Sed ſcalpturam longe artificioſiſſimam intenta acie per partes percurramus.

III. Vides in ea Noctis imaginem ex alto prolapſam, quae ſubmiſſa face ad ima deſcendit. Hanc motus directionem duo praecipue monſtrant; palla hinc inde circa pedes fluitans, ſubiectoque aëre inflata: quod minime eveniret, ſi ex imo Dea illa in altum tolleretur. Vides peplum praeterea ſuperne inflatum, atque exundans, laciniis vento luxuriantibus, quod pariter deſcenſum indicat. Quae mihi obſervanti, Virgilianum illud in mentem rediit, Aeneid. Lib. VI. verſ. 639.

Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas:

quo eius gravitas, atque pondus ſignificatur. Et Aeneid. Lib. VIII. verſ. 369.

Nox ruit, et fuſcis tellurem amplectitur alis:

et

et Aeneid. II. verſ. 250.

Vertitur interea caelum, et ruit Oceano Nox.

Facem vero ſubmittit ; quo geſtu defectum luminis ſignificat : quod mire expreſſit Orpheus in eius Hymno :

Quae lucem emittis ad inferna.

Quamquam enim miniſterium lucis Diei tantum, non vero Nocti tribuatur ; quum, ut ait Macrobius, nihil aliud Nox ſit, quam *umbra terrae*, ex oppoſita parte Soli : lucem tamen ad inferna demittere dicitur, hoc eſt Soli ſe ſe contraponere, atque interpoſito terrae ſpatio occultare. Intra vero ſpatioſiſſimi veli circuitum, ex quo ipſa *Circularis*, hoc eſt in gyrum revoluta, ab eodem Orpheo vocitatur, ſtellae plures obſervantur ; ex quo etiam *aſtris lucens* dicitur in eodem Hymno. Ex his vero ipſum Noctis peplum conſperſum dixit idem Poëta in Hymno aſtrorum :

Inluſtrantia ſemper Noctis tenebroſum peplum ;
Splendoribus relucentia ; ——————

nam eiuſdem Noctis ſobolem aſtra eſſe tradidit :

Aſtra caeleſtia Noctis cara proles nigrae.

IV. Quod vero ſtellae quaterno numero, nec maiore, minoreve, ſignatae ſint, atque in ipſo pepli gyro incluſae, caſui referrem, ni promta occurreret ratio cur totidem eſſe voluerit ſcitiſſimus Artifex : ad ſignificandum nempe totum Noctis ſpatium in quatuor vigilias diviſum, ſingulis vigiliis ternas horas continentibus, ut liquet ex Cenſorino de Die Nat. Cap. 23. *Noctem quadripartito dividebant, idque teſtatur ſimilitudo militaris, ubi dicitur vigilia prima, item ſecunda, et tertia, et quarta.*

V. Lunam vero in fronte gerit, tanquam peculiare sui ornamentum; unde Nox Lunam tenere dicitur, Aeneid. Lib. III. vers. 587.

Et Lunam in nimbo Nox intempesta tenebat.

Divino enim testimonio Lunam creatam intelligimus, *ut praeesset Nocti*. In hoc vero eiusdem Noctis simulacrum a Dianae, seu Lunae imagine differt; quod ipsa tanquam lucis auctrix, unde modo *Lucifera*, quandoque *Lucina*, saepe quoque *Noctiluca*, nuncupatur, facem adtollit. Hanc vero quum deprimit, ipsam Noctem repraesentare intelligimus, Luna adiecta, veluti praecipuo sui adcessorio.

VI. Nocti maximus honos adtributus olim fuit, ut frequenti Veterum testimonio manifestum est; unde habita illi peculiaria sacrificia, quod ex citato Orphei Hymno demonstratur. Opitulatur Horatii auctoritas Lib. III. Ode 28.

Dicetur merita Nox quoque naenia.

Et Ovidius Fastor. Lib. I. vers. 455.

Nocte Deae Nocti cristatus ceditur ales;
Quod tepidum vigili provocet ore diem.

Et Virgilius Lib. VI. vers. 250.

Aeneas matri Eumenidum, magnaeque Sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.

Adtamen inter Deos Inferos habita est, et quae eremum habitaret, ut liquet ex Euripide:

Verenda, verenda Nox,
Quae das somnia miseris mortalibus;
Ex Erebo veni, cede, cede volucris:

eique

eique triſtiſſimam exſtitiſſe progeniem recitat Heſiodus in Theogonia :

Nox peperit Fatumque malum , Parcamque nigrantem ,
Et Mortem , et Somnum , diverſaque Somnia natos ;
Hos peperit nulli Dea Nox coniuncta marito .

Ex ea quoque *Momum* , *Aerumnam* , *Fraudem* , *Senectutem* , et *Contentionem* prognatas ipſe refert . Quapropter , quum eius imago ominoſa haberetur , atque funeſta , Gemmam hanc inter ferales computarem : quae nempe eo conſilio caelatae erant , ut mortuum ſequerentur , illiuſque reliquias in Sepulcro ornarent .

VII. Hoc vero comprobare videtur Fauni ſaltantis imago , priori imagini ſubiecta ; quae poſtremo , quum ad caeremonias Bacchicas adludat , ad illos potiſſimum pertinebat , qui Orgiis eſſent initiati . Quum enim putarent Ethnici expiationes illas ſummopere conducere ad animarum purgationem ; cenſuere , reſolutis vinculis corporis , ad felicitatem conſequendam , ut eorumdem myſteriorum ſymbola cum mortuis conlocarentur . Huic diſciplinae tribuendum eſt , quod tam frequenter oſſuaria Bacchanalibus ſymbolis exornata inveniantur . Vterque vero typus et Noctis , et Bacchici comitis aptiſſime ſimul conveniebat , ut in Gemma triſte officium caelaretur , quum illa Somni , et Mortis parens haberetur ; Bacchus vero calamitatum infernarum reparator .

VIII. Alia quoque ſubeſt ratio , cur uterque typus coniunctus ſit ; quod nempe Bacchanalia noctis licentiam quaererent , ex quo Paculla Minia Campana Bacchi Antiſtita , ſacrum id ex diurno , nocturnum fecerat . Inde Senatus conſultum latum , quo nocturna haec ſacra tolle-

rentur, ut constat ex Livio Lib. XXXIX. cuius auctoritatem mirifice inlustravit celebratissima eiusdem Senatusconsulti aerea Tabula olim vestra; quae deinde Caesareo Museo indita inter praeclariora Cimelia connumeratur; et nunc illustri quoque Commentario Matthaei Aegyptii insignis, quem vestra Parthenope immaturo obitu exstinctum adhuc cum Musis omnibus luget. Sed pestem illam ea lex compescuit, non adeo sustulit, quin inde etiam, florente Imperio, non pullularit: hinc Bacchus Georg. IV. *Nocturnus* nuncupatur:

Inter sacra Deûm, nocturnique Orgia Bacchi.

Et Aeneid. IV. vers. 302.

—— Vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.

Hinc a Nocte his sacris aptissima cognomen *Nyctelii* Baccho factum est a ΝΥΚΤΕΛΕΩ, quod significat *in nocte perficere*; pudenda quidem sacra, quae Noctis caecitas tegeret, et cuius etiam symbolum in hac Gemma sub ipso Noctis velo scitissime caelaretur.

IX. Vnum supereſt animadvertendum impar utriusque figurae mensura; nam Noctis imago adeo Faunum antecellit, ut quadruplo fere maior videatur: quod tamen opticae rationi in hoc typo minime referendum est; quamquam non dubitem, Etruscos aliquando in picturis imagines illas, quas eminus exprimere voluerunt, oculorum experimentum sequutos, minores effeciſſe. At dispar ratio in scalpturis, in quibus nulla distantiae disparitas. Haec differentia uni Religioni debetur, ob quam Deos maiore statura constare, quam quae hominibus sit, atque suos

He-

Heroas, voluerunt. Hinc Quirinus maior humana specie post mortem adparuit:

Pulcher, et humana maior, trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via.

Sic Creusa post mortem procerior Aeneae adparuit:

Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusae
Visa mihi ante oculos, et nota maior imago.

Apud Tacitum quoque Anal. 11. legimus, Curtio Rufo *oblatam speciem muliebrem ultra modum humanum*. Sic apud Suetonium in Claudio Cap. 1. *Species barbarae mulieris, humana amplior, Drusum victorem tendere ultra, sermone Latino prohibuit*. Quin et simulacris marmoreis aliquando observamus coniunctos Genios adeo mole impares, ut nullam inter eorum corpora proportionem deprehendamus: quod eo consilio factum est, ut Numinum imagines longe augustiores, atque ampliores exprimerentur; quod, quum mole non possent, comparatione praestiterunt: quo etiam respexit Homerus, ubi tantum vocis sonum Diis adtribuit, quae decem millibus mortalium aequipolleret. Itaque huius Gemmae Artifex, ut Noctis divinitatem, ac dignitatem in angusto spatio exprimeret, Bacchicum comitem illi adiecit adeo minoris staturae, ut vel primo obtutu illam humana conditione ampliorem esse sentiamus.

X. Quamvis autem Hesiodus, ut adnotavimus, tenebrosos Nocti parentes dederit; Aristophanes tamen aliique eam Cupidinis filiam fuisse scripserunt: quam sententiam ita probavit Orpheus in Argonauticis vers. 14.

—— geminum praestantem dicite Amorem
Obscurae Noctis patrem: dixere Phanetem
Illum mortales; quod primum adparuit ille.

Ei currum tribuit Aratus in Aſtronomicis verſ. 408. ut eam redderet gratiorem, ac reliquis Diis parem:

Nox antiqua ſuo curru convolvitur aram
Hunc circum: ———————————

et Libanius, ubi eam matrem prudentiae, ac ſapientiae, multarumque curarum, et conſiliorum praedicat, ex Sophocle, vocabulo a mente ducto, Εὐφρόνην adpellavit. Hanc Chriſtus Dominus noſter ſtatimac in mundum venit factus homo ſanctificavit Ortu ſuo feliciſſimo, et glorioſa Reſurrectione; eiuſque exemplo primitivi Chriſti Fideles, ac deinde viri Deo ſervientes vigiliis, orationibus, hymnis et Sacramentorum communione in ſacris Synaxibus Deo ſacrarunt, et gratiſſimam reddiderunt, quod et hodie apud nos ſervatur. Pro omnibus Prudentium audiamus:

Nos feſtis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque proſpera
Certatim vigili congerimus prece;
Exſtructoque agimus liba ſacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quae ſuffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natalibus
Lucem perſpicuo flamma iacit vitro.

Vale Muſarum noſtrarum ſingulare ornamentum: et noſtra haec ſtudia fovere ne deſinas.

DE

DE IOVE LVCETIO

DISSERTATIO IX.

IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Inscal. Chalced. Mus. Victorii. *Inscal. Achati ex Cim. Vernacc.*

DE IOVE LVCETIO

DISSERTATIO IX.

AD VIRVM CLARISSIMVM

D. SALVATOREM M. DE BLASIO

MONACHVM CASINENSEM

PHILOSOPH. MATHEM. AC THEOLOG. PROFESSOREM

BIBLIOTHECAE PANORMITANAE MONASTERII
S. MARTINI PRAEFECTVM

EIVSDEMQVE MVSEI CIMELIARCHAM
MERITISSIMVM

VALDE ſanctum, iucundum, et ſuave inter eruditos Viros eſſe ſincerae amicitiae vinculum, praeſertim ſi virtute auſpice, et genialibus ſtudiis ſuadentibus, feliciter ortum, atque inter eos excitatum ſit; nemo dubio procul eſt, qui aut neget, aut probe non intelligat. Suaviſſimum profecto, atque iucundiſſimum mihi plane contigit, BLASI DOCTISSIME, ut tecum amicitiae neceſſitudine frueret; ſumma vero voluptate plenum, quum in-

inter nos auſpex fuerit amiciſſimus Gorius, qui mutuis benevolentiae officiis Te mihi, meque Tibi arctiſſime coniunxit. Tu quidem, ea qua polles doctrina, et eruditione cum ſacra, tum profana, non ſolum probaſti, ſed et laudibus ornaſti meas ad Etruſcorum Antiquitates, et Linguam inluſtrandam lucubrationes: placuitque mirum in modum ſtudium meum in hoc Goriano Theſauro GEMMARVM ASTRIFERARVM enucleando, atque dilucidando. Ego pariter mira laetitia perfundor, quoties a Te audio ingentem comparatam Naturalium Rerum, ac praeſertim peculiarium, totius Siciliae Regni ſupellectilem, imo theſaurum; Teque cum his antiqua Numiſmata, Signa, Gemmas, et picta Vaſcula ſociaſſe, quae ad augendum Gorianum Muſeum Etruſcum ſumma cum humanitate, atque ex his non pauca a Te docte explicata, communicaſti. Hiſce etiam ſtudiorum deliciis, et amoenitatibus nuper initiaſti ornatiſſimum Alumnum tuum D. Ioachimum de MONROY Mon. Caſ. qui ex Philoſophiae, Phyſicae, ac Geometriae adytis publice ſpecimen, et experimentum nuper exhibuit; qui etiam exemplo tuo incenſus priſci aevi elegantiis mirifice delectatur. Patere igitur, BLASI CLARISSIME, ut ad fovendam initam inter nos tam felicibus auſpiciis mutuae benevolentiae, et amicitiae coniunctionem, pauca haec tuo praeclaro nomine ornem in hoc Aſtrifero Syntagmate, ut me perpetuo tuum eſſe, ac fore tenui hac delibatione teſtificer; praeſertim quum mecum in Sociorum Columbariorum Florentinorum albo, eodem Gorio curante, ſis deſcriptus, et patriae tuae Academiae ſelectioris, atque exquiſitioris eruditionis guſtus ſtudioſiſſimae magnum ſis columen, atque ornamentum. Quae heic proferuntur Gemmae, ut ita dicam *Auſpicales*, (nam Iovis LVCETII benefica auſpicia,

ut

ut Veteres credebant, complecti videntur) ſpectatu plane dignae ſunt, peculiaribus etiam emblematis ornatae, quae Mythicam Hiſtoriam, ac Scientiam non parum inluſtrant; et quum multa iam in hoc Theſauro obſervata contineant, hiſce paucis benignas aures tuas humaniſſime praebe.

I. Princeps Gemma, quae in fronte huius Diatribae propoſita eſt, in celeberrimo Muſeo Victorio Romae exſtat; quam Praeclariſſimus eius parens FRANCISCVS VICTORIVS, Sacri Militaris Ordinis D. Stephani Papae, et Martyris Commendatarius Eques, in lucem protulit Cap. XIV. pag. 51. in erudita ſua Diſſertatione, in qua, veteribus Monumentis adlatis, egregie *Hiſtoriam Sanctorum Septem Dormientium* inluſtravit. Perlubet eam ipſam, quam dedit, huiuſce perelegantis Gemmae deſcriptionem, heic honoris cauſa, utpote adcuratiſſimam, adponere. *Homerus omnes homines, Deoſque dormientes finxit, praeter Iovem; non enim decebat rerum omnium moderatorem dormire. Ipſum Iovem, tamquam Diei, Noctiſque rectorem, fortaſſe ab antiquo artifice expreſſum fuiſſe putamus in anulari chalcedonio, in quo idem Iupiter in ſolio ſedens viſitur, fulmen et haſtam longam tenens; pedibus innixus ſcabello, adſtante Aquila. A dextris ſtat Apollo Phoebus, nudus, et radiata coma; orbem dextera manu, ferulam ſiniſtra gerens, quod eſt Diei ſymbolum. A ſiniſtris Diana, ſcilicet femina velata, ſuſtinens utraque manu velum criſpatum, et aura leniter inflatum, elatumque ad modum arcus ſupra caput; et in reliqua area ſuperiori, plures ſtellae comparent: ſignum, et quaſi depicta imago nocturni luminis. Sed plura de his ad Mythologos, et deſcriptores imaginum Deorum gentium pertinent.* Sed de ſtellis Noctem conluſtrantibus, quod obſervat Lactantius Firmianus *de Origine erroris* Lib. II. Cap. v. ubi

agit de cultu veri Dei , in Notis erudite exponit . *De Elementis , et Aſtris* , ait : *Cur autem excogitaverit illa Deus* (nempe Aſtra) *quis non intelligit ? Scilicet , ne Solis lumine decedente nimium caeca Nox tetris , atque horrentibus tenebris ingraveſceret , noceretque viventibus .*

II. Altera Gemma , Achati Chalcedon. inſcalpta , nunc primum prodit ex Cimeliis Nobilis Viri , et priſcarum elegantiarum Cultoris ornatiſſimi , Friderici VERNACCIA, qui Cl. Gorio ſpectandam , et delineandam perhumaniter miſit : plane dignam , quae in hoc Sidereo Opere locum haberet , ipſumque locupletaret . Ambae hae Gemmae argumentum fere ſimile continent ; Iovem nempe Beneficum in Concilio Deorum aliquot ſedentem . At , quo magis prae emblematis ipſis aeſtimandae ſunt , eo minus examen patiuntur ; quum omnibus vel leviter in ſcientia Antiquaria initiatis perſpicuae ſint .

III. Ne tamen penitus ieiuni pulcherrimas haſce caelaturas tranſeamus , Artificum mentem perſcrutantes , atque exponentes , obſervabimus in Gemma Victoriana Iovem ſedentem ſuperne nudum , inferne velatum ; qualem nobis deſcribit Porphyrius apud Euſebium de Praeparat. Evang. Lib. III. Cap. 3. non dextra fulmen adtollentem , qua ſceptrum ſuſtinet , ſed ſiniſtra ; ex quo , ſepoſitis Tonantis , et Fulguratoris officiis , ſerenum ſe ſe , et placidum exhibet . In hunc fere modum expreſſum Iovem Caeleſtem obſervare eſt in Albana perinſigni marmorea Ara , a Cl. Gorio edita inter Donianas , quae olim in Villa Paoluccia , nunc Merlinia exſtat ; in qua praeter Iovis nativitatem , et educationem , ipſum Deorum Concilium , coram Iove in throno ſedente , repraeſentatur .

IV. Solis imagine , qui flagrum ſiniſtra , orbem vero dex-

dextra adtollit, haud dubium eſt hoc ſymbolo monſtrari eius poteſtatem in terreſtrem globum, iuxta illud Horatianum:

Phoebe, terrarum potens, et Diana.

Inde etiam a ſiniſtris Iovis conſpicua eſt Dea, peculiari quodam ornamento inſignita, peplo nempe ſtellis circumquaque diſtincto; ex quo coniicimus non Lunam, ſed Deam Noctem referre, quae et ipſa lunaribus cornibus, tanquam praecipuo ſuo ſymbolo, frontem ornat: ſicut e contra, imagine Solis a dextris Iovis ſtantis, Dies repraeſentatur; quod duplex Iovis ſit poteſtas: nam ipſe in primis LVCETIVS, atque DIESPITER, quod lucem et diem adferat, apud Veteres nuncupatur, ut docet Varro de Lingua Latina Lib. IV. *Dieſpiter dictus, id eſt Dii Pater*: quod etiam confirmat Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 15. et Servius in IX. Aeneid. verſ. 570. Lucetius, *lingua Oſca Iupiter dictus* a luce, *quam praeſtare hominibus dicitur: ipſe enim eſt noſtra lingua* Dieſpiter.

V. Nox vero ab ipſo non eſt aliena; nam curis hominum fatigatus, ſomno quandoque indulgere a Poëtis fingitur: quapropter apud Nonnum Dionyſiac. XXXI. ita Somnum adloquitur:

Soli mihi pennas vibra, et immotis in lectis
Maneat Iuppiter immotus, quantum tempus, iubes, Somne.

VI. Altera Gemma Vernacciana Iovem exhibet pariter in throno pulcherrimo ſedentem, qui dextra protenſa pateram tenet; ſiniſtra vero ſceptro innititur, atque ipſum poteſtatis ſuae inſigne oſtentat. Coram Iove adſtat Ceres, ſi mavis etiam Abundantia, quae dextra copiae cornu tenet, ſiniſtra vero aliquid ab Iove petere, ſive accipere videtur,

detur : et facile etiam Dea Tellus esse potest, Iovis beneficiis plena. Iuxta Cererem, sive Abundantiam, sive potius Tellurem Deam stat Apollo, nempe Sol, toto corpore nudus, radiato capite insignis, flagrum dextra gerens, dextram vero boni ominis gratia adtollens ; qualis etiam in Caesarum Nummis, praesertim Aureliani, occurrit. Praecipuum heic adspicis eidem tributum symbolum, nempe gallum cristatum, qui eius capiti insistit, qui quum lucis in ortu eius sit nuncius, ei perbelle convenit : de quo quum alibi huius symboli rationem prosecuti simus, nunc ea iterum adferre omnino supervacaneum censeo. Galli laudes in Hymno sacro ad Matutinum, ut scis, enumerantur a divino Poëta Prudentio. Soli vero tribuitur, atque Mercurio, quod mirifice eius caloris vim declaret, ut luculenter observat Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. 3. et Solis reditum cantu nuntiet.

VII. Maximum quidem huius perelegantis Gemmae pretium faciunt tres Aquilae Iovem circumstantes, quotas vix in alia scalptura forte videre occurrit ; quod diu meditatus, non alia ratione multiplicatas fuisse hasce Aquilas conieci, nisi forte ad triplex eiusdem alitis officium circa Iovem explicandum ; quod non aliter significari posse putavit Gemmarius Artifex, quam si Aquilas multiplicaret. Harum prima, quae ad auspicia pertinet, capiti Iovis imposita cernitur ; quae, ut narrat Lactantius Firmianus, *quum Iupiter ex insula Naxo contra Titanas proficiscereturr, et sacrificium offerret in littore, ad eum advolavit, et auspicium fecit. Quin et sacra Gentium Historia illi quoque in capite consedisse refert, et regnum portendisse.* Hinc, quum Aquila inter aves omnium auspicatissima haberetur, ut ex Livio, aliisque Scriptoribus, pluribus in locis constat,

vo-

volatus eius maxime in auguriis obſervari coepit, ut eſt apud Callimachum Hymn. 1.

Sed conſtituiſti et avem omnium praeſtantiſſimam,
Nuntiam tuorum auguriorum. ———

Quod autem victoriae Iovi feciſſet augurium Aquila, tum apud Perſas, aliaſque Gentes, tum etiam apud Etruſcos, et Romanos, Legionum evaſit inſigne auſpicatiſſimum; de quo multa Iſidorus Orig. Lib. XVIII. Cap. 3. adeoque ea rite conſecrata, et inſignia multa religione, ac divinis honoribus culta ſunt. Hanc Caeſares, et Conſules in ſceptri eburnei vertice, dum ſolemni pompa triumphum agerent, vel procederent, geſtare, eaque poſt obitum dimiſſa e rogo, apotheoſi donari conſueverunt.

VIII. Quae vero alis ſuſpenſa, et volanti ſimilis media inter ipſum Iovem, et Frugiferam Cererem conlocata eſt, alteri eius poteſtati, et officio, truculentiori quidem, quo tonat et fulminat, videtur infervire, et Iovi tela miniſtrare: hinc apud Claudianum de Bello Gildonico Carm. XV. verſ. 467.

——— *fulvuſque Tonantis*
Armiger ———

Indulſit genio ſuo Gemmarius Opifex, qui huic Aquilae in aëre ſuſpenſae tribuit arrepta unguibus fulmina: quae in aliis caelaturis quandoque tenet ea Aquila, quae ad Iovis pedes conſiſtit. Quod igitur huic frequentius tribuitur miniſterium, alteri ad pedes Iovis ſtantis tribuit fortaſſe Artifex, et raptum ab ea Ganymedem ſpectavit:

——— *quem praepes ab Ida*
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis;

ut

ut ait Virgilius Aeneid. V. verſ. 254. quo quidem rap. Iovis amorem ſibi Aquila conciliavit, adeout prope eum adſit, iuxta illud Horatianum Lib. IV. Ode 3.

Qualem miniſtrum fulminis alitem,
Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permiſit, expertus fidelem
Iupiter in Ganymede flavo.

Facile etiam duabus Aquilis Scalptor mythicam Hiſtoriam expreſſit, quae docet, Iovem quum vellet regni ſui metiri magnitudinem, duas Aquilas ab ortu et occaſu dimiſiſſe: quae quum pari celeritate volatum intendiſſent, ſibi invicem occurrerunt in loco, quem incolunt Delphi; quae eleganter expoſita eſt a Pindaro Pyth. Ode IV. quem Claudianus imitatus Carm. XVI. ita cecinit:

Iupiter, ut perhibent, ſpatium quum diſcere vellet
Naturae, regni neſcius ipſe ſui:
Armigeros utrimque duos aequalibus alis
Miſit ab Eois, Occiduiſque plagis.
Parnaſſus geminos fertur iunxiſſe volatus;
Contulit alternas Pythius axis aves.

In exergo huius Gemmae ſpectatur Graeca epigraphe ΔΟΜЄΤΙC. quae, ni fallor, anularis Gemmae dominum et poſſeſſorem declarat; qui fuit DOMITIVS. Stat Є loco I. cuius conmutationis complura exſtant in Scaligeriano Indice ad Gruterianos lapides exempla. Praetermiſſum eſt O; nam ſcribendum fuerat ΔΟΜЄΤΙΟC; ſed et huius ſcripturae non pauca exempla apud Veteres adnotat Cl. Corſinus in Diſſert. II. pag. XXIII. praeclari ſui Operis *de Notis Graecorum*, ut videre poteris.

DE

DE GEMMA TABERNARIA

DISSERTATIO X.

CONVIVALIS

IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Ex Sarda a Cl. Jo Bapt. Donio delineata

F. V. sc.

DE GEMMA
TABERNAM SALARIAM REFERENTE
DISSERTATIO X.
CONVIVALIS

AD AMICVM OPTIMVM ET ORNATISSIMVM

IO. ANDREAM IOANNELLIVM

SANCTAE TVDERTIS ECCLESIAE
PRESBYTERVM

QVVM longo terrarum intervallo divulsis una convenire, ut Amici adsolent, in hisce salutaribus otiis, si quae mihi sunt, denegetur; quod unice datum est, convivali Dissertatiuncula te conveniam: neque enim prae sui argumento aliter eam inscribendam esse duxi. Versatur enim circa veteris Gemmae examen, in qua nihil aliud deprehendo, quam integram salsamentarii tabernam, instrumentis omnibus probe instructam; quod quidem argumentum omnino in hisce scalpturis singulare, ingenium nostrum ad illud inlustrandum excitavit.

I. Vides in ea ſtantem columnam claviculis exaſperatam, e quorum ſummo bilanx aequis ponderibus librata ſuſpenſa pendet; hinc geminis piſcibus, inde aequipondio conlocatis. Humi menſa conſtituta eſt, atque hinc hydria, inde ſcrinium obſignatum, cultello pone adligato. Stella fulcro incluſa columnae inminet, ut a longe tabernam deſignet. Opportune vero haec Gemmae imago, a Clariſſimo Gorio, ex autographis Schedis Donianis depromta, mihi oblata eſt, qua ſententiam meam confirmem, nullum fuiſſe humanae vitae officium, quod antiqui Scalptores in Gemmis non expreſſerint, ut cuiuſcumque inſtituti homines ſymbola propriae artis in illis deligerent, et digito incluſa iactarent. At vereor, ne delicatulus quiſpiam nos haec putida perſcrutantes, cum nauſea excipiat, tanquam huius ſtudii dignitati, ſi ad haec viliſſima deſcendamus, detrahatur. At quiſquis ille eſt, qui tam ſumptuoſe de Antiquitatibus ſentit, ſedeat ſine invidia inter unguentarias tabernas, nec nobis vitio vertat, ſi per urbem totam noctu diuque excurrentes, angulos omnes luſtremus, ut non ſplendidam modo, ſed et integram Antiquitatem oculis noſtris ſubiiciamus.

II. Taberna, quam heic paupere cultu ornatam intuemur, ex illis eſt, quas ultimae plebis homines ſubito artificio per Fora exſtruebant modicis tigillis, anguſtoque tabulato, ubicumque in porticibus apud columnam ſpatium vacaret, excitatis. Facillimum id, ac promtum aedificii genus, adeo antiquum fuit, ut tabernae nomen fecerit; eo quod e *tabulis* conſtaret, ut placet Feſto in *Tabernaculum*, et Iſidoro Lib. XV. Cap. 2. *Tabernae olim vocabantur aediculae parvae, et ſimplices in vicis, axibus, et tabulis clauſae*. Columnis vero commendabantur, non modo ut firmius conſiſterent, ve-

verum etiam ut conſtanti indicio diſcernerentur. Quod praecipue de librariorum tabernis ad columnas conſtitutis adnotat Horatius Satyr. IV. Lib. I.

Nulla taberna meos habeat, nec pila libellos,
Queis manus inſudet vulgi. ——————

Et rurſus de Arte Poëtica:

—————— *Mediocribus eſſe Poëtis*
Non Dii, non homines, non conceſſere columnae.

Adeo vero huiuſmodi tabernarum ubique inſurgentium licentia creverat ſub Domitiano, ut lege lata illas tolli, ac ſubverti oportuerit; ut colligitur ex Martialis Epig. LX. Lib. VII.

Abſtulerat totam temerarius inſtitor urbem,
Inque ſuo nullum limine limen erat.
Iuſſiſti tenues, Germanice, creſcere vicos;
Et modo quae fuerat ſemita, facta via eſt.
Nulla catenatis pila eſt praecincta lagenis,
Nec Praetor medio cogitur ire luto.
Stringitur in denſa nec caeca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonſor, caupo, coquus, lanius ſua limina ſervant:
Nunc Roma eſt, nuper magna taberna fuit.

Ex ipſis quoque inſcriptis Marmoribus non levia argumenta ad propoſitum noſtrum eruuntur, ut ex inſcriptione Gruteriana pag. 646. num. 10. ubi memoratur OLEARIVS DE PORTICV PALLANTIANA: immo ex ipſis marmoreis columnis, quae in dies deturpatae cicatricibus eruuntur, eadem corruptela comprobatur; ut ſaepe miratus ſim etiam in-

por-

porphyreticas defaevitum ; adeo ut , plebeculae petulantia ubique pergulas hafce configentis indomiti marmoris indolem fuperaret. Columnae innititur bilanx , quam Scalptor Gemmarius Mechanicae potius , quam Opticae ftudiofus, adeo ingentem fecit , ut omnem paene Tabernae ambitum occupare videatur. Huic tamen errato gratia referenda eft, eo quod fui mole in tantillo lapidis fpatio rem alioqui apud Mechanicos ignotam exprimere diligentius exoptarit.

III. Inftrumenta ad ponderum examen deftinata , uti apud nos, ita apud Antiquos duo fuere, *ftatera* , et *bilanx*. Haec axem habet, feu centrum in medio iugo , feu longurio , quem in aequas partes divifum , ubi aequis ponderibus hinc inde premitur , in aequilibrio conftare neceffe eft. Contra in ftatera , quae axem habet in extrema parte conftitutum, cuius propterea aequilibrium conftat ex proportione inter pondus , atque diftantiam intercedente , ut quo magis aequipondium a centro recedit , eo magis gravitet , et maiori refiftentiae refpondeat ; quod etiam declarat Vitruvius Lib. x. Cap. 8. *Cum enim anfa propius caput , unde lancula pendet , ubi , ut centrum , eft conlocata , et aequipondium in alteram partem fcapi per punĉta vagando , quo longius , aut etiam ad extremum perducitur paullo , etiam pari pondere ampliffimam penfionem parem perficit per fcapi librationem , et examinationem longius a centro recedentem.*

IV. At bilanx heic expreffa ex eo genere eft , in qua non nifi aequa pondera in altera lancularum conlocata mercium gravitatem diftinguebant. Ipfa vero pondera plerumque ex globulis marmoreis conftabant, aliquando aereis fuperne , ac inferne depreffis , et numero ponderis obfignatis , quorum adfpectum producit Gruterus pag. 221. et Fabrettus Infcription. Cap. VII. pag. 523. et fequentibus.

tibus. At hoc inſtrumenti genus multis ſubiacet incommodis, quum praeſertim globuli illi marmorei libras tantummodo deſignarent, nec ſine ingenti adparatu minutiorum globulorum, per quos librae partes deſignarentur, iuſta ponderatio fieri poterat: et revera ſuperſunt adhuc ex poſtremo hoc genere minuta Veterum pondera, quorum duo ex iiſdem Schedis Donianis ſuperne inſcripta cum hac Gemma in fronte huius Diſſertationis publicamus. Notae vero interdum vel magiſtratum deſignant, vel globuli, ſeu teſſerae pondus auctoritate publica comprobatum oſtendunt.

V. In hoc vero ſingulari Monumento, novo quodam artificio adhibitis tantum maioris notae ponderibus, minutioribus vero praetermiſſis, iuſto ponderi conſultum eſt, addito in altero longurii brachio verſatili aequipondio, quod produci, ac retrahi per puncta ſoleret, ut minutias, quas graves globi non dabant, adamuſſim deſignaret. Quapropter dicendum eſt hanc ipſam, quam cernimus trutinam, ex primo, et ſecundo genere mixtam conſtare: quod diligentius notandum duximus, ut ex hiſce Antiquitatum ſtudiis non inanem voluptatem, ſed utilitatis etiam ad mechanicas artes amplificandas non modicum adferri dignoſcamus.

VI. Sub columna ingens menſa conſtituta eſt, qualem ad artis officia praeſtanda in omnibus tabernis obſervamus. Lagena ventroſa tertio menſa procerior ex uno latere adſurgit, in qua liquor aliquis mercimonio piſcium reſpondens, puta oleum, ſeu liquamen e piſcibus confectum, ſervabatur. Huc referuntur muria, et garum, quarum prima ex maceratis ſale thynnis parabatur, ut conſtat ex eodem Martiale Lib. XIII. num. 103. *Muria*.

An-

Antipolitani fateor ſum filia Thynni,
Eſſem ſi ſcombri non tibi miſſa forem.

Liquamen vero e ſcombris adparatum, garum nuncupabatur, quod inter divitum lauticias, utpote quia carius conſtabat, cenſebatur, ut ex Scaligero Lib. II. conſtat, quorum liquaminum componendorum rationem habes apud Columellam Lib. XII. Cap. *6*. Ex altero latere, ut omnibus inſtrumentis conſtaret taberna, vides ſcriniolum teres ſera concluſum, in quo pecuniae quaeſtu partae coniiciebantur. Inde culter dependet, quo ſalarius in proſcindendis piſcibus, aliiſque ſalſamentis uteretur.

VII. Maximum vero huius ſculpturae pretium facit ſtella columnae impoſita, cuius auctoritate Gemma haec adcedit inter Aſtriferas: ſed afteriſmus ita faſciola incluſus eſt, ut cognoſcamus ad caeleſtia lumina minime pertinere; ſed ad illa artificialia inſignia, quae ex ferro, aut ligno fabrefacta, tabernis praeponebantur, ut una ab altera ſecerneretur. Et revera ipſa faſciola, quae ſtellam claudit, ex altera parte ita columnae infixa eſt, ut ad inſtar verſatilis cardinis totum ſtemma ad ſingulos ventorum motus circumvolueret. Conſueviſſe Antiquos haec inſignia tabernis praefigere conſtans eſt Eruditorum opinio, praeſertim vero Nardinii Romae veteris Lib. IV. Cap. *6*. *Vt ex his venditorum, aut rerum venalium conditio deſcripta, depictaque melius e longinquo conſpici poſſet*. At non ita obvia ſunt veterum Scriptorum teſtimonia, quorum idoneo ſuffragio haec vulgaris ſententia comprobetur. Neque enim ad rem faciunt illae tabernarum nuncupationes *ad ſignum Herculis*, *ad ſignum Victoriae*, et quotquot huiuſcemodi adduci poſſent, quae non apothecam, ſed locum apothecae in-

indicant, quod insigni aliquo Simulacro publice constituto celebraretur : quemadmodum apud Gruterum, et Muratorium, atque etiam inter Donianas Inscriptiones antiquas, occurrunt nobis :

CAELATOR DE SACRA VIA
SIGILLATOR DE VIA SACRA
GENIARIVS AD AEDEM CASTORIS
LANISTA AD ARAM FVRINARVM
SAGARIVS POST AEDEM CASTORIS
SOLIARIVS AB LVCO SEMELES
VESTIARIVS DE VICO TVSCO

aliaque his similia ; neque adhuc in tota veteri Litographia mentio mihi aliqua occurrit Artificis alicuius, adiecto tabernae cognomine ab insignibus desumpto. Hoc certe caruit taberna illa libraria, quam, quum laudatus Martialis Lib. I. Ep. 3. singillatim describeret, et veluti digito indicare vellet, nihil aliud quam locum significavit :

Libertum docti Lucensis quaere Secundum
Limina post Pacis, Palladiumque Forum.

Scio dubitatum an Inscriptio Gruteriana pag. DCCCXII. num. 6. in hunc sensum trahi possit, in qua legitur :

M. OCTAVIVS PRIMIGENIVS
ALIPILVS A TRITONE.

quam penultimam vocem, est, qui ALIPTES interpretetur, perindeac si Officina, eiusque insigne Triton indicetur. At quia praeter lecturae ambiguitatem ipse Triton simulacrum aliquod inpositum indicare potuit, huic argumento ad propositum comprobandum minime fidendum est.

VIII. Vnicum testimonium ad hunc morem confirmandum suppeditant nobis, obvia tamen, ac frequentia, Figulinarum aposphragismata, in quibus peculiaria quae-

dam insignia Officinarum exsciſa obſervantur: nempe corona, palma, equus decurrens, Deorum capita, Victoria, atque his ſimilia, quorum exempla permulta exſtant apud Fabrettum Inſcr. ant. domeſt. Cap. VII. et Boldettium de antiquis Chriſtianorum Coemeteriis Lib. II. Cap. 17. quae quidem nihil aliud Eruditis important, quam ſtemmata Officinarum. Multa huiuſmodi etiam in Lucernarum ima parte conſpiciuntur, quae ab omnibus adhuc praetermiſſa, a nobis diligentiſſime adnotata ſunt; praeſertim in tertio noſtrarum domeſticarum Libro, qui iam ſub praelo in lucem prodire properat. Signa quoque eiuſdem indolis in vitreis Vaſculis impreſſa ſaepe obſervantur; praeſertim in infima eorum parte, ubi ad gratiam operi conciliandam minime conferebant; ut videre eſt apud Fabrettum Inſcr. ant. Domeſt. Cap. VII. pag. 531. in Muſeo Romano Tom. II. Tab. X. et Arrigonio in Tabulis Tom. III. Quod vero certo certius probat, haec parerga non oſcitanter adiecta fuiſſe, ſed ad operis diſtinctionem, et ad Artifices indicandos; illud profecto eſt, quod ſaepe ſaepius ſine nomine auctoris ſignata ſpectantur, praeſertim in tegulis, in quibus non hercle ad ornatum, ſed ad indicium inprimebantur. Quod ea de cauſsa fieri ſolebat, quia ea ſymbola, ceteroquin in urbibus notiſſima, ſine ulla Artificis inſcriptione Officinam indicabant. Hoc tamen minime evenire poterat, niſi Officinis ipſis, aut Tabernis, quibus inſignia illa omnibus conſpicua praefixa eſſent.

IX. Haec ſunt, VIR AMANTISSIME, quae ad rem alioquin obſcuram declarandam cumulare datum eſt. Si tamen contingat ſobrietatem hanc meam accuſari, gaudebo ſane huiuſmodi argumentum a me tam parce tentatum, prolixiori eruditione a Te, ceteriſque doctis locupletari.

DE

DE GEMMA ENCOLPIA MONSTROSA

DISSERTATIO XI.

IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS

CXCV





Inscalpt. Sardae Musei Victorii

DE GEMMA ENCOLPIA MONSTROSA

DISSERTATIO XI.

AD NOBILISSIMOS ATQVE EGREGIAE INDOLIS ADOLESCENTES

HIERONYMVM. PETRVM ANTONIVM ET ALOYSIVM DE IORDANIS

DOMINICI EQVITIS D. STEPHANI FILIOS PATRICIOS PISAVRENSES

SI qua Gens inter Pisaurenses, virtutum splendore, et summorum Virorum dignitate, ac beneficiis in Rempublicam conlatis, Patriam hanc nostram sibi obstrinxit, et quam propterea supra privatum modum spectare debeamus; vestra profecto est, ORNATISSIMI ADOLESCENTES, quae omni aevo, et belli, et pacis universis ornamentis emicuit: inter quae praeterire non possum LVCAM illum, a quo Ius municipale Pisaurensium non reformatum modo; sed et tra-

traditum eſt : ut illum iure ac merito Solonem noſtrum nuncupemus, et geminos illos noſtrae libertatis adſertores PROSPERVM, et IOANNEM FRANCISCVM, in quibus habuit Piſaurum Catones ſuos, quum libertas poſt ipſos ſteterit, nec ipſi poſt libertatem. Quod vero in genere veſtro pluris potiſſimum etiam facio, illa eſt bonarum artium promovendarum ingens ſolicitudo, quibus confovendis CAMILLVS, et IVLIVS Opera TORQVATI TASSI eorum alumni, ingentem illam Bibliothecam, tanquam peculiare veſtrum patrimonium, compararunt; quorum veſtigia ſecutus conſanguineus veſter HANNIBAL OLIVERIVS non imparem alteram, et ſuo, et amicorum commodo cumulavit, in qua potiſſimum locum obtinerent doctrinae ſuae monumenta, quae toto iam orbe celebrantur.

II. Quum vero nuper placuerit ſpectatiſſimo Parenti veſtro inſignem antiquam GEMMAM ASTRIFERAM mihi dono offerre, quae inſignem hanc GORIANAM COLLECTIONEM ornaret; ne tanti beneficii in me ſui memoria interiret, nec penitus hoc Cimelio Bibliotheca veſtra deſtituta eſſet, aeri inciſum placuit quodammodo vobis reſtituere, non iam privatim delitescens, ſed publici iuris factum, et nunquam interiturum, addito commentariolo, quo involutum eius typum aliqua ex parte explicarem.

III. Conſtat ex Heliotropio, quam Gemmam Sortilegi, Magi, Malefici, atque id genus homines, in amuletis concinnandis maxime probatam habebant. Pulcherrimis praeterea venis, et quamnitidiſſimis ſplendeſcit, et praeter modum ceterarum eleganter, atque profundius inciſa eſt. Auget praeterea eius pretium ipſa moles; quippe quae omnium quotquot hactenus ad manus habui, maxima eſt; quae etiam ſui longitudine duas fere uncias aequat.

Prae-

Praeterea ſurſum deorſum foramine pervia eſt, quo loro traiecto e collo ſuſpenſa deferretur; quae idcirco *Encolpia* a nobis dicta eſt. De Encolpiis hiſce occurret brevi in Gorianis SYMBOLIS pererudita Diſſertatio doctiſſimi Franciſci Antonii ZACHARIAE Soc. Ieſu Presbyteri, amici mei optimi; qua de re totam hanc ſpartam ei lubenter ornandam relinquo. Ea in Tom. I. ſuperius edita eſt Tab. CXCV.

IV. Eius typus idem fere eſt, qui in ceteris Abraxeis: ſpectrum triforme nobis refert, loricatum nempe hominem, ſerpentinis pedibus horribiliter inſiſtentem: in quo tamen illud ſingulare obſervatur, quod quum in ceteris fere omnibus caput monſtri gallinaceum ſit, in hoc noſtro caninum obſervatur: ut huic ſcalpturae conveniant verba Tertulliani in Apologetico: *Biforme Numen; quia et leonino, et canino capite commixtos et a crure ſerpentes, et a planta, vel pede alites Deos.* Dicerem propterea Anubin referre, niſi ipſa draconum crura ab eo Numine aliena, commentum id inter ſphragiſmata Magorum ablegarent, quibus tanta fuit cum ſerpentibus amicitia, ut ſine illis nihil unquam moliri viſi ſint. Ceterum Aegyptiis ea forma adeo inviſa fuit, ut Typhonem exitioſiſſimum Numen, et Diis ſuis adverſarium, iiſdem ſerpentibus munitum crediderint: ita enim illum nobis deſcribit Apollodorus Biblioth. Lib. I. *Huic crurum tenus immenſa humanae formae magnitudo erat, ut omnium montium cacuminibus altior eſſe videretur; cuius etiam caput ſaepenumero aſtra pertingebat. Sed et eiuſdem manus altera ad Heſperum uſque, et altera ad Orientem pertinebat: ex his centum draconum capita eminebant. In cruribus maximas viperarum ſpiras ille continebat, quarum volumina ad verticem ipſum uſque protendebantur.* Hunc vero infenſiſſimo odio proſequebantur Aegyptii,

gyptii, quod praesertim ostendit Plutarchus in Libro de Iside, et Osiride, et in altero adversus Stoicos. Graeci quoque eam formam a Diis alienam esse reputarunt, ut ad horrorem adversus Titanas conciliandum, illos finxerint serpentipedes. Ovidius Trist. IV. Eleg. 17. vers. 17.

Sphingaque, et Harpyïas, serpentipedesque Gigantas,
Centimanumque Gygen, semibovemque Virum.

Et V. Fastorum vers. 37.

Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues:
Atque ait, in magnos arma movete Deos.

V. At ii, qui prophylacticas hasce sculpturas adinvenerunt, sive interim Gnostici fuerint, sive Basilidiani, sive Ophitae, sive potius Sortilegi, seu nebulones, atque circulatores, longe aliis principiis usi sunt; nam illis, quod ceteris impium erat, augustissimum reputantes, totam dignitatem DEORVM AVERRVNCORVM, quos sibi confinxerunt, a serpentibus mutuati sunt; quod non uno in loco ostendit saepe citatus Epiphanius Haeresi 37. et Eusebius Lib. I. de Praepar. Evang. quos alibi retulimus. Credibile tamen est horum lapidum Artifices, ut eos, qui illis uterentur redderent invictos, atque constantes; illisque adversus hostium incursus, et subita infortunia praesentissimum praesidium compararent, terribiles hasce Geniorum formas excogitasse, qui quo magis horribiliores essent, maiorem quoque vim obtinerent. Puto quoque adversus venena, qua pota, qua inflicta, comparata esse, uti de Achate cum figura Serpentarii incisa tradidit concivis vester Camillus Leonardus in *Speculo Lapidum* Lib. III. Cap. 5. vir oppido doctus, nisi quod plus aequo, uti non uno in loco

iam

iam monuimus, credulus, et harum traditionum ſtudioſiſſimus.

VI. Quod vero ſaepe innuimus, ubi de hiſce ſignis ſermonem egimus, adeo inconſtans fuit mens illorum, qui iſtis ſcalpendis operam navarunt ſuam, ut vix unquam alteram invenire datum ſit, quae cum altera conveniat; nam unicuique poteſtas erat Deos Diis innectere, et illorum ornamenta confundere. Hinc ille Proteus Abraxas, omnium capax poteſtatum, et divinarum ſpecierum. Hoc vero praecipue in noſtro obſervatur, in quo canino capiti fulmen, et haſta Iovis, et Solis aſtrum cervici inminens ita inſculptum eſt, ut propemodum hic noſter ABRAXAS PANTHEVS dici poſſet; niſi forte dubitarem haec ſymbola ad Planetas referenda eſſe, quorum peculiares concurſus, ut ſaepe dictum eſt, in hiſce ſcalpendis obſervabant.

VII. Quia vero praecipue e caelo petebant fidei ſuae teſtimonia, monſtroſis hiſce, atque inſititiis divinitatibus aſtrologicas ambages admiſcebant; praeſertim vero portentoſos illos, atque potentiſſimos triginta ſex Decanos, a quibus totum Caeli gyrum poſſideri praedicabant, decem gradibus unicuique adſignatis; de quibus multa erudite Salmaſius de annis climactericis. Horum dignitatem ita effert Firmicus Lib. I. Cap. 4. Matheſ. *Sunt autem infinitae poteſtates, et licentiae, et quae fata hominum poteſtatis ſuae auctoritate deſignent.* Rurſus vero Lib. IV. Cap. 16. ubi ſingulorum barbara nomina recenſet, multa de eorum vi, atque potentia iactat; quos etiam, ut notat Chifletius in Gemmas Abraxeas Cap. 11. ſub prodigioſis, ac ſemper variis imaginibus figurabant. His igitur haec commenta triformium Numinum referenda eſſe puto: quae quia nulla certa ratione conſtabant; quippe, quae non a ſcientia

aliqua, ſeu communi hominum uſu definita erant, ſed a privatorum hominum imaginatione potiſſimum procedebant.

VIII. Characteres, quibus haec Gemma undique ſignatur, aeque ac cetera omnia, in obſcuro ſunt; non enim characteres ſunt gentis, ſed ſcientiae, cui tota dignitas erat occultari. Percurri univerſam Polygraphiam, ſed inrito labore: quamquam enim notae aliquae quorumdam populorum litteris adſimilentur; adtamen ſi illorum ope earum ſenſum tentaremus, operam profecto omnem luderemus. Quum hae Gemmae circa ſecundum aerae Chriſtianae ſaeculum, et fortaſſe deinceps, ſcalptae ſint, nulla iam in Europa exoticarum ſcripturarum veſtigia remanebant, omnia Latinis, et Graecis tantum obtinentibus. At plebeculam hiſce nugis detinebant hi characteres (quos *Magicos* iure ac merito adpellaverimus) eoſque in orbem invexerunt, quibus arcana carmina ſcriptis conſignarent; nihil forte ſignificantes, quum revera ſigna potius, quam characteres eſſe videantur, et quamdam adfinitatem habeant cum expedito illo, ac, ut ita dixerim, curſivo hieroglyphicorum genere, quo lignea ſimulacra Aegyptiis cadaveribus praefixa, ſignata aliquando adparent, quorum unum ex Muſeo Kircheriano Bonannius publicavit. An ne explicatio haec mea ipſo amuleto obſcurior eſt, ADOLESCENTES NOBILISSIMI? Sed fateor ingenuitatis meae eſſe, ut quae tuto declarari non poſſunt, et in quibus nulla rerum principia ſubſunt, unde declaratio expetatur, in ſuis ipſis tenebris relinquenda eſſe. Hoc unum tamen boni in hoc ſtudio obtinemus, ut certa ab incertis ſecernentes, ſtudia noſtra reddantur utiliora. Valete in ſpem Patriae, minime a Maioribus veſtris clariſſimis degeneres.

DE

ΙΕΡΟΘΡΟΝΟΣ

SIVE

DE THRONO

SACRO

DISSERTATIO XII.

IOANNIS BAPT. PASSERI

NOBILIS EVGVBINI

I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Inscal. Chalcedonio ex Museo Bonarrotio

IEPOΘPONOΣ

SIVE

DE THRONO SACRO

DISSERTATIO XII.

AD PRAESVLEM AMPLISSIMVM

IOANNEM BOTTARIVM

INTIMVM PONTIFICII SACELLI A SACRIS

ET VATICANAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTVM

DVDVM animo meo propoſueram, BOTTARI PRAESVL PRAECLARISSIME, aliquo obſervantiae in Te meae teſtimonio, eximiam hanc GEMMARVM ASTRIFERARVM Syllogen Gorianam ornare, quae grande nomen tuum omnibus Gemmis pretioſius, ac ſpectabilius praeferret; ut dum antiqua aetas iactabunda Scalptorum peritia ſuperbit, contingat etiam aetatem hanc noſtram ſummorum Virorum laude decorari. Mihi enim ſemper prae-

praecellens doctrina tua, atque altiſſimarum ſcientiarum peritia ob oculos obverſatur: mihi ſingularis illa benignitas tua, qua bonarum artium Cultores complecteris; atque illa principi Vrbi probatiſſima morum indoles, pietas, candor, integritas, prudentia, quibus vel ſummis Viris carus ſemper exſtitiſti, ſemper in admiratione fuerunt, atque ſumma commendatione dignae viſae ſunt. Opportuna igitur, quae religioſiſſimae ſapientiae tuae offerretur, viſa eſt tractantiuncula DE THRONO SACRO; cuius imaginem ex Muſeo Bonarrotio depromtam publicarat olim Muſarum ornamentum Gorius, egregius Muſei Florentini Explanator Tom. II. Tab. XCIII. num. 3. quamquam ingenti rerum copia diſtractus, et undique exuberante eruditionis fruge, hanc Gemmam intentatam praetermiſerit. Quia vero Chriſtianum ſymbolum continere mox ipſe cognovit, eam ad hanc ipſam *Dactyliothecam* noſtram *Chriſtianam* exornandam ſeligimus; ſed et propter aſtri inſigne e re putavimus facturos, ſi illam in hac collectione produceremus. Eſt in hoc perraro monumento ſpecimen aliquod veteris diſciplinae, quod et tuae dignitati convenit, et ingenio tuo ſublimi, ac perſpicaciſſimo non repugnat; quod ut commode a nobis inluſtretur, quatuor praecipue conſideranda veniunt, Inſcriptio, Cathedra, Stella, et Siglae. Pro Lectorum commodo heic in fronte huiuſce meae lucubrationis exhibetur eiuſdem perrarae Gemmae imago. Age nunc ſingula brevibus de more obſervationibus percurramus.

II. Inſcriptio perbrevis quidem eſt, ſed multis (quod Tibi veterum primitivae Eccleſiae Monumentorum in Roma ſubterranea doctiſſimo Interpreti exploratiſſimum) referta myſteriis, nempe ΙΧΤΘ. Hanc vero rectone, an inverſo ordine legere debeamus, profecto non liquet: quae

diffi-

difficultas ſaepe in Gemmarum inſcriptionibus nobis occurrit; omnes enim ſcalpturae, quae alicuius rei obſignandae gratia inciſae ſunt, contrario ordine in Gemma legi debent; rectum enim ſenſum nonniſi in ectypa forma, in cuius gratiam caelatae erant, nobis obiiciunt. Contra Gemmae omnes, quae in uſum teleſmatum, et amuletorum exaratae erant, ſicuti nullus earum in obſignando uſus habebatur; ita ad formam prototypi legendae ſunt: in quo ſaepe Pictores aberrarunt, qui ſine delectu Gemmas ipſas modo ad exemplar prototypi; aliquando etiam ectypi nobis delineata exhibuerunt, et inanibus propterea quaeſtionibus, ac ſpeculationibus Eruditos defatigarunt. Haec vero difficultas potiſſimum occurrit in hac Gemma, quae in utrumque uſum uſurpari poterat: nam et ſignificatione myſteriorum potuit adinſtar lypſanorum piae devotionis cauſa circumferri; ſimulque tanquam Gemma ſignatoria in anulis adhiberi. Si illam priori uſui referamus, recta in prototypo legenda eſt; ſi vero poſteriori, obverſo ordine, ut in cera impreſſa legibus Graecae ſcripturae obtemperet.

III. Animadverti tamen adeo ſubtili ingenio noſtrum id ſphragiſma ſcalptum fuiſſe, ut ex utraque parte ſi ſcripturam legas, ſenſus aptiſſimus inde educatur. Si a ſiniſtra in dexteram procedamus, vox ΙΧΤΘ nulla quidem eſt; nam ex quatuor initialibus litteris coaleſcit, et ſingulae invocationem omnium auguſtiſſimam continent, nimirum:

ΙΗΣΟΥΣ . ΧΡΙΣΤΟΣ . ΥΙΟΣ . ΘΕΟΥ.

Ieſus Chriſtus Filius Dei; eundemque ſenſum, ſi ordo etiam pervertatur, aptiſſime refert: *Dei Filius Chriſtus Ieſus*. Hac autem adclamatione, et divino oraculo, nihil opportunius re-

reperiri poterat ad Fidem Catholicam adferendam, praefertim ex quo Arrianorum erroribus divexata eſt : per quos Chriſtus, non Dei Filius, ſed Creatura, adſerebatur, Apoſtolo licet reclamante : *Non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe aequalem Deo*. Quae verba mire declaravit D. Auguſtinus contra Maximinum Arrianum, ſcribens : *Non poteſt is, qui accepit, ei qui dedit eſſe inaequalis ; quia et hoc accepit, ut aequalis. Nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit, omnia quae habet Pater, mea ſunt.*

IV. Occurrit praeterea, fortaſſe nec inveriſimilis, altera huius lemmatis ſignificatio ; ſi a dextera in ſiniſtram legatur. Reddit enim vocem ΘΤΧΙ, quae quidem nihili eſt, ſi vim litterarum expendas ; ſi vero eiuſdem ſonum, idem fere auribus reddit ac ΤΥΧΗ, *Fortuna*, quae ad dignitatem Sacri Throni manifeſtiſſime adludit ; et quidem haud illa indigitatur Fortuna, quam iuxta Iuvenalem :

Nos facimus, Fortuna, Deam, Caeloque locamus ;

ſed quam prudentes Chriſtiani ad divinam Providentiam, qua omnium fata temperantur, retulere, ut innuit Lactantius *de falſa ſapientia* Lib. III. Video praeterea aliquando Chriſtianos ab hoc nomine non abhorruiſſe, ex quo ſcimus ſimulacrum *Fortunae Vrbis* Conſtantinopoli exſtitiſſe, cuius mentio a nobis facta eſt in Notis ad antiquas Lucernas Lib. I. nihilque ipſis ad eorum ſenſum haec vox importabat, quam *Tutelam*, ſeu *Cuſtodiam :* quam ſignificationem ſi excipiamus, convenientiſſime de SACRA SEDE, in qua Antiſtes ſedebant, uſurpari poterat : quum eam dignitatem populus ſuſpiceret, atque veneraretur, quod ex ea communis cuſtodia, et Dominici Gregis fortuna promanaret.

V. At

V. At utraque lectio commode retineri potest, quum exemplis longe perspicuis sciamus consuevisse Christianos vel ad arcanam disciplinam observandam, vel ad Ethnicorum invidiam eludendam, amphibologicis symbolis, et inscriptionibus supellectilem suam ornare; quo consilio saepesaepius Piscem pro Iesu Christi imagine usurparunt, ut notavit doctissimus Boldettius de sacris Coemeteriis Lib. I. Cap. 33. et nuper peculiari Dissertatione adlatis compluribus Christianis Monumentis Vir Eruditissimus D. Anselmus Costadonius luculentius observavit; quae edita est inter Calogeriana scientifica Opuscula Tom. XLI. Quod vero ad propositum nostrum confirmandum mire conducit, est ipsa inscriptio ΙΧΘΥΣ, ab ipsis priscis Christi Fidelibus usurpata: quae quidem obvio sensu ipsum piscem notat; mystice vero, resolutis litteris in totidem initiales, illum eundem sensum reddit, ac inscriptiuncula haec nostra, nempe

ΙΗΣΟΥΣ . ΧΡΙΣΤΟΣ . ΘΕΟΥ . ΥΙΟΣ . ΣΩΤΗΡ.
IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SALVATOR.

VI. Quum igitur divina, ac venerabilis haec Inscriptio ad mysteria Christiana pertineat, minime dubitandum est, typum etiam Cathedrae in Gemma expressum ad eosdem Christianos esse referendum. Est vero symbolum Ecclesiasticae praeeminentiae: ex quo facile subspicamur, Gemmam hanc ad Episcopalem anulum ornandum deservisse. Nulli vero dubium est a primis usque temporibus sacros Antistites singulari, celsaque sede in Ecclesia fuisse decoratos, qua inter sacra mysteria peragenda uterentur. Hinc inter Constitutiones, quae vulgo Divo Clementi tribuuntur, constitutum legitur: *Episcopum praesidere debere in loco eminenti, ut tanquam vigilantissimus Pastor oves suas*

respiciat. Hinc Divi Petri Cathedra, utique iam tunc sumtuosa, et operoso artificio, atque eburneis parergis exornata, in sacris, ut fert constantissima opinio, adhibita, adhuc conspicitur, atque omnium Fidelium cultu impensissime in Vaticana Basilica colitur. Supereſt adhuc quoque Pisis marmorea, quae D. Stephani Papae et Martyris sanguine consecrata est Cathedra: cui non dissimiles Romae, et in aede D. Marci, Clementis, et Caeciliae adhuc observantur. Alteram ex his tu ipse, PRAESVL SAPIENTISSIME, nuper latentem detexisti in Basilica Sanctae Mariae Transtiberim, quam etiam eruditis observationibus inlustrasti Tom. II. Sac. Coemeterial. Sculpturarum, et Picturarum pag. 68. et 69. qua etiam Diatribam hanc in fine ornatam, a Gorio nostro rogatus, humanissime voluisti. Fortasse et antiquiores sunt Sedes, quae in sacris Cryptis ruditer ex topho excavatae, paupere quidem cultu, atque eius temporis calamitatibus respondente; sed perenni veteris disciplinae testimonio efformatae, occurrunt. Has inter eam memorare licet, quam anno MDCCXVII. apud Massam Tudertium, in Crypta observavi. Est in ea Sacelli specimen, superstite adhuc altari, exscisis hinc inde sedilibus, quae inter eminet paris artificii elatior thronus e vivo lapide exsciſus. Marmoream quoque Sedem simplicissimi, sed utique antiqui operis, ad fores antiquissimae Ecclesiae relictam vidi dudum in agro Forosempronienſi, dum eius Vrbis gererem praefecturam. Memoranda quoque est Pontificalis Sedes plane magnifica, atque operosissima, quae Ravennae in Basilica principe adhuc servatur, parergis sacris eburneis circumquaque ornata; quamvis ex his aliqua fato quodam translata alio fuerint; cuius, ut probe nosti, ectypa duo e gypso, ex archetypis ducta, servat

Go-

Gorius noſter in ſuo Muſeo. Horum alterum exhibet Beatam Virginem Mariam, Bethleem cum Sponſo ſuo Ioſepho, ut ibi profiteretur, proficiſcentem, aſello vectam, utero valde tumido praegnantem; non vero *in Aegyptum fugientem*, *abſcondito ſub veſte ſua puero Ieſu*, ut perperam, et inepte quidam edito nuper Florentiae opuſculo ſcripſit, qui etiam ſacra haec parerga, et ornamenta *Diptycha* adpellavit, et Sedi *Exarcharum* adſignavit, quum Sedis Archiepiſcoporum Ravennatum propria fuerint: alterum vero abs Te editum, atque eruditis obſervationibus inluſtratum eſt in Vol. II. praelaudati tui egregii Operis pag. XV. in quo Ieſus Chriſtus in Canae Galileae nuptiis aquam in vinum convertens exhibetur; quae quidem Archiepiſcopalis Cathedra, a Clariſſimo P. Abbate Bacchinio in Adpendice ad Pontificale Agnelli Ravennatis primum in lucem edita, mox repetita in Volumine II. Muratoriano Scriptor. Rer. Ital. pag. 215. hiſce emblematis deſtituta adhuc cernitur, quae ſiluit editor ille ſupra memoratus.

VII. Sed Cathedras omnes ad Eccleſiam Dei tuendam, et inluſtrandam antecellit marmorea Sedes Hippolythaea, e Martyrum Cryptis effoſſa, prope Eccleſiam Sancti Laurentii extra muros, in Agro Verano, quae in Vaticanam Bibliothecam, cuius Praefecturam geris, BOTTARI DOCTISSIME, inlata eſt, ubi hodie conſpicitur: in qua explicanda (nam Cycli Paſchalis ſanctiones continet) inſignium Chronologorum ingenia editis Voluminibus ſumma cum laude deſudarunt; inter quos eminet Praeſul celeberrimus Franciſcus Blanchinius, qui eiuſdem Sedis imaginem una cum S. Hippolytho in ea ſedente, utroque etiam litterato latere aereis Tabulis inciſo, exhibuit in Tomo II. Anaſtaſii Bibliothecarii Sect. XV. ubi de Sancto

Victore Papa pag. 159. et 160. et partes eius singulas explicavit in Dissertatione de Cyclo S. Hippolythi, edita in Libro de Kalendario, et Cyclo Caesaris. Cum hoc insigni documento, tum exemplo quoque nostrae Christianae Gemmae habemus Episcopales Cathedras litteratas, quae nimirum inscriptis litteris Fideles erudiebant, atque in Fide Catholicae Ecclesiae solidabant. In caelesti Beati Petri confessione *Tu es Christus Filius Dei vivi* (quam etiam exprimit haec ipsa eximia Gemma) fundata est Ecclesia Dei, ipsâque eius Sedes primatum obtinuit: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges, et Tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret!* ut ait S. Hilarius in Matth. Cap. XVI.

VIII. Sed ad huius Gemmae symbolum inlustrandum, quae facile Constantini Magni antiquitatem non excedit, testimonia sufficiant quarti Ecclesiae saeculi, quibus abunde comprobatur Episcopalium Sedium usus. Haec inter memorare iuvat D. Augustini auctoritatem Lib. XIX. de Civitate Dei Cap. 19. *Quid aliud interpretatur Episcopus nisi superinspector, maxime quum solio in Ecclesia editiore residebat, et ita cunctos respiciat, ut cunctorum oculi in ipsum respiciant.* Et ad Albinum: *Dicebam ego quibus poteram, qui nos in absidem honoratiores, et graviores exscenderant.* Et Epist. 203. ad Max. *Transit honor huius saeculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio, nec Absidiae gravatae, nec Cathedrae velatae.*

IX. Multis vero nominibus Episcopalem Sedem nuncupatam invenio. Nam aliquando *Absis*, ut constat ex D. Augustino superius laudato, nuncupata est a loco, in quo illa in Basilicis locabatur; nam proprie ΑΨΙΣ *arcum* no-

notat ; praecipue qui in pontibus ex una in alteram pilam inclinatur. Inde ob ſimilitudinem adſinuatas illas concamerationes, quae poſt altaria, atque ad illorum latera diſpoſita ſunt, dictio illa tranſlata fuit. Ex quo tamen in ipſis ſpatiis Epiſcoporum Sedes conlocari coeperunt, a loco Abſides dictae : quae etiam quia gradibus extolli conſueverunt, *gradatae* dictae ſunt. Quia vero Abſides iſtae in hemicyclum curvabantur, et ſuperne conchis ornatae erant, quarum exempla in Picturis Coemeterialibus ſaepe obſervamus ; hinc adpellatio *concharum* ad haec ſpatia tranſlata eſt, ut conſtat ex D. Paulino Epiſt. 12. ad Sever. *Quum duabus dextra, laevaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum abſis ſinuata laxetur*. *Tribuna* quoque aliquando adpellatur ; ſed eo nomine locus Sedis ad inſtar Tribunalis conſtitutae potius, quam ipſum Tribunal, notatur. *Cathedra* dicta a ΚΑΤΟΣ *Sedes*, et ΕΔΡΑ *Sponda*, ac ſi dixeris *ſpondatam* Sedem. Hoc nomine Sedes ipſa materialis, in qua olim Apoſtolorum Princeps praeſedit, et ipſa dignitas ſignificatur. Hinc Ennodius in Apologet. memorat : *Nutricem Pontificii Cathedram*, pro ſuprema Sede Apoſtolica. *Faldiſtorium* barbara vox eſt, denotatque humilem Epiſcopi Sedem, qua utitur ubi ob maioris poteſtatis reverentiam faſtigiata Sede prohibetur ; nam barbara dictio *falda* locum humilem denotat. Hinc faldae montium pro infimis earum partibus uſurpantur. *Sellam* quoque adpellarunt Veteres, quod ad inſtar curulis facta eſſet. Hinc idem Ennodius loco citato : *Ecce nunc ad geſtatoriam Sellam Apoſtolicae confeſſionis uda mittunt limina candidatos*. *Sedes* vero ſatis noto vocabulo communiter vocitatur in Pontificali, ac Ritualibus Epiſcoporum : quemadmodum et *Thronus ;* unde vox hibrida *intronizzare*, quam frequenter Scriptores Eccleſiaſtici adhibuerunt. X.

X. Inter huius noſtri THRONI parerga encarpus obſervatur, quamquam uſitatiore ornamento velis ornari ſoleret. Huiuſmodi exemplum habetur in marmoreo fragmento apud Aringhium Lib. VI. Cap. 48. pag. *666.* Romae ſubterraneae, quod inventum eſt in veteri Beatorum Martyrum Marcellini, et Petri Coemeterio, iuxta viam Lavicanam. Hinc D. Pacianus Epiſt. II. ad Symphor. *Sedem linteatam* memorat: et D. Auguſtinus dicta Epiſt. 203. *Cathedram velatam.* At haec quidem parerga, a Gentilium ornamentis ad ſacras res tranſlata ſunt; nam ut externa mittam, in fictili Lipſanotheca e Coemeterio Callifti ad me nuper delata, huiuſmodi encarpi obſervantur. In perraro quoque Pauli ſecundi nummo, in quo ſacrum Conſiſtorium expreſſum eſt, quem ego Clariſſimo Viro Sebaſtiano Paulio dono dedi, Pontificia Sedes huiuſmodi ſerto ſuperne exornatur. Suppedaneum quoque, ſive ſcabellum heic conſpiciendum ſe ſe offert: etenim, quia ſedile altius ab humo adtollebatur, ne pedibus pendulis ſtandum eſſet, ſcamnus ille ſubponi conſueverat: quod ad commoditatem ſimul, et dignitatem referebatur, de quo videndus Chimentellius.

XI. Diſcus in hac media Sede conlocatus, et inſigni aſtro ornatus, patenam facile denotat, praecipue iuxta Graecorum ritum, qui repoſita in ipſa patena Sacra Euchariſtia ſtellulam auream cruce inſignitam ſuperponunt, ne velum, quo patenam involvunt, Corpus Chriſti contingat. Nos Latini huic officio pyxidem ſubſtituimus, quam non ſtellula, ſed operculo, ipſoque crucigero, claudimus, et conopeo veli loco contegimus. Multiplex vero huius ſtellae ſignificatio eſt, atque a divinis Scripturis expetita; nam et Chriſti revelationem, ope ſtellae Magis factam, indicat,

et

et ipsum Christum, qui Sol iustitiae, et Lux mundi nuncupatur, indigitat. Eidem quoque symbolo convenientissime aptatur superposita inscriptio, quam *Iesum Christum Dei Filium* significare indicavimus. In hac quidem coniectura nos confirmat antiqua formula, qua Paterae quaedam sacrae initiari solebant, ut apud praelaudatum Sebastianum Paulium de Patena argentea Foro Cornelienſi §. VII. in qua *Iesus Christus Filius Dei* invocabatur: *Accipiet Chrisma, et discum signabit, dicens: Benedictus Iesus Christus Filius Dei, et Spiritus Sanctus:* eique formulae fortasse adludunt siglae, quas supra memoravimus. Conlocatur vero in Episcopali Sede ipsum Christi symbolum, ad indicandum eius numine Ecclesiam regi, cuius vicaria potestate Pastores nostri funguntur. Quapropter a D. Petro in Epist. prima idem Christus adpellatur Episcopus, et Pastor: *Eratis enim sicut oves errantes; sed conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum.* Ad hanc sententiam fortasse respexit, qui Christi hieroglyphicum in hac ipsa Sede Pontificali conlocavit.

XII. Siglae ad utrumque THRONI latus scriptae, nunc nobis expendendae sunt, omnium certe difficillimae; quarum utraque ex tribus elementis compacta ita est ΠΑΥ, quamquam in secunda prior littera inversa ⊏ quodammodo litteram C exprimat, iuxta consuetum Scalptorum errorem, qui plerumque litteras curvas per lineas rectas efformabant. Multa de illis dicenda forent, si hariolandi otium suppeteret; nam ΥΠΑΡ *vigilantiam*, et *veram visionem* significat: ΥΠΑΡΞΙΣ *subsistantiam*, et *vitam*: ΥΠΑΡΝΟΣ *gregem agnorum*, et mille his similia, quae convenientissime officio pastorali aptarentur; et, ut mea fert opinio, nullum monitum, nullumque documentum in hisce notis, ac lem-

lemmatibus continetur ; ſed nomen illius, in cuius gratiam Gemma ſcalpta eſt , ut ΠΑΥΛΟΣ . ΠΑΥΛΙΝΟΣ , atque alia huiuſcemodi , in quorum indagine opera omnino luditur . Ceterum quum Gemma haec Chriſtiana dubio procul ſit , atque a vulgaribus hucuſque obſervatis magnopere recedat , diligentiore ſtudio inluſtrari poſtularet ; digna profecto , quae eruditorum hominum , Tuoque inprimis ſtylo , BOTTARI PRAESVL PRAESTANTISSIME, magis magiſque expoliatur .



DE

DE GEMMIS ASTRIFERIS
VETERVM CHRISTIANORVM
DISSERTATIO XIII.

IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



DE GEMMIS ASTRIFERIS
VETERVM CHRISTIANORVM
DISSERTATIO XIII.

AD VIRVM CLARISSIMVM

HANNIBALEM DE ABBATIBVS OLIVERIVM

PATRICIVM PISAVRENSEM

NVPER quum Aedium tuarum, quas magnificentiſſime exſcitas, Veſtibulum admirabundus contemplarer, antiquis Marmoribus, qua ſcalptis, qua ſcriptis, undequaque refertum, ac loricatum; nil aliud, nec aliter mihi viſum eſt in ipſo domus faſtigio fore inſcribendum, quam MVSIS. ET. HANNIBALI. Quis enim, quum limen ſubeat, non revereatur integram Antiquitatis maieſtatem, et quodammodo eius numen undique circumfuſum; ut iam non

Veſtibulum magis, quam Adytum ſubire ſibi videatur? Eſt in illo perpetuus Patriae noſtrae adſpectus, ex omni aetate in unum coaleſcens, et in ſpem aeternitatis quodammodo conſiſtens; ubi videre datum eſt, quo vultu, qua lingua, quo charactere a remotiſſimis uſque ſaeculis per ſingulas aetates ea uſa ſit: cuius pretioſiora Monumenta undique conlecta in tuo illo Antiquitatum ſacrario conſiſtere voluiſti; ut paene incertum ſit, Patriam ne noſtram ingenio magis, quum illa illuſtras, an potius magnificentia, quum haec ſervas, demerearis. Quapropter viſum eſt mihi omnino haec ſtudia Tibi fieri debere vectigalia, ut minime a nobis aliquid in lucem proferatur, quod aliqua ſaltem ſui parte Tuo nomine non decoretur. Hoc igitur conſilio ex hac GEMMARVM ASTRIFERARVM ſerie fiſtitur Tibi pars illa, quae de GEMMIS ASTRIFERIS CHRISTIANORVM eſt: in qua id mihi propoſui, ut ex opere alioqui profano quantulacunque haec portio Religioni tribueretur; quemadmodum Antiquis in uſu fuit, ut ex menſa Diis darent ΜΙΚΡΟΝ ΚΡΕΑΣ; eademque Tibi conſtituta, et nomine tuo praefignata, VIR NOBILISSIME, in lucem prodiret.

II. GEMMAS Chriſtianorum ASTRIFERAS binas tantum ad hoc uſque tempus obſervavi; unam nempe, quam ultimo loco Collectionis noſtrae in Tabula CC. primi Voluminis publicavimus, in qua ſacro Monogrammati ſtellula praefixa eſt: alteram vero, quam nuper publicavit doctiſſimus e Praedicatorum Ordine Mamachius in ſecundo ſuo Antiquitatum Chriſtianarum Libro pag. 187. in qua inſuper columba expreſſa eſt palmae inſidens, aſteriſmo deſuper ſignato; quae quia grande ornamentum huic Collectioni noſtrae adlatura erat, huic tractationi praefixa eſt. Maxime

xime vero referret indagare, qua aetate Cimelia ista caelata sint; in quibus venerandi Nominis symbolum per compendiarias notas expressum est: ut eiusdem symboli antiquitas, et significatio a Novatoribus adeo vexata, posset magis magisque comprobari. Sed quum aetatis indicia in hisce anulis nulla deprehendantur, ereptum nobis hoc beneficium dolemus. Quod tamen utilitatis ex illis capere possumus, circa duo praecipue versatur, anulorum nempe usum apud primaevos Christianos, et symbolorum explicationem.

III. Anulos in usu fuisse apud Fideles, iam inde ab Apostolorum aetate clarissime demonstratur auctoritate B. Iacobi in Epistola Catholica Cap. II. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriae. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida; introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara ..... Nonne facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Hos vero Christianorum anulos trifariam commode dividemus. In pronubos, signatorios, atque hierarchicos; quorum usus multiplici Patrum testimonio comprobatur.

IV. Priorum igitur frequens mentio apud illos occurrit, praesertim apud Tertullianum in Apologet. Cap. VI. *Circa feminas vero illa Veterum instituta ceciderunt, quae modestiae, quae societati patrocinabantur; quum aurum nulla norat praeter unico digito, quem Sponsus oppignoraßet, pronubo anulo.* Quem rursus ab omni superstitionis nota vindicat, et Christianis feminis concedit in Libro de Idolol. Cap. XVI. *Officio vero privatarum, et communium solemnitatum eas mundas esse opinor per semetipsas; quia neque vestitus virilis,*

lis, neque anulus, aut coniunctio maritalis de alicuius Idoli honore descendit. Multa insuper anuli pronubi mentio est apud Clementem Alexandrinum Paedag. Lib. III. Cap. 2. ubi praecipue Ethnicorum improbans superstitiosa ornamenta, haec praescribit: *Neque Idolorum sunt imprimendae facies, quibus vel solum adtendere prohibitum est; sed nec ensis, nec arcus iis, qui pacem prosequuntur, nec pocula iis, qui sunt moderati, et temperantes.*

V. Signatorii anuli a Christianis usitati meminit idem egregius Doctor loco citato: neque alia de caussa feminis, quum nuberent, concessum tradidit, nisi ut ipso ad res domesticas signandas uterentur, quo curae familiari praepositas se esse cognoscerent: *Tribuit etiam feminis anulum aureum, non hercle ad ornatum; sed ad signandum ea, quae domi custodienda sunt, propter curam domesticam, quae illis incumbit. Si enim omnes a Paedagogo recte instituti essemus, supervacua essent signacula omnibus, ex aequo bonis servis, dominisque.* Quapropter sancitum est in Lege *Si quae sunt ff. famil. hercisc. -- Non licere uxori, mortuo viro, eius anulo signare, si se in aliam familiam transtulerit.* Viris quoque Christianis signatorium anulum ibidem Clemens Alexandrinus adtribuit, et una simul quomodo gestandus sit insinuat: *Sed neque est a Viris anulus in articulo deferendus (hoc enim est muliebre) sed in parvo digito, atque adeo in extrema eius parte; ita enim erit manus maxime ad operandum expedita; neque facile excidet sigillum, quod maiori articuli ligamento custoditur.*

VI. Horum vero anulorum Christianorum exemplaria non pauca in Dactyliothecis adhuc adservantur cum inscriptionibus in pala, seu signatoria lamella incisis; quandoque cum sacro Christi Monogrammate, decussatis palmulis,

lau-

laureolis, et lemmatibus, quae indubitanter Chriſtianam redolent ſanctitatem, quorum ſpecimen ſubiicio:

VIVAS IN DEO
ZEZES IN CHRISTO
SALV. DOMI. NOST. AVVG. LVC.
VIVAS IN DEO. F.
ZHCЄC.

Sub qua poſtrema voce, quae a Graecis pro fauſta precatione VIVAS uſurpata eſt, Chriſtifideles, vel ob ſignificationis analogiam, vel ſimilitudinem ſoni, ipſum IESVM ſymbolice denotarunt, ut notavit Aringhius ad pag. 265. Romae Subterraneae. Quemadmodum per piſcem, qui Graecis IXΘΥΣ eſt, ob quamdam conſonantiam vocis, quaſi compendiarie IESVM CHRISTVM adumbrarunt: quapropter idem Clemens Alexandrinus infra adducendus, inter ſigna anulis inſculpenda, piſcem numeravit; forte ad Chriſtum e Iordanis lavacro emergentem adludens, atque ita Fideles ſuos praefigurans: de quibus haec Tertullianus de Baptiſmo Cap. 1. *Nos piſciculi ſecundum Ieſum Chriſtum noſtrum in aqua naſcimur, nec aliter, quam in aqua manendo, ſalvi ſumus.* Inter hos vero ſignatorios anulos Chriſtianorum potiſſimum locum ſibi vindicat ille, quem protulit Fabrettus Inſcription. Cap. VII. num. XLVIII. pag. 536. in cuius propatulo titulo Daniel inter leones expreſſus eſt, cum epigraphe, ut videre eſt in fine huius Diſſertationis, cuius illum ipſum coronidem eſſe voluimus: qui quia Solis, et Lunae aſteriſmis inſignitus eſt, a Syntagmate hoc noſtro vel minimum abhorret.

VII. Inter praecipua vero Chriſtianorum anulorum ſigna CRVX cenſebatur, ut colligimus ex Euſebio Demonſtrat.

ſtrat. Evangel. Lib. VI. Cap. 25. *Denique poſt omnia haec quis inſpiciens, omnes quicumque in Chriſti fidem venerunt, ſalutari Signo pro anuli nota utentes, non merito obſtupeſcat, ſi audiat, tanto ante ipſum Dominum dixiſſe: „ Et venient, „ et videbunt gloriam meam, et relinquam in eis Signum.* Crucem ſubſequuntur ſymbola alia, quae et praelaudatus Clemens Alexandrinus loco citato enunciat: *Sint vobis ſignacula, Columba, Piſcis, vel Navis, quae celeri curſu a vento fertur; vel Lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel Ancora, quam inſculpebat Seleucus: et ſi ſit Piſcans aliquis, meminerit Apoſtoli, et puerorum, qui ex aqua extrahuntur.* Quibus verbis mirifice explicantur Picturae quaedam Coemeteriales, in quibus Piſcatores ſaepiſſime exhibentur, et Orpheus citharam pulſans, animalibus undequaque adcurrentibus. Miratur tamen, nec immerito, in Notis ad veteres Gemmas Pignorius heic praetermitti ab Euſebio inter cetera ſigna ſalutiferam Crucem, et Chriſti Domini Monogramma, quum haec ceteroquin obvia ſint in anulis Coemeterialibus. Sed facilis eſt huius difficultatis ſolutio, ſi tempora diſtinguamus. Ego quidem vel nullus dubito etiam aetate Euſebii, qui ſub Severo, et Antonino Principibus floruit, ſacrum Chriſti Monogramma a Fidelibus iam adinventum, ſanctiſſime intra Eccleſiae ſepta adhibitum, et Fidelium corporibus, qui in pace Chriſti obiiſſent, praeſertim vero Martyribus, fuiſſe adſignatum; ſed ea aetate nondum adeo evulgatum exſtitiſſe puto, ut propalam circumferretur: cuius indicio non modo qui illud geſtarent, proderentur; verum, et ceteri Fideles, et tota Eccleſia vexarentur. Quapropter inſtituerunt Chriſtiani, ut per ſymbola quaedam analoga Fidelium oculis Chriſtus obiiceretur, quae ſimul et fallerent Infideles, et credentium pietatem exſcitarent,

cu-

cuiusmodi sunt, quae modo ex Clemente recitavimus, quibus similia non pauca ex Christianorum Monumentis conlecta referemus in Libro *de Lucernis Christianorum*. At ubi post Constantinum sacrum *Chresimon* triumphali honore exceptum est, et militaribus labaris, et galeis Principum addi coepit; tunc passim in anulis insculptum est, et publice ostentatum, ut ex Eusebio eorum temporum Scriptore supra demonstravimus.

VIII. Anulos hierarchicos omni aevo cognovit Ecclesia, quae ut mysticum coniugium inter ipsam, et Antistites suos denotaret, sive in signum auctoritatis, seu mavis custodiae sacrarum Rerum, et Sacramentorum, quae Episcopis consignantur, tanquam tutoribus, ac dispensatoribus, anulum, peculiari ritu benedictum, ipsis gestandum praescripsit; ut observare est non uno in loco in Caerimoniali Episcoporum. Hunc quidem in manus dexterae indice, qui *silentiarius* adpellatur, gestare deberent; ita enim significare voluerunt antiquae Sanctiones secretum ab ipsis servandum esse, et divina altiora mysteria minime propalanda; ne qui magis curiosi, quam pii sunt, futilibus quaestionibus, unde haereses exortae sunt, Ecclesiam perturbent: ut colligitur ex Durando de Ritibus Ecclesiae Lib. XI. Cap. 9. Dum vero Episcopus Pontificales solemnes caeremonias exercet, anulum a silentiario digito in anularem ex vetere instituto transferre debet, ut probat idem Durandus loco citato. Quia vero anulos hosce, ut praemissimus, benedictos, a Fidelibus deosculari solitum est; usus apud Veteres inolevit, ut mole insignes conficerentur, et pompae sacrae magis apti, quam usui familiari, ut ita magis conspicui essent: cuiusmodi in Ecclesiae Vrbevetanae Hierotheca adservatos vidi: quibus similes

unus, alterve in tuo, CLARISSIME OLIVERI, et alii non pauci in Eruditorum Muſeis oſtenduntur, plerumque e ſacris Coemeteriis extracti, qui quaternas uncias aliquando excedunt; quos quidem ab ingenti mole non in alium uſum conflatos putaverim, quam quod in ſignum Hierarchicae dignitatis a ſacris Antiſtitibus inter ſacra geſtarentur.

IX. Sed iam inſculpta ſigna in adlato a nobis ſacro anulo percurramus. Sacrum Chriſti Monogramma ex X, et P initialibus eiuſdem ſacri Nominis, ſi Graece ſcribatur, compactum eſt. Cur vero ex Graeca potius, quam Latina lingua coaluerit, diſquirunt Eruditi. Sed ex hoc uno indicio eius antiquitas in Eccleſia deprehenditur. Quum enim illa primum in Oriente conſtiterit, ubi Graeca lingua potiſſimum frequentabatur; inductum eſt, ut per Graeca elementa venerandum hoc Symbolum conſcriberetur; unde exceptum Eccleſia Latina religioſe cuſtodivit; ſed placuit aliquando Fidelibus illud nonnihil immutare, ut ex Chriſtianis Muſei noſtri Inſcriptionibus, et Lucernis liquido conſtat; nam aliquando litterae P lineam tranſverſam addiderunt, ut puram Crucem redderent in hanc formam ☧. Quandoque etiam litteram P inverſam deſcripſerunt ad huius exemplar ☩, quod myſterio non caret, ut in Notis ad eaſdem Lucernas aliquando manifeſtabimus. Sed ipſa quoque littera X, haſta nempe recta, et alia tranſverſa non obſcure reddunt ipſam Crucem, licet oblique diſpoſitam: cui venerabili ſigno placuit aliquando alteram litteram X ſuperponere; ex quo nexus coaluit litterae P. X. in hanc ipſam formam ⌘, ut in antiquo Coemeteriali Marmore apud nos cuſtodito obſervatur: quam for-

formam ita ingenioſe deſcripſit S. Paulinus Nolanus Epiſcopus in Natali XI. de S. Felice verſ. 608.

Ante tamen, quia res haec poſtulat, ipſius inſtar
Enarrabo Crucis, qualem et pictura biformem
Pingere conſuevit, baculo vel ſtante bicornem;
Vel per quinque tribus diſpanſam cornua virgis.

Haec vero *quinque*, et *tria* cornua, hoc eſt octo radii, non aliter conflantur, quam ſi ſalutiferae Cruci ipſa X, nomen CHRISTI referens, adiiciatur.

X. Sed induſtria Fidelium aliquando hanc litteram X non ex lineis, ſed ex duabus decuſſatis palmis compoſuit, ut elementum ſimul conflaret, et Martyrum ſymbolum exhiberet, ad imitationem illorum, qui a B. Ioanne in Apocalypſi deſcribuntur: *Stantes ante thronum, et in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, et palmae in manibus eorum.* Vnde allegoria haec adeo in Eccleſia obtinuit, ut quum Acta Martyrum deſcriberentur, haec formula adhiberi ſoleret: *perveniſſe ad palmam martyrii*: quemadmodum enim iis, qui legitime certaſſent, palmae praemium tribuebatur; ita par erat, ut Fidelibus, qui Fidei agonem conſummaſſent, idem ornamentum largiretur: quapropter Divus Gregorius in Ezechielem ita locutus eſt: *Quid per palmas, niſi praemia victoriae deſignantur? ipſae quoque dari vincentibus ſolent; unde de his quoque, qui in certamine martyrii antiquum hoſtem vicerunt, et iam victores in patria gaudebant, ſcriptum eſt: Et palmae in manibus eorum.*

XI. Corona ſacro Monogrammati ſaepeſaepius circumpoſita cernitur in iiſdem Marmoribus, et Lucernis, qua indicatur, Chriſtum ipſum Regem Martyrum, atque Anteſignanum, mortem a Fidelibus ſuis pro ſuo nomine

conſtanter ſubeundam, primum omnium ſuperaſſe, ac deviciſſe. Hoc vero coronae ornamentum eidem Monogrammati communius adtributum eſt; ex quo Chriſtiani Principes militaribus ſignis illud praefixerunt, ut praeſertim victoriae omen portenderet. Huius vero exemplar nitidiſſimum adſervamus in Lucerna, in qua labarum repraeſentatur a militibus cuſtoditum, in cuius vertice *Chreſimon* laureae incluſum conſpicitur, addito lemmate EN TOTTΩ NIKA. IN HOC VINCE: quam Lucernam ex Muſeo meo delineatam vulgavit, et multis laudibus extulit Vir de Eccleſiaſtica Antiquitate adprime meritus, Dominicus Georgius in eruditiſſima Diſſertatione DE MONOGRAMMATE CHRISTI, ubi ad illam inluſtrandam, luculentiſſimum Euſebii locum ex eius Hiſtoriae Lib. I. Cap. 23. exſcripſit, ita loquentis: *Quum iam*, inquit, *Sol ad medium Caelum adſcendiſſet, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit, ſe ſignum Crucis, ex lucis ſplendore figuratum in ipſo Caelo, Soli inminens, manifeſte oculis adſpexiſſe, inque eo inſcriptionem conſignatam, quae haec verba complectebatur:* EN TOTTΩ NIKA. IN HOC VINCE. In eius vero Crucis memoriam inſtituit Conſtantinus, ut ſacrum Monogramma, tanquam Romanae militiae potiſſimum ſignum in labaro eſſet; quod ita enarrat Cap. XXXI. *Haſtile oblongum erat, erectumque auro undique obductum fuit; quod cornu habuit tranſverſum, ad formam Crucis conſtructum: ſupra in faſtigio eius Salvatoris nota inſcripta, duobus ſolum expreſſa elementis, ideſt duobus primis litteris Graecis nominis Chriſti. Erat* P *in medio litterae* X *curioſe, et ſubtiliter inſerta, quae totum Chriſti Nomen perſpicue ſignificarunt.* Ex his tamen facile liquet coronam in Chriſtianorum Monumentis non ſemper Martyrium praenotare, ex quo ad victoriam

prae-

praefigurandam divino Nomini coniuncta eſt ; quum propterea in eorum Monumentis ſepulcralibus , in quibus obvia eſt , nobis occurrit , profeſſionem potius militarem , quam genus mortis ſignificet , niſi alia ſigna concurrant , quae pro indubitato Martyrii indicio recepta ſint ; ut communiter tradiderunt , qui arduum hoc argumentum diligenti labore pertractarunt .

XII. Quod adhuc viderim , Eccleſiaſticae Antiquitatis Inluſtratores nondum ſtellam inter Chriſtianorum hieroglyphica recenſuerunt ; quanquam multiplex ratio ſuadeat , ut inter illa numeretur ; nam aliquando occurrit in Chriſtianorum Epithaphiis , ut in hoc apud Fabrettum Cap. VIII. num. 43.



et apud Muratorium pag. MCMI.

rur-

rurſus in Marmore Gruteriano pag. ML. num. 6. et adcuratius ex Schedis Donianis :



Stella vero , ſive Solis aſteriſmus , in Chriſtianorum Sepulchris mirifice aptatur dormitioni Fidelium , per quam tranſlati creduntur in illam civitatem , in qua iuxta Apocalypſim Cap. VII. *non eſurient , neque ſitient amplius , neque cadet ſuper illos Sol* . Ipſe vero Ieſus Chriſtus aptiſſime ſub hieroglyphico Solis praefiguratur ; quia quum primum gloriam ſuam Diſcipulis manifeſtavit , *reſplenduit facies eius ſicut Sol :* et de ipſo vaticinatus eſt David , quum cecinit : *In Sole poſuit tabernaculum ſuum* . In multis quoque aliis divinae Scripturae locis ſub hac ſpecioſa allegoria nobis exhibetur , ex cuius beata viſione *etiam Iuſti fulgebunt ſicut Sol* , ut ait Matthaeus , gloriam capitis ſui participantes , qui *Sol iuſtitiae* nuncupatur . Forte etiam ſtella iſta ad Magorum adorationem adludit , quae in plurimis Monumentis inſculpta , inſigni fidere exornatur ; quemadmodum et ab Iuvenco deſcribitur Lib. I. de Evangelica Hiſtoria :

Ecce ,

Ecce, die medio, ſtellam praecurrere cernunt
Sulcantem flammis auras, quae in culmine ſummo
Reſtitit, et Pueri luſtrata habitacula monſtrat.

XIII. Quae ſupra de Chriſtianorum ſignaculis dicta ſunt, columbam inter hieroglyphica Chriſtianorum indubitanter adcenſent: immo inter illa facile obtinet principatum; nam Sancti Spiritus ſimulacrum, et imago habita eſt, ex quo ille ſub Columbae ſpecie deſcendit in Iordanem. Praeterea proponitur a Ieſu Chriſto tanquam exemplar religioſae ſimplicitatis, ait enim: *Eſtote prudentes ſicut Serpentes, et ſimplices ſicut Columbae*. Matthaei 10. 16. Hinc inolevit apud Chriſtianos, ut animae Fidelium ſolutae corpore ſub ſpecie columbarum figurarentur. Inſigne, ut cetera omittam, huius inſtituti teſtimonium eruitur ex anaglypho ingentis marmorei Sarcophagi, qui Collectioni Marmorum Piſaurenſium praefixus eſt, in quo Matrona orantis ſpecie cum nata inſculpta eſt: hinc inde vero columellis inſtant gemini Genioli, qui utriuſque animam ſub ſpecie Columbae efformatam inter ulnas amplexantur. Iamdiu alteram partem huius Operis, ORNATISSIME HANNIBAL, litterarius orbis effuſis votis expoſtulat; omnium vero maxime Patria noſtra, quae ingens gloriae incrementum adhuc experta, hoc amplius expectat, ut non modo veterum divitiarum ſupra ceteras opulentiſſima videatur, verum et ingeniorum, a quibus eae inluſtrentur.

XIV. Quum igitur Columbae Fidelium imagines haberentur, uſu receptum eſt, ut Apoſtoli, et tota quoque Eccleſia ſub eadem imagine figuraretur. Itaque quum urgentibus Tyrannorum perſecutionibus in antris deliteſceret, illud frequenter uſurpatum eſt ex Canticis Canticorum: *Columba mea*

mea in foraminibus petrae, in caverna macerie. Hoc vero manifeſtiſſime indicant palmae, quas Columbae vel unguibus praehenſant, ut in hac Gemma; vel roſtro continent, ut in mei Marmoris Coemeterialis fragmento, quod eſt inter Marmora Piſaurenſia 167. Solebant praeterea Fideles Sacram Euchariſtiam in Columbis quibuſdam argenteis, ſeu aureis ſuper Altaria pendentibus conſervare, ut ex Baronio conſtat ad annum LVII. num. 152. Qui mos in aliquibus Galliae Eccleſiis adhuc obtinet, ut refert Macrius in voce *Ciborium*.

XV. In Titulis vero ſepulcralibus, in quibus Columba frequentiſſime occurrit, aliquando ſymbolum *pacis* importat, in qua Fideles obierunt, ducta ſignificatione a Geneſeos Cap. VIII. ubi Columba ex arca demiſſa iterum rediit *portans ramum olivae virentibus foliis in ore ſuo*: ex quo Noë ſenſit pacem terrarum orbi a Deo elargitam. Non obſcure praeterea ſub hoc ſigno ipſa animarum reſurrectio indicatur; nam incluſa olim in arca, et veluti conſepulta ad novam deinde, et laetiorem vitam educta eſt, quam illa rediens hominibus nunciavit. Quum propterea tam multiplex cauſa ſubeſſet, cur Columba Chriſtianis conveniret, mirandum non eſt, adeo frequenter ab illis fuiſſe uſurpatam in Ciboriis, in Lucernis, in Picturis, in Crucibus, in Cathedris Epiſcopalibus, praecipue vero in Titulis ſepulcralibus, ut paene videatur ipſos Chriſtianos id unum ornamentum ceteris omnibus praetuliſſe.

XVI. Dum haec excuderentur, peropportune Gorius noſter aereum Sigillum veterum Chriſtianorum, et quidem ASTRIFERVM, Muſeo ſuo adiecit, Florentiae inventum ab eruditiſſimo Dominico Maria Mannio, quod ipſi cum alio Cimelio, quod optabat, conmutavit. Figuram praefert

ſo-

ſoleae , vel crepidae ſiniſtri pedis : cuius in poſtica parte anulus ex aere erat , ut praeferri, et adtrectari poſſet, qui fractus ad nos pervenit .

In eo ſculptae ſunt duae Columbae ex adverſo ſtantes, earumque in medio vitis palmes cum uvis. Inminent dorſo earundem Columbarum ſidera hinc inde diſpoſita ; quae dubio procul immortalitatem , et caeleſtem Iuſtorum patriam deſignant . Nam uvae cum botro , quia in unum ex multis acinis confluunt , Fidelium unitatem ex Divo Auguſtino deſignant , et divinorum Sacramentorum diſpenſationem , et communionem , mutuamque charitatem : quo ſymbolo in ſacris ſepulcralibus Monumentis , et in Coemeterialibus Picturis nil frequentius : in quibus et doliola vino plena ſculpta , ac picta cernuntur , de quibus plura Cl. Boldettius Lib. I. Cap. XXXIII. pag. 164. et Celeberrimus Praeſul Bottarius. Idem Boldettius Lib. II. Cap. XIV. pag. 506. et 507. adfert tria ex aere Sigilla Chriſtianorum , quorum ex his alterum pedis ſoleam ; alterum totum pedem exprimit cum epigraphe ; ſed ſacris hiſce ſymbolis carent : quare huic Goriano Sigillo in pretio habendo et raritas adcedit , et myſteriorum , quae refert, peculiaris nota , ac deſignatio . Pede vero , quum ſupellectilem Antiqui ſignarent, rerum cum mobilium , tum immobilium poſſeſſio declarabatur ex Lege , ut idem Boldettius ibidem obſervat , ad quem Lectorem mittimus .

XVII. Habes, VIR DOCTISSIME, quae Chriſtianorum anulis, eorumque ſymbolis notanda mihi occurrerunt. Optandum ſane foret, ut veterum Fidelium Gemmae, quae in Eruditorum Muſeis, praeſertim Romae, vel ſervantur, vel deliteſcunt, ſedulo ſtudio conquiſitae in unum veluti corpus coaleſcerent, ad quod facili negocio recurrerent ſacrarum Antiquitatum ſtudioſi ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam confirmandam, atque exornandam; nam, ut bene noſti, haec ſphragiſmata, quo minus artificio, et nitore commendantur, eo magis ſignificatione iuvant, et ipſa ſimplicitate delectant. Te interim publico Patriae, et Litterarum bono valere cupio, ut maioribus ſemper ingenii tui monimentis cum editis, tum edendis aetas noſtra ornetur.

DE

DE SORTIBVS
CHRISTIANORVM
DISSERTATIO XIV.

IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS



Ex Sarda huius magnitudinis utraquae tessera

DE SORTIBVS CHRISTIANORVM

DISSERTATIO XIV.

AD VIRVM CLARISSIMVM

FRANCISCVM VICTORIVM

SAC. MILIT. ORD. D. STEPHANI PP. ET M.

EQVITEM COMMENDATARIVM

SPLENDIDISSIMVM

ILLVSTRATIS iam paene omnium Gazis, evolutisque veterum Gemmarum Thesauris, ut quotquot ASTRIFERAE essent ad hunc adparatum amplificandum convenirent; ac interim festinante fervido prelo, ut quantocius Collectio haec optatam lucem nanciscetur; ecce, quod saepe nobis adcidit, veterum lapillorum Mercator ad nos divertit, qui Romam primum, dein Neapolim se concessurum dictitabat. Ingens apud illum scalptarum Gemmarum copia cera-

ceratis thecis incluſa , quarum nonnullae artificio , plurimae eruditione praeſtabant. Omnes vero Proceri cuidam ſe promiſiſſe ſponſione facta quum diceret, ſpem omnem mihi ademit , ut aliquas cariores pretio mecum commutaret ; nam (quod hiſce ſycophantis ſolemne eſt) omnia magni faciendo , imperitiores quaerebat , vel nobis opulentiores, ut uberiorem ex his quaeſtum ſibi compararet .

Quod vero in ea collectione magis probaveram , fuere geminae teſſerae , ſeu mavis tabellae ex Sarda exſcalptae , pares quidem ; niſi quod altera ſuperne corrupta , mediam fere ſui partem amiſerat . Earum forma fere quadrata erat , retuſis tamen leniter angulis , geminiſque ſuperficiebus mediocriter turgeſcentibus . Vtraque in antica Crucem praeſeferebat , ea plane forma in veterum Chriſtianorum Monumentis uſitatiſſima , quae ex quatuor *gammadiis* , totidem Crucis latera componentibus conſtat ; quae forma maxime probata eſt , quod ſalutiferi Signi imaginem infidelibus occultaret ; Fidelibus vero ſupernae Trinitatis venerationem ingereret : qua littera Γ , quae Graecis ternarium notat, continetur . Hinc factum eſt, ut in Coemeterialium Picturarum veſtibus ornamenta, et limbi ex hiſce gammadiis conſtantes ſaepe inveniantur, de quibus erudite differit Macrius. Cruci ſtella praefixa erat alteri integriori ; cuius ſignificationem in Chriſtianorum Gemmis non uno in loco indicavimus .

Obverſa teſſerarum pars ſingulis litteris ſignata erat, hoc eſt B , et Φ , ſed ab imperita , ut videbatur , manu exaratis ; quippe ex rectis lineis conſtabant : quod Artificum inſcitiae retulimus , ubi de Magicis Gemmis mentionem fecimus , qui trepidante manu ſtylum circumducere ad lineas curvas exprimendas ignorabant . Rurſus al-

altera ex hiſce tabellis, ſeu mavis teſſeris, ſuperne geminis foraminibus pervia erat, per quae traiecto filo vel ſolitaria ſuppendi poſſet, vel una cum reliqua ſerie, ſi quid valet coniectura mea, conligari. Qui unicam vidiſſet, putaſſet fortaſſe in uſum ſacri amuleti confectam eſſe, ut ad pectus ſuſpenſa circumferretur; quod ſtella Chriſti ſymbolum, et Crux ſalutaris ſuggerebat: occulta interim manente poſterioris elementi poteſtate, per quod vel nomen Artificis, vel eius, qui Gemmam ſcalpendam curaverat, vel alicuius Martyris nomen, cui ſe ſe ille devoviſſet, vel aliqua divinarum Scripturarum ſententia indicari facile poterat; vel quidquid demum magis ingenio libuiſſet: vix enim eſt, quod de unica litterula certi proferri poſſit. Harum teſſerarum ſchemata, utraque facie expreſſa, in fronte huiuſce Diſſertationis Eruditorum oculis ſpectanda propoſuimus.

Quum vero non unicam eſſe animadvertiſſem, ſed comparem habere, et, quod ſupra eſt, littera in altera variaret; in mentem ſubiit tabellas haſce integro olim numero litteras Graecas aequaſſe, ideoque perforatas fuiſſe, ut traducto filo una ſimul adſervarentur in uſum, in quem ſcalptae fuiſſent. Quis interim uſus ille fuerit, nemo facile adfirmaverit. Quia vero in obſcuris hiſce rebus latiſſimus coniecturae campus patet; haud inveriſimile putavi, teſſeras iſtas ad uſum *Sortium* trahendarum fuiſſe concinnatas, idque ab ipſis Chriſtianis factum: quod eo facilius mihi perſuaſum eſt, ex quo ſciebam quaedam ſortium genera ex teſſeris litteratis conſtitiſſe. Ne enim, quoties inter duos pluresve ſortiendum foret, nomina chartulis, ſeu membranis inſcriberent, quae forma fraudibus patet; et ne calculis, aut laterculis idem officium laborioſe

rioſe committeretur ; obvia ſatis erat forma ſortiendi ope conſtantium , atque perennium teſſerarum , e quibus illae conmiſcendae ſeligerentur , in quibus ſingulorum nominum initiales litterae expreſſae eſſent .

At difficultatem exſcitabat ipſa lapillorum materia , atque artificium operoſum ; quod facile demonſtrabat tabellas haſce non in unam , vel alteram opportunitatem repentinam fuiſſe exſculptas ; quin immo , quod inſigni aliquo in loco , ubi omnibus uſui eſſent , ſervarentur . Quis enim privatus hanc ſeriem Gemmarum comparaſſet , Chriſtianus praeſertim , ut ſortitionibus deſervirent , quarum non adeo obvius uſus foret ? Praeterea nec in publico loco , minuſque in ſacro ſupellectilem hanc ſervari potuiſſe dubitabam , publico omnium commodo expoſitam ; quemadmodum pondera in ponderario , aut in tabernis proſtabant . Haec tamen tanti momenti apud me non ſunt quominus a coniectura recedam , quoad uſque probabilior occurrat ; nam et ſaepe in Eccleſiis habitus eſt recurſus ad ſortes , immo earum aliquae non niſi ſortito Praeſules eligebant . Quapropter quum frequens apud illas ſortium uſus eſſet , inveriſimile non eſt ſtabilem hanc ſeriem teſſerarum adparaſſe veteres Chriſtianos inter cetera ſacra inſtrumenta conſervandam , in Aegypto praeſertim , ubi horunce lapidum ſcalpendorum artificium florebat , ac proinde minus ſumtuoſum . Efferbuit praeterea etiam Chriſtianis ſaeculis ſpectaculorum voluptas , et praecipue Circenſium : quod facile perſuadet Praetores , ac Magiſtratus politiorem hanc teſſerarum formam ſcalpendam curaſſe , ut ex earum ſortitione loca in carceribus deſignarentur ; praecipue cum Graecae litterae numerorum loco ſtarent , ut quam quiſque litteram ex urna duxiſſet , locum in ſpectaculis nanciſceretur .

Quae

Quae quum mihi verosimilia visa sint, et multa hac occasione DE CHRISTIANORVM SORTIBVS prae oculis occurrerint; statui circa id argumentum tractatiunculam scribere, qua novum hoc monumenti genus, ceteraque similia, si quando in lucem prodeant (prodiere fortasse, et aliquando, quamquam nec artificio spectabiles, neque ullo intellectu commendatae, nulloque proinde in pretio habitae, pessum ierunt) lubentius excipiantur, et studiosius conserventur: atque ille interim, ad cuius manus fortasse iam pervenerunt, intelligat, quanto in pretio habenda sint ea Cimelia, quae adhuc peregrina huic disputationi occasionem praebuerunt. Haec vero animo volventibus nobis facile occurristi, VICTORI PRAESTANTISSIME, quippe qui hereditario quodam iure profanas simul, atque sacras Antiquitates domi habes familiares. Est apud Te antiquorum Monumentorum eximia collectio, cuius ipse non modo amplificator, et Custos existis; verum etiam luculentissimus Inlustrator: nec enim est in omni divinarum, humanarumque litterarum ambitu pars aliqua, in qua magnopere versatus non sis: illud vero, quo religionem simul, atque eruditionem Tibi devinxisti, cura est illa tua, qua tot veneranda veterum Christianorum Monumenta e sacris Coemeteriis effossa non modo providentissime excepisti; sed et aereis tabulis confestim expressa, ac doctissimis tuis Notis inlustrata publici iuris esse curasti: quod quidem beneficium, quo sacras Antiquitates Tibi demereris, eo insignius est, quo sacra haec Cimelia miserrime in dies corrumpuntur; ut paene e litteraria Republica sit VICTORIORVM FAMILIAM nobilissimam quam diutissime incolumem Romae esse, ut haec studia perpetuis subsidiis amplificentur.

In hoc vero argumento ordinem hunc servandum duximus.

§. I. *De Sortium origine, auctoritate, et progreſſu, praeſertim apud Hebraeos diſſerimus, a quibus in Chriſtianos illarum conſuetudo profecta eſt.*

§. II. *Sortium genera, prout a Chriſtianis conſiderantur, illarumque inſtitiam perſcrutamur, conditioneſque in illis adhibendas.*

§. III. *Sortium praxim inquirimus, variaque inſtrumenta, quibus Antiqui ad id propoſitum uſi ſunt.*

§. IV. *Modos ducendarum Sortium inveſtigamus.*

§. V. *De Sortibus Apoſtolicis tractamus.*

§. I.

SOrtem adpellmus rei dubiae iudicium fortuito eventui conmiſſum; ſeu, ut explicat D. Auguſtinus in Pſalm. 30. Enarrat. III. num. 13. *Sors res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem.* Vbi enim mens in ancipiti eſt, nec ratio occurrit, cur in alterutram partem inclinet, ſaepe recurrit ea ad ſortem, cuius arbitratu difficultas dirimatur. Hanc Fortunae filiam adpellat Euripides apud Plutarchum de Silent. Orac.

Fortunae proles Sors tulit ſententiam:

quamquam apud Romanos Sors, et Fors, quae et Fortuna, promiſcua ſignificatione uſurpentur; nihilque per ea vocabula intelligatur, niſi caſus inconſultus, qui praeter hominum conſilium evenire ſolet.

Quia vero inſito quodam rationis inſtinctu omnes fere Gentes crediderunt caſus hoſce a ſuperna aliqua mente regi, ac ordinari, quam Ethnici Fortunae Numen nuncuparunt, nos divinam Providentiam; hinc factum eſt, ut quoties rem caſui commendamus, non aliter nobiſcum in-

intelligimus, quam ſi rem nobis dubiam, nullaque ratione humana diſſolvendam divino iudicio remittamus : quapropter antiqua conſuetudine introductum eſt, ut hereditatum partes, quando heredes diſſentiunt, huiuſcemodi iudicio adſignentur. Hinc vocabulum *ſortis* tranſlatum eſt ad ſignificandam hominum conditionem, ſive ſtatum; qua ſignificatione ſaepe ſumitur cum in divinis Scripturis, tum etiam apud profanos Scriptores. Hinc Horatius Satyr. 1.

Quid ſit Maecenas, ut nemo quam ſibi ſortem,
Seu ratio dederit, ſeu Sors obiecerit, illa
Contentus vivat. ———————

Antiquum uſum ſortium minime a Fabulis deduceremus, niſi in illis permagna quaedam Hiſtoriae indicia deprehenderentur. Ferebatur itaque inter Iovem, Neptunum, et Ditem, diviſo rerum imperio, non aliter de partium addictione conventum eſſe, quam iactis ſortibus, ut quiſque illam haberet, quam caſus ſibi obtuliſſet; ut recitat Apollodorus Biblioth. Lib. 1. *Quo facto* (Iupiter, Neptunus, et Pluto) *rerum imperium ſorte inter ſe partiuntur: ac Iovi quidem Regnum Caeli, Neptuno Maris, et Plutoni Inferorum loca obtigerunt.* Quod etiam auctoritate Homeri Iliad. O. verſ. 191. confirmatur :

Tres enim ex Saturno ſumus Fratres, quos peperit Rhea;
Iupiter, et ego; tertius autem Pluto inferis imperans.
Trifariam autem omnia diviſa: quiſque vero nactus eſt honorem;
Quippe ego ſortitus ſum canum Mare habitare ſemper,
Motis ſortibus: Pluto autem ſortitus eſt caliginem obſcuram:
Iupiter vero ſortitus eſt Caelum latum in aethere, et nubibus:
Terra autem adhuc communis omnibus, et altus Olympus.

In huius quidem Fabulae involucro putarunt Viri graviſſimi Hiſtoriam illam adumbrari de diviſo orbis dominio inter Sem, Cham, et Iapheth: quod ſorte ne, an alio conſilio factum ſit, ignoramus; quum Scriptura Geneſ. x. de diviſione tantum mentionem faciat: *Ab his diviſae ſunt inſulae gentium:* tum *ab his diviſae ſunt gentes in terra;* inveriſimile vero non eſt diviſionem illam invidiae plenam, et unde tot bella exoriri debebant, ope ſortium factam fuiſſe.

Apud Hebraeos certe frequentiſſimus exſtitit ſortium uſus; cuius primum indubitatum exemplum eruitur ex Geneſ. Cap. XXIV. ubi ſervus ille Abrahae in Meſopotamiam miſſus, ut Iſaac domini ſui filio uxorem quaereret, negocium difficile, homo regionis ignarus, ſorti committendum reputavit, ita ſecum ſtatuens: *Ecce ego ſto prope fontem aquae, et filiae habitatorum huius civitatis egrediuntur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, ut bibam; et illa reſponderit, bibe, quin et camelis dabo potum: ipſa eſt, quam praeparaſti ſervo tuo Iſaac.* Sortium quoque iudicio, Deo ita imperante, res illa maximi momenti, et periculi plena demandata eſt, qua Terra Chanaan inter populum dividenda erat, ut Numer. XXVI. 55. *Ita dumtaxat, ut ſors terram Tribubus dividat, et Familiis. Quidquid ſorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.* Nec minoris ponderis electio Regis Iſraël futura erat, quae per ſortes deſignata eſt, primo Regum X. 20. *Et cecidit ſors Tribus Beniamin; et applicuit Tribum Beniamin, et cognationes eius, et cecidit cognatio Metri, et pervenit uſque ad Saul filium Cis.* Sacerdotibus quoque et Levitis ſortito urbes addictae ſunt, primo Paralip. VI. 54. et pari lege ſingulis claſſibus Sacerdotum ordo, quo in templum miniſtrarent, diſtributus eſt, ex eodem Libro

Cap.

Cap. XXIV. et XXV. In ſacris quoque expiatoriis, de duobus hircis coram Domino oblatis, ſors dirimere debebat, uter mactandus, an dimittendus, Levitici XVI. 8. Rurſus in bello, parta victoria, ſortito praeda dividenda erat, ut Abdiae I. 11. et Nahum III. 10. In occultis quoque delictis ſaepe reus ſortitione detectus eſt, ut Ionathas Regum I. 14. et Achan Ioſue VII. 18. Zacharias quoque Praecurſoris parens memoratur, cui ſorte obtigit, ut incenſum offerret quum Angelum in occurſum habuit, ut Lucae I. 9.

Quod pie Hebraei praeſtiterunt, ſuperſtitioſe Ethnici uſurparunt. De Phoenicibus exemplum habemus in Ionae prophetia. De Graecis auctor eſt Pauſanias a nobis inferius adlegandus. Lycias ſortes ſaepe memorant Scriptores, inter quos Sidonius Car. IV. Germanicas vero Tacitus in Libello de Mor. Germanor. et Caeſar de bello Gall. Lib. I. Chaldaeos maxime ſortibus detuliſſe evincitur e Libro Eſther III. et VII. et ex Ezechiele XXI. 21. Apud Lacedaemonios uſum ſortium fuiſſe oſtendit Lucianus in Hemotimo: apud Syracuſanos vero Cicero Verrina IV. apud Italos tandem tam obviae fuerunt, ut infra demonſtrabimus, ut ex his coniicere poſſimus, nullum fuiſſe ex celebrioribus Templis, in quibus fatidicae ſortes non exſtarent. Apud Indos quoque adhuc in uſu eſſe oſtendit in ſuis Epiſtolis earum Gentium Apoſtolus Franciſcus Xaverius, qui ſe aliquando ex illis in maximo vitae periculo fuiſſe teſtatur, ſortibus nempe pronunciantibus infortunia quaedam ex eius cauſa contigiſſe. Sed hae Gentilium ſortes, nec ſuperſtitione caruerunt, et plerumque praeſtigiis redundarunt.

Minus hae damnandae ſunt, quas Chriſtiani adhibuere, et quae aliquando, Deo ipſo adnuente, datae ſunt. Talis propemodum fuit, qua Mathias in Coetum Apaſtolicum coo-

cooptatus est, ut ex Actis Apostolorum Cap. 1. *Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, et Mathiam* —— *Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et adnumeratus est cum undecim Apostolis*. Id ipsum exemplum secutae sunt olim plures Ecclesiae in electionibus faciendis; eamque consuetudinem confirmavit Concilium Barcinonense anno DXCIX. ubi demandatur seligi in contentiosis electionibus: *Quem sors, praeeunte Episcoporum ieiunio, Christo Domino terminante, monstraverit*. In electione quoque Patriarchae Alexandrini Ecclesiae Copticae tres seliguntur, in quos maior suffragiorum numerus consenserit; ex quibus sorte ducitur futurus Antistes; ut ostendit Renaudotius de perpetuitate Fidei Tom. IV. Lib. 1. Cap. 7. Eundem ritum, ipso referente, servat Ecclesia Nestorianorum in electione Catholici sui, hoc est Patriarchae. Sanctorum Patrum exempla, et auctoritates plurimae adduci possent, quibus haec consuetudo mirifice comprobatur; sed ne nimius videar, ea facient satis, quae infra suis in locis adducenda sunt.

Haec vero tanta apud omnes fiducia sortium, praecipue vero apud Hebraeos, atque Christianos, ex duplici fonte promanavit. Aliquando ex speciali Dei revelatione, sive instinctu aliquo, quo id experimentum fieri mandavit; ut ea, quae futura esse decreverat, earum indicio evenirent, ut contigit in sortitione Saulis, atque Mathiae. Quidni etiam infidelium sortibus quandoque usus est, ut incomprehensibilibus iudiciis suis viam sterneret: ut, quomodo nautae Ionam deprehenderunt periculi communis auctorem: et Nabuchodonosor apud Ezechielem sortito elegit Ierusalem, adversus quam arma moveret. Altera vero magis communis ratio est ipsa in divinam Providentiam fidu-

fiducia, cui se se in difficillimis rebus homines paenitus commendarunt, auctoritate freti divini Oraculi Proverbior. XVI. 33. *Sortes mittuntur in sinum; sed a Domino temperantur*: et XVIII. 18. *Difficiles lites sortibus dirimendae committuntur*. In Psalmis quoque legimus: *in manibus tuis sortes meae*; ex quo dixit Augustinus Lib. IV. super Genesim Cap. XXIII. *Solent, quae sorte dantur, divinitus dari*. Quamquam moneamur, nec temere, nec inordinate ad sortes recurrere: *quum privilegia singulorum non possint legem facere communem; nec debemus suo exemplo Ionae sortibus credere*, ut nos monet Divus Hieronymus in Ionam Cap. I. cuius verba usurpavit super Acta Apostolorum Venerabilis Beda.

§. II.

VSque adhuc de sortibus generatim actum est. Succedit, ut illarum genera singillatim ad examen revocemus. Vti vero in triplici negocio adhiberi possunt, in *divisione*, in *consultatione*, atque in *divinatione*; ita, omnium Scriptorum Ecclesiasticorum calculo favente, illas in *divisorias*, *consultorias*, et *divinatorias* recte dividemus. Primum genus illas complectitur, per quas non quid agendum sit; sed *quomodo agendum* inquirimus. Per secundas *quid sit agendum*: postremae vero harum neutrum perscrutantur; sed *quid actum sit*, *aut futurum*, ut docet Divus Thomas in 2. 2. quaest. 95. artic. 8. quem communiter Theologi sequuntur. Itaque DIVISORIA SORTE licite utimur, ubi nulla subest ratio cur uni potius, quam alteri portio aliqua adsignetur, ut aperte disponunt Iura Civilia in *L. Sed cum ambo ff. de iud. et L. Generaliter §. Quis ergo ff. de fid. lib. et L. Si quae sunt ff. fam. hercisc. et L. 2. Cod. Quand. et quib.*

quib. quar. pars, *et* §. *Optionis inſtitut. de Legatis*, cum quibus procedit Iuris Canonici cenſura in *C.* 26. *quaeſt.* 2.

Sortes CONSVLTORIAE, per quas inquirimus quid ſit agendum, ſaepe quidem a Viris ſanctiſſimis uſurpatae ſunt; ſed huiuſmodi exempla non ſine periculo imitari poſſumus, quum ignoremus, quo divinae Sapientiae conſilio, quibuſque praemiſſis diligentiis adhibitae ſint. Ceteroquin communiter improbantur: qui enim ad haſce ſortes recurrit, Deum utique tentat, qui nunquam promiſit ſe ſortientibus adfuturum.

DIVINATORIAS, utpote uni ſuperſtitioni innixas, nunquam Viri probi admiſerunt, quin ab omnibus condemnantur non modo ut vanae, verum etiam et praeſtigioſae, et fere ſemper malorum ſpirituum invocationem involuentes. Has exſecrantur ſacri Canones in *C.* 1. *de Sortilegiis*, et in *C. Sortes* 25. *quaeſt.* 5. et in *C. Sortilegii* 27. *quaeſt.* 1. Quin etiam et ipſa Iura Civilia id genus ſortium deteſtantur, ut in *L. Nemo Cod. de Maleſ. et Mathemat.*

Leges vero in uſu ſortium adhibendae vel finem reſpiciunt, vel modum; ubi enim finis iure prohibitus eſt, nemo inficias ibit ſortes in eo nullas, et nec ipſas diviſorias fore exſcuſandas. Iniquas praeterea reddit ſortes ipſe modus, quo illae tentantur, ſi ſuperſtitionis labe infectus ſit, de quibus in ſequenti Sectione. Illud praeterea communi Patrum conſenſu ſancitum eſt, ut ſicuti divino iudicio, cuius nutu omnia ſuccedunt, negocium defertur, ita Deus Optimus Maximus pie ſimul, ac reverenter invocetur. Sic Geneſeos XXIV. 12. Abrahae ſervus antequam ſortem tentaret, Deum deprecatus eſt: *Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, et fac miſericordiam cum domino meo Abraham.* Oravit quoque Saul ante-

antequam ſortem conmitteret, ut violati voti reum detegeret, primo Regum XIV. 41. *Domine Deus Iſraël, da iudicium: quid eſt, quod non reſponderis ſervo tuo hodie?* Ioſue quoque antequam per ſortem inquireret furti reum, cuius cauſa univerſus Iſraël maximis calamitatibus adflictabatur, Dei iuſſu preces praemiſit; Ioſue VII. 13. *Surge, ſanctifica populum, et dic eis, ſanctificamini in craſtinum.* Inde vero ſors cecidit in Achan eiuſdem ſceleris auctorem. Apoſtoli pariter, antequam ſortem mitterent, ut Iudae locum implerent, ita Deum precati ſunt; Act. I. 24. *Tu Domine, qui corda noſtri omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum.*

Huiuſcemodi exemplorum auctoritatem ſecuta eſt Barcinonenſis Synodus ſupra laudata, qua ſancitur in difficillimis quibuſdam electionibus illum anteferri, *quem ſors, praeeunte Epiſcoporum ieiunio, Chriſto Domino terminante, monſtraverit.* Hoc etiam monuit Venerabilis Beda, ubi in Apoſtolorum Actis de Mathiae ſortitione ſermonem facit: *Si qui tamen neceſſitate aliqua compulſi Deum putant ſortibus, Apoſtolorum exemplo, eſſe conſulendum; vide ante hoc ipſos Apoſtolos, nonniſi collecto Fratrum coetu, et precibus ad Deum fuſis, egiſſe.*

Ipſos quoque Gentiles hanc diſciplinam ſervaſſe oſtendit perſaepe Homerus, ut Iliad. Γ. verſ. 315.

Hector autem Priami filius, et nobilis Vlyſſes
Locum quidem primum dimetiebantur: at poſtea
Sortes in galea aerea iaciebant accipientes,
Vter prius emitteret aeream haſtam:
Populi interim ſupplicabant, et Diis manus elevabant.

Eadem formula usus est in alia sortitione, Iliad. H. vers. 175.

Sic dixit ; hi autem sortem signaverunt singuli,
Et iniecerunt galeae Agamemnonis Atridae ;
Populi interim supplicabant, et Diis manus elevabant.

Et paullo post vers. 182.

Sic dixerunt : movit autem Gerenius eques Nestor ;
Exivit autem sors e galea, quam volebant ipsi,
Nempe Aiacis.

Religiose quoque tentandas esse sortes ostendit suo modo Tiresias apud Euripidem in Phoenissis :

Serva mihi sortes, virginea manu
Quas accepi, servans auguria avium
Ex sedibus ubi vaticinor.

§. III.

MOdus sortiendi varius semper fuit pro diverso hominum ingenio, moribus, et religionibus. Ad duo vero capita commode redigi potest, *superstitiosum* nempe, et mere *civilem:* postremum hoc sortes illas complectitur, quae communi usu receptae erant, atque illas, quas privatum ingenium pro oblata occasione ad libitum sibi constituebat.

Superstitiosae sortes, quarum usum odioso sortilegii genere nuncupamus, multae apud Antiquos fuerunt : paucas hasce referemus. Sortiebantur Chaldaei per sagittas ; cuius specimen habemus Ezechielis Cap. XXI. 21. *Stetit Rex Babylonis in bivio in capite duarum viarum, divinationem*

quae-

quaerens, conmiſcens ſagittas, interrogavit Idola, exta conſuluit; ad dexteram eius facta eſt divinatio ſuper Ieruſalem. Quo pacto eam execerent, diſputant ſimul, nec conveniunt Interpretes. Sunt, qui putent geminas ſagittas pari robore iaculatas, eam tuliſſe ſortem, quae longius proceſſiſſet. Credunt alii ad inſtar ſpeculi laevigatas, imagines quaſdam reddidiſſe, unde conſilium caperetur, quam proprie Κατοπτρομαντείαν vocant. Credunt plerique ſagittas pares occulto ſigno diſtinctas, ita verſatas in pharetra, ut caſu eductae officium praeſtarent, quod ceteroquin calculi, ſive aſtragali; ut declarat in locum citatum Hieronymus: *Stabit in ipſo compito, et ritu gentis ſuae oraculum conſulet, ut mittat ſagittas ſuas in pharetram, et conmiſceat eas inſcriptas, ſive ſignatas nominibus ſingulorum, ut videat cuius ſagitta exeat, et quam prius civitatem debeat oppugnare.* Superſtitione igitur non caruit, quae ad inſtar oraculi ab Idolis petebatur, proprioque vocabulo Βελομαντείαν nuncupant.

Sortem aliquando experiebantur per aream ſpatiis quibuſdam diſtinctam, et litteris ſignatam, in quibus ſpatiis grana diſponebant; immiſſoque gallo gallinaceo, diligenter adnotabant, ex quibus litteris grana depaſceret, atque ex eiſdem litteris reſponſum hariolabantur; ut colligere licet ex Zonarae Hiſtoria Lib. III. Sed haec vanitas divinationem potius, quam ſortitionem praeſeferebat, propriaque nuncupatione Αλεκτρυομαντείαν dicebant.

Per virgas quoque ſortes mittebant; quam artem Ραβδομαντείαν adpellabant, de qua Oſeae Cap. IV. *Populus meus in ligno ſuo interrogavit, et baculus eius annuntiavit ei.* Quem locum ita enarrat Theophylactus: *Virgas duas ſtruentes, carmina, et incantationes quaſdam ſubmurmurabant.*

Praxim vero diligentius explicat Rabbi Moyſes in explanatione praecepti negativi 52. dicens: *Decorticabant bacillum ligneum uno tantum ex latere. Tum in aërem proiiciebant. Si fortuito caſu primo iactu adparuiſſet ſuperior pars decorticata; ſecundo autem iactu ſuperior pars adhuc veſtita, proſperum ſucceſſum augurabantur. Si primum prima pars veſtita, infelicem: ſi utroque iactu veſtitum vel nudatum latus ſuperius fuiſſet, mixtum eventum ſibi pollicebantur.* Referunt vero alii, quos inter idem Theophylactus, duas virgas eligi conſuevisſe, quarum una adfirmativam; altera vero negativam importaret, fuſiſque quibuſdam precibus obſervaſſe utra illorum flecteretur.

Huc pertinet, quamquam diverſo ritu, adhibita Germanorum ſortitio, de qua Tacitus de mor. Germ. *Sortium conſuetudo ſimplex. Virgam frugiferae arboris decisam in ſurculos computant; eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere, ac fortuito ſpargunt. Mox publice conſulitur Sacerdos civitatis, et ſublata ſecundum praemiſſam notam interpretatur.* Ab huiuſmodi vero inſtrumento deducitur id ſortiendi genus ad Αστραγαλομαντείαν potius ſive ad Κυβομαντείαν pertinuiſſe, quam teſſerulis, et conciſis tigillis exercebant.

Civilis ſortitio eas formas complectitur, in quibus nulla indicia ſaltem manifeſta ſuperſtitionis deprehenduntur. Harum aliquas, ut praemiſimus, vel communis uſus introduxerat, vel privatum iudicium ex quibuſque oblatis occaſionibus ex tempore uſurpabat. Quemadmodum Abrahae ſervus ſortitionem conſtituit in potus oblatione: et primo Regum VI. 7. Philiſthaei experimentum ſortis fecere in electione viae, quam vaccae adripuiſſent, quibus Arcam impoſuerant: *Siquidem per viam finium ſuorum adſcenderit*

con-

contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande: ſin autem minime; ſciemus, quia nequaquam manus eius tetigit nos, ſed caſu adcidit. Haec et plura ſimilia, quae paſſim in utraque Hiſtoria occurrunt, veluti, quae nullis legibus ſubiacebant, niſi quas ſibi quiſque pro re nata conſtituiſſet, diſputatio noſtra non reſpicit.

Quae vero communi conſuetudine exceptae erant, quorumdam inſtrumentorum auxilio exercebantur. Ad id officium lignum maxime delectum eſt, ex quo ſortibus factum nomen. Herodianus Grammaticus: Κλῆρος *a κλῶν; ideſt lignum, quod lignorum uſus fuerit potiſſimus ad ſortes, in quibus ſymbolum ſuum, teſſeramque incidebant.* Tales fuere Praeneſtinae, quas ex robore conſtitiſſe refert Cicero infra citandus. At nihilominus quandoque ex animalium talis ſortes iactae, quibus luſitabant: quorum latus, quo unitas ſignificabatur *Canicula;* oppoſitum ſeptenarium indicans, *Cous*, ſive *Venus* audiebat: facies quae ternarium importabat *Chius*, quae vero quaternarium *Senio* dicebatur. Tali imaginem ſaepe habemus in antiquiſſimis Italiae Nummis inliteratis: quorum alterum latus concavam partem; oppoſitum vero protuberantem oſtendit: quod quidem ſymbolum facile adludit ad religionem Vrbis alicuius, in qua ſortes celebriores erant, quae per talos iacebantur. Huiuſmodi ſortium mentio fit apud Ciceronem praecipue de Divinatione Lib. II. *Quid ſors eſt, idem propemodum quod micare, quod talos iacere.* Et apud Pauſaniam in Meſſen. *Qui enim ſortes conſulit, precatur ante ſimulacrum, ſumtoſque talos quatuor mittit in menſam.*

Naturalibus talis ſucceſſere cubi manufacti, quorum ſena latera punctis diſtincta erant, quales propemodum ſunt, qui ex ſacris Coemeteriis detracti, a Cl. Boldettio refe-

referuntur. Talum apud veteres Chriſtianos in uſu in ſuis Cimeliis amicus noſter optimus Gorius ſervat, in quo praeter complura puncta, ſive orbiculos coacervatos; hinc inde in latere eius dextro inſculpta eſt columba ramuſculo inſiſtens; in ſiniſtro vero vas, ſeu crater anſatus. Ab his non diſcedunt Patavinae ſortes, quarum latera numeris obſignata fuiſſe, oſtendit Suetonius in Tiber. Cap. XIV. *Sorte tracta evenit, ut ſummum numerum iacti ab eo oſtenderent; hodieque ſub aqua viſuntur hi tali.*

Saepe etiam notas aliquas arcanas, ſeu ſymbola tali praeſeferebant, ut equum decurrentem, palmam, atque ſimilia: quorum exemplaria ex iiſdem ſacris Coemeteriis prodidit idem Boldettius; quibus ſimiles fuere tali, quos memorat idem Pauſanias in Achaicis: *Oraculi ſortes capiuntur per talos: inſcripti ſunt certis notis tali ſinguli, et in Tabula notarum interpretationem habent.*

Forma quoque non ſemper eadem; nam ſaepe a cubica figura recedentes, tabellam depreſſam retulerunt; ut nonnullae apud laudatum Boldettium, et Celeberrimum Antonium Mariam Lupium, Soc. Ieſu Presbyterum, in Epitaphium Severae, occurrunt; quas nobis adnotaſſe eo gratius fuit, quo magis ad noſtras haſce Chriſtianas adcedunt; nam quum et illae e Chriſtianorum Sepulcris prodierint, vehementem ingerunt ſuſpicionem, Chriſtianos adhibuiſſe ſortes haſce in teſſerarum formam confectas, quae fortuita manu ex urna ducerentur, ut iactum illum effugerent, qui in cubicis talis deteſtatae aleae ſpeciem referebat.

Inter haec ſortium genera, tot tantiſque ſignis diſtincta, oportet etiam aliquas exſtitiſſe, quae ſimplicibus litteris ſignatae forent. Refert enim Plutarchus in Apotheoſ.

Dio-

Dionyſium Tyrannum monarchiae augurium ſumſiſſe, ex quo ſibi littera M in ſortibus contigiſſet. Huiuſmodi erant et Praeneſtinae ſortes apud Ciceronem Lib. II. de Divinat. *Perfracto ſaxo, ſortes erupere in robore inſculptae priſcarum litterarum notis.* Neque alias omnino fuiſſe credendum eſt ſortes illas, e quarum iactu integri ſenſus, atque ſententiae educebantur; ut illa, quam refert Valerius Maximus Lib. I. *Praecipi ſortibus, ut aquam eius lacus emiſſam per aërem diffunderent:* et apud Suetonium in Caligula: *Monuerunt et ſortes Antiatinae, ut a Caſſio caveret:* et apud Lampridium in Alexandrum Severum: *Huic ſors in templo Praeneſte talis exſtitit, quum illi Elagabalus inſidiaretur.*

Si qua fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Hae vero ſortitiones e multiplici teſſerarum iactu conſtare debebant; ex quibus ſimul conlectis litteris, non ſine aliqua Antiſtitum induſtria, fortaſſe etiam ſycophantia, reſponſa illa tam apta negocio componerentur. Quae coniectura circa ſortes Praeneſtinas eo probabilior mihi videtur, quum aperte ſciamus, illas per teſſerulas litteratas trahi conſueviſſe.

Ad id ultimum genus pertinent teſſerulae hae noſtrae, in quarum antica parte ſtellata Crux Chriſtianae Religionis indicium exarata eſt; in altera vero ſingulae ſingulis Graecae litterae, quae, ut praefati ſumus, notarum numeralium vicem praeſtabant: non utique ad iocos illos divinatorios exhibendos, quos Praeneſtinae ſortes, atque Antiatinae exhibebant, quarum vanitatem Chriſtianae Fidei ſymbolum omnino excludit; ſed ad nomina in electionibus ſortienda, quae initialis littera deſignaret: ſive ad loca ali-

aliqua in sacris, seu civilibus consessibus adsignanda : seu demum in innumeros usus, quos per coniecturam adsequi nullatenus valeamus. Crux vero, quae alteram tesserarum faciem exornat, non modo sacris supellectilibus conveniebat ; sed in profanis quoque adhibebatur ; ut vitreae lamellae Coemeteriales ostendunt, in quo Fideles illud D. Paulli ad Colossenses III. sequuti videntur: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.*

§. IV.

Sed quia de sortium instrumentis sermo incidit, restat ut modum, quo illae conmoverentur, inquiramus : quod quidem examen nec incuriosum est, nec inane; nam plerumque et ipse aliquam religionem involvebat. Ex his vero, quae supra praemisimus, conligi facile potest, tesserulas in usum sortium adcommodatas vel unico signo distinctas fuisse, ut litteratae ; vel multiplici, ut astragali ; quorum singula latera punctis, aliisque insignibus distincta erant. Primi generis sortes inscia manu in vas iectae singulae a singulis trahebantur. At posterioris generis ipso vase inverso in mensam proiiciebantur; nam in his exitus sortis non a tessera dependebat; sed ab ipso tesserae, seu tesserarum adspectu, quem in mensa adcepisset. Quapropter quum sortes e talis constarent, inverso fritillo in mensam effundebantur ; ut constat ex antiquo Pindari Scholiaste : *Consueverant olim vaticinari per sortes: et erant in sacris mensis tali, quos iacientes vaticinabantur; verbi causa, si me iaciente hoc ceciderit, illud eveniet ; sin minus, non eveniet.* De sacris vero mensis in templis constitutis, earumque

rumque vario usu multa dicta sunt in Dissertatione de Mensa sacra Herculanensium in fine Vol. I. Symbolarum Gorianarum. Ex Philostrato quoque constat idem usus mensae in astragalizando; sic enim ille in Vita Apollonii: *Ille calculos sumens, et in tabula referens, et digitos inflectens.*

Saepe saepius non in tabula, sed in aqua iactus fortium fieri solebat. Tales fuere sortes Geryoneae, quas supra ex Suetonio in Tiberio memoravimus: *Hodieque sub aqua visuntur hi tali:* Lyciae quoque sortes, quas memorat Sidonius Carm. IV.

> *Non sortes Lyciaeque, Caerituмque*
> *Responsa.* ———————

In aqua fontis sacri effundi consueviſſe memorant. Plautus etiam in Casina senem inducit sorti rem committentem, non aliter vero, quam in aqua tentandam:

> *Intro abi, atque actutum uxorem evoca ante aedes eito,*
> *Et situlam huc aeferto cum aqua, et sortibus.*

Sic quoque inter Aristodemum, et Cresphontem de Messeniae regno certatum est apud Pausaniam in Messeniacis; iactis enim in aquam geminis paribus tesseris ex argilla compactis, illa ex ambabus tracta est, per quam Cresphonti Messenia contigit, dolo Temeni, qui eius talum e cocto laterculo fecerat; alterum vero ex crudo, qui in aqua dissolutus est. Quippe ea sortitio ex eo genere erat, in quo talus unicus nomine, vel nota inscriptus extrahi solebat.

Adhibitam ad id officium urnam saepe memorant Scriptores, ut Virgilius Aeneid. VI. vers. 431.

Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:
Quaesitor Minos urnam movet. ——————

Et Horatius Satyr. IX. Lib. I. 29.

—— *Namque instat fatum mihi triste, Sabella,*
Quod puero cecinit, divina mota anus urna.

Vrna quoque usus est Aman quum mensem, et diem sortitus est, in quo perderet Hebraeos. Esther Cap. I. *Mense primo, cuius vocabulum est Nisan, anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quae Hebraice dicitur Phur.* Inde vero mansit apud Hebraeos nomen Festo sortium, quod *Purim* vocant. Vrna quoque usus est Imperator Probus apud Vopiscum in sorte ducenda: *Sorte in urnam missa, iussit equum praestantem militi, cui sors ex urna contigerat, dari.* Et Cicero de Divinatione: *Simia urnam everrit, et sortes dissipavit.*

Hydria aliquando huic ministerio substituta est, quae ob sui profunditatem sortes magis occultas conservaret. Idem Cicero Verr. IV. *Vt quot essent renunciati, tot in hydriam sortes coniicerentur:* quod praecipue factum esse puto, ubi sortitioni aqua addebatur.

Sitellam in eo ministerio adhibitam memorat Plautus loco citato. Etruscorum picturae saepissime Matronas exprimunt hasce sitellas manibus deferentes, sive Laribus suspendentes; quae caerimonia non modo ad libamina pertinet, praecipue vero ad vinum; verum etiam ad hoc, ni fallor, sortium institutum trahi potest.

Heroicis temporibus galea in usu erat ad sortes commiscendas, ut ex duplici loco Homeri supra demonstratum est:

—— *At*

At poſtea
Sortes in galea aerea iaciebant.
Sortem ſignaverunt ſinguli,
Et iniecerunt galeae Agamemnonis Atridae.

Alicubi ſortes verſabantur non in urna, ſed in ſacris linteaminibus, ſive taeniis, quarum maxima erat Religio: inde vero quum educerentur, vocabulo in ſacris uſitato, *extaeniari* dicebantur. Livius Lib. XXI. *Ex Caere ſortes extaeniatae.* Hinc lectiſternium, ubi ſortes extaeniatae eſſent, imperatum. Et Lib. XXII. in principio: *Faleriis caelum findi viſum magno hiatu: quaque patuerat, ingens lumen effulſiſſe: ſortes ſua ſponte extaeniatas, unamque exſcidiſſe ita ſcriptam: Mavors telum ſuum concutit.* Scio Codices ut plurimum habere *extenuatas:* Lipſius tamen Elect. Lib. II. Cap. 12. priorem lectionem defendit.

Obſervavimus aliquando ſortes in ſinu veſtium commixtas, ut Proverb. XVI. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur.*

Illud etiam antiquitus in uſu fuit, ut quum ſortes ſingillatim ex urna educendae eſſent, puerilis manus adhiberetur, ut omnis fraudis ſubſpicio abeſſet, ut ex Tibullo Lib. I. Eleg. III. verſ. 11.

Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
Rettulit e triviis omina certa puer.

Et Cicero de Divinat. *Sortes, quae Fortunae monitu pueri manu miſcentur, ac ducuntur.* Haec tamen diligentia inanis futura erat in illis ſortibus, in quibus tali univerſi ex urna diffundebantur; quod ab ipſis, qui ſortiebantur, facile factum eſt.

§. V.

INter ceteras fortium ſpecies, quas Chriſtiani adhibuerunt, illae potiſſimum memorantur, quas *Apoſtolicas* vocabant. Illarum exemplar ab Ethnicis deductum eſt, apud quos ſolemnes fuere ſortes Pythagoricae, Homericae, et Virgilianae, quorum Libris fatidicam quamdam virtutem ſuperſtitioſe adtribuerunt. Nam acu in Codicem fortuito inſerto, locum cuſpide deſignatum oraculi inſtar habebant; unde aliquando vera praedicta ſunt, Deo nempe ita permittente, in poenam incredulitatis: de quo D. Auguſtinus Serm. de Tem. 241. *Sed forte dicit aliquis quid facimus, quia auguria iſta vel characteres, vel divinationes frequenter nobis veritatem adnuntiant? De hac re Scriptura nos conteſtatur, et monet, dicens: etiam ſi vera dixerint vobis, nolite credere.* Neque praeterea mirandum, ſi aliquando ſententiae negocio aptiſſimae ductae ſunt, quum Libri illi ob rerum immenſam varietatem, qua mirifice ornantur, tot dicta, et facta contineant, quae litteraliter, vel tropologice quaeſitis omnibus convenire poſſunt. Itaque de Virgilianis ſortibus multa, et mira narrantur; praeſertim quum Alexander adhuc adoleſcens ad litterarum ſtudia impenſiſſime traheretur, teſte Lampridio, *Virgilii ſortibus huiuſmodi inluſtratus eſt:*

Excudent alii ſpirantia mollius aera:
Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Aliud non diſſimile Hadriano adcidiſſe tradit Spartianus: *quum Virgilianas ſortes conſuleret ſors excidit:*

Quis procul; ille autem ramis inſignis olivae
Sacra ferens. _____

Mo-

Morem hunc Chriſtiani ad Religionem tranſtulere, adhibitis ad id officii ſacris Codicibus; ob ſui tamen vanitatem ſaepe a Patribus reprobatum, praecipue a Nicolao Pontifice in Epiſtola ad Bulgaros: *Graeci Codicem accipientes in manibus clauſum, unus ex iis accipiens puriſſimam particulam ligni, hanc intra ipſum Codicem condit; et ſi undecunque aliqua vertitur ambiguitas, per hoc adſirmant ſe ſcire poſſe, quod cupiunt.* Ad has ſortes ſaepe recurrebant Africae Chriſtiani, ut refert D. Auguſtinus Epiſt. 53. quas tamen *ſuffragio ſuo nunquam adprobandas* profitetur. Damnant praeterea has ſortes Iura Canonica in C. ſi quis Clericos 26. quaeſt. 5. in C. Sortilegii 27. quaeſt. 1. *Sortilegi ſunt, qui ſub nomine fictae religionis, per quaſdam, quas vocant Sanctorum, ſeu Apoſtolorum ſortes, divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque ſcripturarum inſpectione futura promittunt.* At nihilominus exempla non pauca Sanctorum occurrunt, qui ſortes haſce adhibuerunt non ad occulta inveſtiganda; ſed ad ſolamen, atque auxilium animo expetendum: quemadmodum cum magno charitatis proventu B. Patriarcham Franciſcum ſaepe feciſſe tradit in eius Vita D. Bonaventura Cap. XIII. Alterum eiuſdem conſuetudinis exemplum habemus apud D. Gregorium Turonenſem Lib. IV. Cap. 16. *Poſitis Clerici tribus Libris ſuper altarium, ideſt Prophetae, Apoſtoli, atque Evangelicorum, oraverunt ad Dominum, ut Chriſtiano, quod eveniret, oſtenderet. Aperto igitur primo omnium Prophetarum Libro, repererunt: Auferam maceriem eius.* Et rurſus Lib. XV. Cap. 14. Regem Meroveum idem feciſſe refert. B. Theodora Alexandrina idem exemplum ſecuta eſt apud Simeonem Metaphraſten: quin etiam idem B. Gregorius Turonenſis eodem Lib. V. Cap. 47. ſe in magna anguſtia verſatum hiſce ſortibus

ſe

ſe uſum eſſe teſtatur; quodque ex fortuita lectione notârat, ad unguem poſtea adcidiſſe. Exempla tamen ſunt haec veneranda magis, quam imitanda; nam ſanctiſſimos hoſce Viros non ſine praecipuo Dei inſtinctu haec egiſſe credendum eſt; ut qui ſine pari vitae merito curioſo ingenio iſta praeſumunt, ſibi cavere debeant, ne dum conſilium per ſortes quaerunt, quod precibus potius promerendum erat, ſorte inluſi in errorem abripiantur, iuxta illud Proverb. XVI. *Eſt via, quae videtur homini recta, et noviſſima eius ducunt ad mortem.* Coronidem imponimus huic opellae eximio tui locupletiſſimi Muſei ſacro Cameo anulari, VICTORI EQVES COMMENDATOR ORNATISSIME: qua quidem Chriſtianae Religionis teſſera, de qua erudite ſatis diſſeruiſti, nil auguſtius, nil divinius exſtat.

Gemmæ ⊢⊣ antiquæ magnitudo.

DE

DE POCVLIS ASTRIFERIS
VETERVM
PROFANIS ET SACRIS
DISSERTATIO XV.
IOANNIS BAPT. PASSERI
NOBILIS EVGVBINI
I. C. ET VICAR. PISAVRENSIS.

T. III. p. 282.

Fragméntum ant. Crateris vitrei picti
Romae in Museo Victorio

J. V. Sc.



J. V. fc. *Ex Vasculo penes Mercatorem Anconit.*

DE POCVLIS ASTRIFERIS
VETERVM
PROFANIS ET SACRIS
DISSERTATIO XV.

AD CLARISSIMVM VIRVM

IOSEPHVM BLANCHINIVM
VERONENSEM

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI
PRESBYTERVM

OVVM mihi nuper obſervare contigiſſet vitrei Crateris inſigne fragmentum, in quo poſt viri palliati tergum, qui forte inluſtris alicuius Aſtronomi imaginem referebat, typus caeleſtis Globi fulcro impoſiti depictus encauſto cernitur; pergratum fore duxi viris Antiquitatum, et praeſertim caeleſtis Scientiae ſtudioſis, ſi e nobiliſſimo

MVSEO VECTORIO, in quo cuſtoditur, in publicam lucem prodiret, ut ex eius proſpectu antiqua artificialis Sphaerae forma nobis innoteſceret. Alteram quidem eiuſdem inſtrumenti imaginem, ſed humiliore fulcro munitam, et propterea aliquantulum ab hac diſcrepantem, iterum obſervavimus in perrara Gemma, quam inter Aſtriferas Vol. I. Tabula LXVIII. publicatam explicavimus. At eruditorum Virorum gratiam magis magiſque nos inituros ſperamus, ſi Aſtriferam Antiquitatem undequaque ex Gemmis conlectam, multiplici quoque verſatilis Sphaerae ſpecimine cumulemus; ut iam ex utroque typo recentioribus cum modulis comparato, quantum novo induſtria profecerit, intelligamus.

II. Vbi vero ſtatui perrarum id monumentum commentariolo exornare, et ſimul inde optata occaſio mihi a Cl. Gorio amico cum tuo, tum meo ſuaviſſimo, oblata eſt aliqua adnotare DE POCVLIS ASTRIFERIS VETERVM *cum ſacris, tum profanis;* haud diu haeſitandum fuit, cuius auſpiciis lucubratiunculam hanc meam commendarem; nam mihi ſemper ob oculos obverſaris, BLANCHINI RELIGIOSISSIME, et non minus doctrina, qua refertae ſunt celeberrima, atque oppido inſignia a Te edita Opera, quibus egregie de Apoſtolica Sede meritus es, quam natalibus ſpectatiſſime; ad cuius ceteras dotes adcedit, neſcio an dixerim Tua, an potius Tibi domeſtica, Matheſeos ſcientia; cuius ope apud diſſonas moribus, et religionibus Gentes eo uſque nomen tuum celebratur, quantum apud nos ſanctitate morum, et divinarum Litterarum ſcientia, ac dignitate eſt plane commendatiſſimum. Praeſtantiſſimo Praeſuli FRANCISCO BLANCHINIO Patruo tuo, aeterni nominis Viro, id ipſum contigiſſe memoratur, qui non ſolum apud Gal-

Gallos, verum et apud Britannos, atque apud exteras fere omnes Scientiarum et Artium Academias, ſui praeclariſſimi nominis lucem, et ſcientiae amplitudinem adeo invexit, amplificavitque; ut ab omnibus ſummam laudem, et candore probitatis, ac recto iuſtitiae tenore gratiam, et honores quammaximos, meruerit. Haec in cauſsa fuere cur Tibi virtutum eius heredi, atque cultori pereximio hoc obſervantiae teſtimonium offerrem; in quo profecto nihil tuae dignitati reſpondet praeter argumentum.

III. Pictura, circa quam verſamur, non modo ab ipſo emblemate, ſane perraro, verum et ab inſigni mole commendatur, quae longe communem poculorum figuram antecellit; ſi enim infima huius ſcyphi area, ipſo etiam adtonſo margine, integretur, pedalem menſuram facile aequabit. Ad poculum tamen pertinuiſse non dubito ex obvia illa in potoriis vaſculis adclamatione, PIE ZESES. *bibe vivas*. Perrara quoque ſunt paris amplitudinis antiqua pocula, quum vix duo aequalia uſque adhuc numerentur apud Bonarrotium de Vaſc. vitr. Tabula XXX. et XXXI. quae Vir longe doctiſſimus, quamquam hoc teſtimonio deſtitutus, inter calices computavit; illos nempe, qui Circenſium Victoribus a fautoribus dono dabantur. Id etiam Graecis Athletis aliquando factum eſse demonſtravimus in Notis ad domeſticas Lucernas Lib. I. circa finem. Haec vero donaria, ut luculentiora forent, in eam amplitudinem, plane quodammodo pompaticam, dilatari conveniebat. Licet enim communia pocula ad familiarem uſum adcommodata longe minora eſsent; in ſolemnibus tamen conviviis, ac caeremoniis longe ampliora adhibita ſunt; meminit enim Plinius Lib. XXXVII. 2. *capacis plane ad ſextarios tres calicis*: et apud Apuleium in Mileſ. memo-

rabiles : *Ampli calices variae quidem gratiae , ſed pretioſitatis unius* deſcribuntur. His adcedit Iuvenalis Satyr. X.

——— *Et lato Setinum ardebit in auro :*

Et Virgil. Aeneid. Lib. I. verſ. 724.

Crateras magnos ſtatuunt , et vina coronant :

et Aeneid. Lib. III. verſ. 525.

Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit . ———————————

Huiuſmodi fuiſse etiam ex cryſtallo memorat idem Iuvenalis Satyr. VI.

Grandia tolluntur cryſtallina . ———

IV. Quemadmodum in reliqua ſupellectile, ita et in ſcyphis curioſe ornandis Antiqui fuere ſtudioſiſſimi . Quapropter ſaepe legimus inſculpta in calicibus FORTIA FACTA PATRVM , Homericas pugnas , geſta Alexandri , Herculis facinora , atque alia huiuſcemodi , quae non modo gratiam vaſculis conciliarent ; verum etiam convivas inſtruerent , ut ex ipſo laetitiae inſtrumento virtutum exempla haurirent. Inter cetera vero emblemata illud nobiliſſimum habitum eſt , quod ad ſiderum ſcientiam adluderet ; quapropter idem Virgilius Ecloga III. verſ. 36. gemina pocula nobis deſcribit , in quibus inſignium Aſtronomorum icones expreſsae erant :

——————————— *Pocula ponam*
Fagina , caelatum divini opus Alcimedontis :
In medio duo ſigna , Conon : et quis fuit alter ,
Deſcripſit radio totum qui Gentibus orbem?
Tempora quae meſſor , quae curvus arator haberet ?

Hanc

Hanc quidem descriptionem sapientissimus Vates facile ab exemplaribus tunc Romae in pretio habitis, mutuatus est: quae sane, si ad nos usque pervenissent, non aliter Cononis, atque Arati imagines in scyphis sculptas videremus, quam quod in hoc vitro horum alter depictus est, caelesti Globo pone conlocato, tanquam studii et professionis symbolo, atque instrumento: nemoque negaverit potuisse huius vitri Artificem, vel pocula Vergiliana imitari; vel prototypa illa, ex quibus ipse Vergilius descriptionem mutuatus est, atque, ut se pastoralibus moribus conformaret, quae fortasse ex materia pretiosa constabant, in fagina conmutavit. Ceterum id argumentum ab Astronomia petitum obvium in scyphis esse debuit, adeo ut Anacreon quum argentei poculi formam Vulcano praescriberet, potissimum caverit, ne quid tale nimis serium et horrificum insculperet. Lepidissimam, atque elegantissimam eius Carminis Latinam versionem nondum antea editam perlubet heic adiicere, a FLAMINIO RAIO factam; de quo alibi plura de eo disseret Clariss. Gorius, qui eam mihi suppeditavit.

Nunc torno facili mihi adlabora
Argentum, Ignipotens, et inde finge
Arma haud horrida: Mars ferox quid ad me?
Poculum at mihi tam cavum, ac profundum
Fac, illo ut queat invenire nullus
Aut cavum magis, aut magis profundum;
Inque ipso minus astra, plaustrave ulla,
Orionave sculpito, occidendo,
Ferentem pelago graves ruinas;
Ecquid Pleiades mihi? mihi ecquid
Curru noctivago nitens Bootes?

Sed

Sed vitem rogo lividis racemis
Effingas mihi rite ; cumque Baccho
Vna uvas ſocios ſimul prementes ,
Amorem lepidum , meum et Bathyllum .

V. Quia vero , ut ex Bonarrotio obſervavimus , ingentia haec pocula in Circenſium honorem aliquando parabantur ; minime ab eo diſsentirem , qui in eodem cenſu hoc noſtrum Victorianum Poculum ex vitro referre vellet ; nam licet in eo nulla ſpectaculorum indicia deprehendantur ; ipſa tamen caeleſtis Globi imago ad Circum facile adludit , in quo omnia myſtice ad caeleſtis Sphaerae partes , ad ſidera , atque anni tempora adludebant , iuxta vetus Epigramma .

Circus imago Poli , formam cui docta vetuſtas
Condidit , et numeros limitis aetherei ;
